

651
9-9

Digitized by Google

Digitized by Google

LEXICON

PROPRIORUM ET INDE DERIVATORUM

NOMINUM

PRINCIPUM POËTARUM LATINORUM,

CURA

G. DORNSEIFFEN,

PHIL. THEOR. MAG., LITER. HUMAN. ET IUR. UTR. DOCT.,

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA LITER. HUMAN. LECT.,

GYMN. HIERON. PROR., REG. INSTIT. BELG. ORD.

SEC. SOCII, REG. GOTTING., TRAIECT., ZELAND.,

LEIDENS., ART. ET DOCTRIN. SOCIET.

ADSCRIPTI.

Traiecti ad Rhenum,

APUD JOANNEM VAN SCHOONHOVEN.

1828.

Digitized by Google

KONINKL.
BIBLIOTHEEK
TE 'SHAGE.

Digitized by Google

L. S.

Abhinc viginti annos ONOMASTICON POËTICUM *cum ederem, quo iuventuti, in poëtis, Horatio, Virgilio Ovidioque, explicandis prospectum esset, haud diu post ista secuta sunt tempora, quibus sensim pristinae barbariei saecula revocari videbantur, et procul dubio revocata fuerant, nisi Deus Optimus Maximus, ne redirent, prohibuisset. In ista igitur rerum calamitate non modo non sperare, sed ne suspicari quidem potui fore, ut huius libri nova editio in posterum disideraretur. Ut vero plurima in vita humana praeter spem saepius obtingunt, sic etiam mihi accidit: Nam ante hos duos annos bibliopola mihi dixit, prioris editionis exempla esse divendita, seque, si per me liceret, alteram huius editionem lubenter typis esse mandа-*

Digitized by Google

turum. Nunc igitur illa post longas typothetae moras tandem in lucem prodit; attamen, quod antea, iuvenili ardore flagrans, ut sex annorum laborem ederem, omiseram, nunc addendum putavi, unde, quae etiam in Catullo, Tibullo *et* Propertio, *poëtis, ad mythologiam, geographiam, astronomiam historiamque, spectant, ea huc collecta sunt; id quod mihi eo magis necessarium est visum, quoniam in* anthologia poëtica, *quae in scholis Latinis teritur, ex hisce poëtis excerpta legimus, quorum nomina propria, et quae inde derivantur, iuvenes frustra in onomastico meo quaerebant.*

Cum igitur opus nostrum ad sex principes Latinos poëtas jam relatum esset, quid mirum, me illud dignum iudicasse, quod, mutato nomine, ad Lexici *honorem eveherem?*

Ceterum ex poëtarum editionibus optimas quasque consulens, corrupta nomina, in quae incidi, pro viribus emendare studui, omniaque, quantum fieri potuit, breviter explicavi, ne iusto brevior essem, maxime curans.

d. I. m. Novembris VALE.

a. MDCCCXXVIII.

Digitized by Google

LEXICON

PROPRIORUM ET INDE DERIVATORUM NOMINUM

PRINCIPUM POETARUM LATINORUM.

ABA. ABE. ABS.

Abantēus, -a, -um, ab Abante, vel ad Abantem pertinens. Fuit autem *Abas*, Argorum rex, Lyncei ex Hypermnestra filius, Acrisii Proetique pater, Danaës avus, Ov. Met. XV. 164.

Abantĭădes, -ae, unus ex Abantis posteris. Vocantur autem sic *Acrisius*, Abantis filius, Ov. Met. IV. 606., et *Perseus*, Abantis pronepos, Ov. Am. III. 12. 24. Met. IV. 672 et 766 et saepe al.

Abăris, -is, Rutulus, e Turni comitibus, quem Euryalus Troianus interfecit, Virg. Aen. IX. 344. Item unus ex Phinei sociis, a Perseo caesus, Ov. Met. V. 86.

Abas, -antis, dicitur Troianus, qui cum Aenea in Italiam abiit, Virg. Aen. I. 121. (125). Unus ex Graecis, cuius interfecti clypeum in Actiaco litore consecravit Aeneas, Virg. Aen. III. 286. Etruscorum dux, qui in Italia Aeneae auxilio profectus, a Lauso, Mezentii filio, occisus est, Virg. Aen. X. 170 et 427. Unus ex Persei comitibus, Ov. Met. V. 126. Centaurus, nobilis venator, Ov. Met. XII. 306. Tandem quidam ex Diomedis comitatu, a Venere in avem versus, Ov. Met. XIV. 505.

Abdēra, -ae, fuit Thraciae urbs inter Nesti et Hebri ostia, ad mare sita, ubi quotannis primo quoque die hominem pro civitate devovere, eique mala, urbi impendentia, imprecari, eundemque lapidibus obruere moris fuit, Ov. in Ibin 469.

Abella, -ae, Campaniae oppidum, ultra Clanis fluminis fontes ad montium radices situm, hodie *Avella Vecchia*, Virg. Aen. VII. 740.

Absyrtus, -i, Aeetae, Colchorum regis filius, quem Medea soror, cum Iasone fugiens, secum duxit, quoque patrem persequentem retardaret, discerpsit, eiusque membra per mare dispersit, Ov. Trist. III. 9. 6. v. *Medea*.

Digitized by Google

Abydēnus, -a, -um, in, ex Abydo, vel ad Abydum pertinens, Ov. Her. XIX. 100 et al.

Abydenus, i. e. Leander, Ov. Her. XVIII. 1.

Abȳdus, et Abȳdos, -i, urbs in Asiatico Hellesponti litore e regione Sesti, quae urbs in litore Europaeo fuit sita, hodie *Abydo*; utraque vero Herus ac Leandri amore inclyta, Virg. Ge. I. 207. Ov. Her. XVIII. 12. 127. et al.

Acadēmus, -i, fuit civis Atticus, qui mille passus ab Athenis amoenissimos hortos possedit, qui locus nemorosus postea *Academia* dictus est, ubi Plato, qui prope habuit aedes, primus philosophiam docuit; hinc *inter Academi silvas*, idem est, atque in Academia, quo Horatius profectus philosophiae operam dedit, Hor. Ep. II. 2. 45.

Acămas, -antis, Thesei, Athenarum regis, e Phaedra filius, qui, cum Demophoonte fratre ad Troianum bellum profectus, unus e viris fuit, qui equo Troiano inclusi fuere, Virg. Aen. II. 262. Sab. ap. Ov. II. 23.

Acanthus, -i, nomen puellae Prop. IV. 5. 61.

Acarnan, -ānis, in vel ex Acarnania, vel ad Acarnaniam pertinens. Fuit autem *Acarnania* Graeciae regio, inter Aetoliam atque Epirum sita. cui postea fuit coniuncta, Virg. Aen. V. 298.

Acarnanum amnis, i. e. Achelous, quia Acarnaniam ab Aetolia separat, Ov. Met. VIII. 569.

Acastus, -i, Peliae, Thessaliae regis, filius, iaculandi peritissimus, fuit unus e Graeciae ducibus, ad Calydonium aprum occidendam accitis, deinde cum Argonautis in Colchidem profectus est. Inde autem ut rediit, Iolci in Magnesia, Thessaliae regione, regnasse, Peleumque, Phoci fratris caede pollutum, aqua lustrasse fertur, Ov. Her. XIII. 25. Fast. II. 40. Met. VIII. 306. sqq.

Acca Larentĭa (*), -ae, Faustuli pastoris uxor fuit, quae Romulum ac Remum lactasse atque educasse traditur. In eius honorem mense Decembri *Larentalia* festa fiebant, Ov. Fast. III. 55. IV. 854. V. 453. v. *Larentalia*. Fuit et *Acca* fidissima Camillae sodalis in bello adversus Aenean, Virg. Aen. XI. 820. sqq. et nomen puellae Prop. I. 21. 6.

Accĭus, Actĭus. s. Attĭus, (L.), -i, Romanus poëta tragicus, sententiarum gravitate, verborum pondere, et personarum auctoritate celeberrimus. Floruit circiter A. U. DC. Eius fabularum permulta fragmenta, in unum collecta, adhuc servantur, Hor. Sat. I. 10. 53. Ep. II. 1. 56. II. 3. 258. Ov. Am. I. 15. 19.

Acerrae, -arum, Campaniae

(*) Sic Heins. ad. Ov. Fast. III. 55., et Drakenb. ad Liv. I. 4. pro vulgari *Laurentia* legere malunt.

Digitized by Google

oppidum, ad Clanii fluminis ripas haud procul a Cremona situm; hodie idem nomen servat, Virg. Ge. II. 225.

Acesta, -ae, vetus Siciliae urbs, ab Aenea, cum in Italiam traiiceret, condita, in quam hic Troianos socios, longi erroris taedio captos, conscripsit. Nomen autem ab Aceste, Siciliae rege, ei dedit (*), Virg. Aen. V. 718. IX. 218.

Acestes, -ae, fuit Siciliae rex, Troiano sanguine oriundus. *Egesta* enim s. *Aegesta*, Troiana femina, ad Siciliam delata, ibique a Crimiso flumine compressa, Acesten peperisse fingitur. Aeneas autem, cum sociis huc appulsus, ab hoc benigne hospitio exceptus traditur, Virg. Aen. I. 195. (199.) 550. (554.) et al.

Achaemĕnes, -is, fuit primus Persarum rex, a quo Persici reges ad Darium, Hystaspis filium, originem duxere, et *Achaemenidae* dicti sunt, Hor. Od. II. 12. 21.

Achaemenĭdes, v. Achemenides.

Achaemenĭus, -a, -um, i. e. Persicus, s. Parthicus, ab Achaemene, primo Persarum rege, Ov. Art. Am. I. 226. Met. IV. 212. Prop. II. 10. 1.

Achaemenium costum, i. e. ex India per Parthorum terras Romam advectum, Hor. Od. III. 1. 44. cf. Epod. XIII. 12.

Achaeus et Achivus, -a, -um, in vel ex Achaia, ad Achaiam pertinens, id. q. Graecus. Fuerunt autem

Achaei, s. Achivi, Achaiae s. Graeciae incolae; quippe cum *Achaeus*, Xuthi e Creüsa filius, Argos atque Lacedaemonem occupasset, et Achaei, deinde a Doribus sedibus expulsi, Ionum loca, Peloponnesi partem ad Isthmum, cepissent, eam a suo Achaiam vocarunt; ob stirpis vero praestantiam omnes Graeci *Achaei* s. *Achivi*, et universa Graecia etiam *Achaia* dicta fuit. Hor. od. III. 3. 27. IV. 6. 18. al. Virg. Aen. I. 242. (246.) I. 266. Ov. Her. I. 21 et saepe. Cat. 64. 367. Prop. II. 7 7. Dicuntur etiam *Achaei* immanis populus Asiae in Ponti Euxini ora, qui praeternavigantibus insidias struere solebat, Ov. ex Pont. IV. 10. 27.

Achaeus, -i, Graecus poëta tragicus, vel potius comicus et satyricus, qui Olymp. LXXIV. 4. s. A. U. CCLXXIII floruit, cujus per hortum ambulantis capiti examen apum insedit, quod quum depellere vellet, ipsarum aculeis oculis privatus est. Ex eius scriptis pauca

(*) Cf. Cluv. Sicil. ant. p. 255. sqq., et Cl. Heyne ad L. V. Aen. Virg. Exc. I.

Digitized by Google

fragmenta supersunt. Ov. in Ibin 543. — Est quoque nomen Asiae regis cis Taurum, qui, cum Antiocho bellum gerens, ab hoc captus et crudeliter occisus est, capite amputato, et utri insuto; trunco autem iuxta Pactolum fluvium in crucem sublato, Ov. in Ibin 301.

Achaĭcus, s. Achaĭus, -a, -um, in vel ex Achaia, vel ad Achaiam pertinens, id. q. Graecus, Hor. Od. I. 15. 35. IV. 3. 5. Virg. Aen. II. 462. V. 623.

Achaĭa, s. *Achaia*, id. q. Graecia, Ov. Her. VIII. 13. XVI. 185. Met. IV. 605. VIII. 268. Prop. II. 21. 53. v. *Achaei*.

Achāis, -ĭdis, et Achaĭas, -ădis, quae est in vel ex Achaia s. Graecia, vel ad Achaiam s. Graeciam pertinet, Ov. Met. III. 511. V. 306. et al.

Achātes, -is, Troianus, unus e fidissimis Aeneae sociis, cum hic, capta Troia, Italiam peteret, Virg. Aen. I. 120. (124.) sqq. Ov. Fast. III. 603. et al.

Acheloïădes, contr. Acheloïdes, -um, sunt Sirenes, Acheloi filiae, Ov. Met. V. 552. XIV. 87.

Achelōis, -ĭdis, id. q. Nympha fontana, Pseudo-Virg. Cop. 15. v. *Acheloia pocula*.

Acheloĭus, -a, -um, ab Acheloo, vel ad Acheloum pertinens, Ov. Her. XVI. 265. Met. IX. 413.

Acheloia pocula, i. e. aqua, Virg. Ge. I. 9. Achelous enim propter fluminis antiquitatem pro quavis aqua ponitur, Ov. Fast. V. 343.

Achelōus s. Achelōos, -i, Oceani e Tethye filius, Sirenum e Melpomene Musa pater, cum Hercule de Deianira certavit; sed huic viribus impar, modo in serpentem, modo in taurum se mutavit, cuius cornu Hercules apprehensum diffregisse fingitur, quod postea cornu copiae dictum est. Fuit autem *Achelous* nihil aliud, quam antiquissimus fluvius, qui, e Pindo monte oriens Aetoliamque ab Acarnania dividens, in Ionium mare contra Echinades insulas exoneratur; qui cum incerto vagaretur cursu, modo in partes sectus, modo obliquo agmine circumactus, (unde tauri et serpentis formam induisse fertur,) diu Aetolis et Acarnanibus belli caussam de adiacente agro praebuit, donec Hercules certo alveo eum incluserit, et propterea Deïaniram, Oenei, Aetolorum regis, filiam in matrimonium acceperit, Ov. Her. IX. 139. Am. III. 6. 35. Fast. V. 343. Met. VIII. 543. sqq. Prop. II. 25. 33.

Achemenĭdes et Achaemenĭdes, -ae, unus ex Ulyssis sociis, Adamasti filius, qui, cum Troiam iter faceret, in Sicilia, in Cyclopis antro ab hoc relictus, postea ab Aenea, eo veniente, benigne receptus est, Virg. Aen. III. 614. sqq. Ov. Met. XIV. 161. ex Pont. II. 2. 25. in Ibin 417.

Achĕron, -ontis, dicitur a

Digitized by Google

poëtis inferorum fluvius, quem, qui Plutonis regnum adirent, prius traiicere debebant, quam eos, ad Minoëm, Rhadamanthum, et Aeacum, apud inferos iudices, ducebat via; hinc saepe pro ipsis inferorum locis ponitur. Fuerunt autem tres in primis huius nominis fluvii apud Veteres noti; sic enim appellabatur flumen Epiri, quod e Molosside fluens in Thesprotium sinum exonerabatur; alterum fuit in illa Italiae parte, quae hodie Calabria dicitur; tertium in Mariandynorum regione ad Heracleam urbem in Ponto. Quae flumina vel ob turbidam s. nigram aquam, vel vortices, vel ob tenebricosa atque timenda loca, quibus ambibantur, poëtis ad fingendum ansam praebuisse videntur(*), Hor. Od. I. 3. 36. III. 3, 16. Virg. Ge. II. 492. Aen V. 99. VI. 295. et al. Ov. Met. V. 541. XI. 504. Prop. III. 3. 35.

Acheronte refuso palus, Acherusia palus inter Misenum promontorium et Cumas, hodie *il lago di Coluccio* esse videtur, quam alii maris effusionem dixerunt, alii tamen hanc cum Averno lacu confuderunt, qui ex Acheronte, in imis terrae partibus collocato, exaestuare fingitur, Virg. Aen. VI. 107.

Acherontĭa, -ae, parva fuit urbs in Apuliae ac Lucaniae confinio, nidi ad instar in montis declivi haerens, hodie vulgo *Acerenza*, Hor. Od. III. 4. 14.

Achillĕides contr. Achillides, -ae, i. e. *Pyrrhus* s. Neoptolemus, Achillis filius, Ov. Her. VIII. 3., vel *Pyrrhus*, Epirotarum rex, ita dictus, quod ab Achille originem duceret, Ov. in Ibin 303. (†).

Achilles, -is, s. Achilleus, -ĕi, -i, et -čos, Graecorum ad Troiam longe fortissimus, Pelei e Thetide filius, Pyrrhi s. Neoptolemi pater, Phthiae, Thessaliae urbe, natus, et a Chirone Centauro, materno avo, educatus, musicen, medendique ac belli artes doctus fuit. Quum Troiam, absente Achille, capi non posse, hunc vero bello, quod adversus Troianos gereretur, occisum iri, Calchas vates cecinisset, a matre in Scyro insula inter Lycomedis regis filias virginali veste occultus aliquamdiu vixit, et e Deidamia, Lycomedis filia, Pyrrhum procreavit; sed Ulysses eum, armorum indicio cognitum, ad Troianum bellum duxit, ubi Hippodamia, ab Agamemnone sibi erepta, iratus pugna abstinuit ad Patrocli amici mortem usque, quo occiso, se Hectori in pugna obtulit, eumque interfecit, eiusque cadaver, pedibus currui alligatum,

(*) Cf. Callim. Hymn. in Delum, 291., et ibi Spanh. Paus. I. 15. et Cl. Heyne, Exc. 9. ad. Virg. Aen. VI.

(†) V. infr. *Aeacides*, N. 4.

Digitized by Google

ter circum Troiae moenia traxit, et sic Troia captu Graecis facilior redditа fuit. Tandem ipse Achilles a Paride, Apolline telum regente, confossus et in Sigeo promontorio sepultus est. Praeter Homerum, cui Achillis ira Iliadis argumentum fuit, Statius hunc heroëm carmine celebravit, quod *Achilleis* inscribitur, Hor. Od. I. 15. 34. et al. Virg. Ecl. IV. 36. Ge. III. 91. Aen. I. 30. (34.) et al. Ov. Her. III. 25. et saepe. Prop. 2. 1. 37. v. *Briseis*, *Hector*, *Telephus*.

Achillēus, -a, -um, ab Achille, vel ad Achillem pertinens, Virg. Aen. III. 326. Ov. Fast. V. 396. et al.

Achilleus mos, Ov. Trist. I. 1. 100. v. *Pelias hasta*.

Achilleus cothurnus, i. e. carmen heroicum, quale Homerus de ira Achillis scripsit. Prop. II. 25. 41.

Achillea humus, i. e. Achilleae ad Borysthenis ostium peninsulae, Ov. in Ibin. 332.

Achillīdes, v. Achilleides.

Achīvus, -a, -um, id. q. Achaicus, Graecus, v. *Achaeus*.

Acidalĭa, -ae, Veneris cognomen ab Acidalio fonte, qui erat Orchomeni, Boeotiae urbe, in qua Gratiae, Veneri sacrae, lavari fingebantur, Virg. Aen. I. 720. (724.)

Acis, -ĭdis, Siciliae fluvius, qui, ex Aetnae montis nemorosa radice haud longe a mari oritur, hodie *Freddo*, Ov. Fast. IV. 468. Poëtae autem hunc Pastorem, Fauni ac Symaethidis Nymphae filium, a Galatea adamatum, atque, postquam a Polyphemo, invidia tacto, interfectus est, in fluvium commutatum fingunt, Ov. Met. XIII. 750. sqq.

Acme, -es, Septimii puella. Tib. IV. 5. 1.

Acmon, -ŏnis, Clytii filius, Menesthei frater, Lyrnesso, Troadis urbe, oriundus, qui cum Aenea in Italiam profectus est, Virg. Aen. X. 128. — Est quoque unus e Diomedis comitibus, qui quum Turno auxilium adversus Aenean ferre cuperet, a Venere in avem mutatus fingitur, Ov. Met. XIV. 484. sqq.

Acmonĭdes, -ae, fuit unus ex Vulcani ministris, Iovi fulmina in Aetna monte cudentibus, Ov. Fast. IV. 288.

Acoetes, -ae, gubernator navis Tyrrhenorum nautarum, qui cum ceteri a Baccho in delphines mutarentur, unus servatus est, Ov. Met. III. 582. sqq.

Aconteus, -ĕi, Latinus, qui in bello Turni cum Aenea a Tyrrheno interficitur, Virg. Aen. XI. 612. 615. — Item unus e Persei sociis, qui tamen imprudenti Medusae capitis adspectu in lapidem est conversus, Ov. Met. V. 201.

Acontĭus, -i, iuvenis, qui e Cea insula in Delum ad Dianae sacra profectus, amore in Cydippen, nobilem ac divitem puellam, incensus fuit, quam in matrimonium ro-

Digitized by Google

gare cum non auderet, in malo iusiurandum inscripsit, idque in Dianae templo ante virginis pedes proiecit, quod tollens, quaeque ei inscripta erant, legens, se Acontio nupturam imprudens iuravit. Patre autem, huius rei inscio, filiam alteri despondente, Cydippe febri correpta fuit, quae non ante cessavit, quam iuriiurando satisfaciens Acontio nupserit, Ov. Her. XX. 239. sqq. Trist. III. to. 73.

Acrăgas, -antis, Latinis *Agrigentum*, fuit Siciliae urbs maritima in rupe condita, haud procul a Pachyno promontorio, hodie vulgo *Gergenti*, Virg. Aen. III. 703. Ov. Fast. IV. 475.

Acrisionēus, -a, -um (*), ab Acrisio, vel ad Acrisium pertinens. *Acrisionei coloni*, i. e. ex urbe Argis, Virg. Aen. VII. 410. (†).

Acrisioneae arces, i. e. Argos, quod Acrisius tenuit. Ov. Met. V. 239.

Acrisiniădes, -ae, i. e. Perseus, Danaës filius, Acrisii nepos, Ov. Met. V. 69.

Acrisĭus, -i, fuit Argivorum rex, Abantis ex Ocalia filius, Danaës pater, Persei avus, cui quum Oraculum, se nepotis manu interiturum, respondisset, Danaën quo facilius ab adulterorum insidiis defenderet, munitae turri inclusit; Iupiter vero, in aureum imbrem mutatus, per tectum in Danaës sinum descendit, unde gravida facta Perseum peperit. Quo Acrisius cognito Danaën cum filio intra arcam inclusam in mare abiici iussit; nihilominus postea a Perseo imprudente disco interfectus est, Hor. Od. III. 16. 5. Virg. Aen. VII. 372. Ov. Art. Am. III. 631. Met. IV. 607. v. *Danaë* et *Perseus*.

Acroceraunĭa, quae et Ceraunĭa, -orum, Epiri montes, inter Adriaticum et Ionium mare siti, a crebris fulminibus, quibus altitudine sua expositi erant, nomen habentes, Hor. Od. I. 3. 20. (§). Ov. Rem. Am. 739.

Acron, -ontis, fuit antiquus rex Caeninae, Sabinorum urbis, quem Romulus vicit. Prop. IV. 10. 7.

Acrŏta, -ae, fuit Albanorum rex, Tiberini filius, Remuli Silvii frater, Ov. Met. XIV. 617.

Actaeon, -ōnis, Aristaei ex Autonoë filius, Cadmi nepos, qui cum in venatu Dianam in Gargaphie valle inscius ad fontem nudam vidisset, ab irata dea in cervum mutatus, et a suis ipsius canibus discerptus fingitur, Ov. Her. XX. 103. Met. III. 230. sqq.

Actaeus, -a, -um, id. q. Aticus, vel Atheniensis, ita dictus ab Actaeo, primo rege in ea regione,

(*) Alii *Acrisionaeus*, quod Heyne damnat ad Virg. Aen. l. l.
(†) Cf. Heyne, Exc. 7 ad Virg. Aen. L. VII.
(§) Alii h. l. *alta Ceraunia* legere malunt, v. Bentl. l. l.

Digitized by Google

quae postea Attica nominata est (*), Virg. Ecl. II. 24. Pseudo-Virg. Cir. 102. 105. Ov. Her. II. 6. Met. I. 313. II. 554. et al.

Actaea, i. e. Orithyia, Erechthei, Athenarum regis, filia, Ov. Met. VI. 711.

Actaei ignes, i. e. Orithyiae Atheniensis amor, Ov. Her. XVIII. 42.

Actaeae arces, i. e. Athenae, Ov. Met. II. 720. ex Pont. IV. 1. 31.

Actiăcus et Actĭus, -a, -um, ab Actio, vel ad Actium pertinens. Fuit autem *Actium* urbs et promontorium Epiri, ubi Octavianus ab Antonio ac Cleopatra navali proelio gloriosissimam reportavit victoriam, pacemque Rom. imperio, continuis civilibus bellis profligato, reddidit, atque huius victoriae caussa vetus Apollinis templum instauravit atque ampliavit, Hor. Ep. I. 18. 61. Virg. Aen. III. 280. Ov. Her. XV. 166. 185. Prop. II. 13 38.

Actiacus et *Actius*, Apollinis cognomen, ab Actio, ubi colebatur, Ov. Met. XIII. 715. Virg. Aen. VIII. 704.

Actiacae frondes, i. e. laureae, Apollini Actio sacrae, Ov. Fast. I. 711.

Actia rostra sunt navium, quae in Actiaco proelio captae erant. Prop. II. 1. 34.

Actĭas, -ădis, i. e. Orithyia, Erechthei, Athenarum regis, filia, Virg. Ge. IV. 463.

Actĭus, -i, Poëta tragicus, v. *Accius*.

Actor, -ŏris, unus e Troianis, qui cum Aenea in Italiam profecti sunt, Virg. Aen. IX. 500. Item Auruncus, cuius hastam Turnus, vi correptam, quassat, Virg. Aen. XII. 94. 96.

Actorĭdes, -ae, i. e. Patroclus, Actoris nepos, Ov. Art. Am. I. 743. Fast. II. 39. Met. XIII. 273. Trist. I. 9. 29. et saep. al.

Actorides dicitur Erithos, Actoris filius, a Perseo occisus, Ov. Met. V. 79.

Actoridae pares, i. e. Cteatus et Eurytus, Actoris, Elidis regis, ex Molione filii, Ov. Met. VIII. 308.

Actoridae sunt Menoetius, et Patroclus, quorum ille Actoris filius, hic eius nepos fuit, Ov. ex. Pont. II. 4. 22.

Adimantus, -i, dicitur Phliuntis, Achaiae urbis, rex, Ov. in Ibin. 329.

Admētus, -i, fuit Pheraeorum in Thessalia rex, Pheretis filius, qui Alcesten uxorem, Pelianque socerum habuit, et cuius armenta Apollo novem annos pavisse fertur, Pseudo-Virg. in Cul. 263. Ov. Art. Am. II. 239. et al. Tib. 2. 3. II. 3. 4. 67. Prop. II. 5. 15. v. *Alcestes*.

(*) Cf. Pausan. I. 2. Vel ab ἀκτή litus, quod Attica maxima ex parte ad litus est sita, et utrinque mari alluitur. Vid. Stephan. de Urb. in voce ἀκτή, et qui ibi ab interpp, citantur.

Digitized by Google

Ādōnis, -is, et -ĭdis, Cinyrae, Cypri regis, filius, quem ex sua filia Myrrha s. Smyrna procreavit. Hic cum ob formam a Venere adamaretur, Mars invidia tactus, se in aprum mutavit, eumque, in venatione dente percussum, interfecit, ex cuius cruore anemone flos Veneris ope enatus fuisse fingitur. Virg. Ecl. X. 18. Ov. Art. Am. I. 75. 512. Met. X. 532. sqq. Prop. II. 10, 53.

Adrastēa, -ae, quae et *Nemesis* et *Rhamnusis*, dea scelerum ultrix, dicta ab Adrasto, qui cum Thebas peteret, primus ei templum exstruxisse fertur. Pseudo-Virg. Cir. 239. v. *Rhamnusis*.

Adrastus, -i, fuit Argorum rex, Talai filius, ad quem cum Polynices, a fratre Thebis, et Tydeus, Calydone expulsi, auxilium rogatum venissent, ex Oraculi responso huic quidem Deipylen, illi vero Argiam, filias, in matrimonium dedit, iniuriamque, Polynici illatam, ulturus, cum exercitu et sex ducibus ad Thebas profectus est: rebus autem male gestis, et Eteocle, Thebarum rege, Polynicis atque Argivorum corpora sepulturae iure interdicente, Adrastus Theseum, Athenarum regem, supplex adiit, qui caesorum humationem a Thebanis impetravit. De hoc bello cecinerunt Euripides in Phoenissis, et Papinius Statius in Thebaide. Virg. Aen. VI. 480. Ov. ex Pont. I. 3. 79. Prop. II. 25. 37.

Adrasti genus, i. e. Diomedes, quem Tydeus e Deipyle, Adrasti filia, genuit. Ov. Fast. VI. 433.

Adrĭa, v. Hadria.

Adriăcus, Adriānus, Adriatĭcus, v. Hadriacus rell.

Aeacideĭus, -a, -um, ab Aeaco, vel ad Aeacum pertinens. Ov. Met. VII. 472.

Aeacĭdes, -ae, unus ex Aeaci posteris. Sic plures dicti fuerunt: 1.) *Phocus*, Aeaci e Psamathe Nereide filius, Ov. Met. VII. 668. *Peleus*, Ov. Met. XI. 227. sqq. *Peleus* ac *Telamon*, Aeaci filii, ex Endeide, Chironis filia. Pseudo-Virg. Cul. 296. Ov. Met. VIII. 4. XII. 363. — 2.) *Achilles*, Pelei filius, Aeaci nepos. Virg. Aen. I. 99. (104.) VI. 58. Ov. Her. I. 35. III. 87. Met. XII. 82. 96. et al. *Achilles* et *Aiax*. Ov. Met. XIII. 33. — 3) *Pyrrhus*, Achillis filius, Aeaci pronepos. Virg. Aen. III. 296. Ov. Her. VIII. 7. 55. — 4) *Perseus*, Macedoniae rex, vel potius *Pyrrhus*, Epiri rex (*), Aeacidae regis filius, qui per longam seriem a Pyrrho, Achillis filio, originem ducebat. Virg. Aen. VI. 840.

Aeăcus s. Aeăcos, -i, Iovis ex Aegina filius, Oenopiae insulae rex, quam a matre Aeginam appellavit; cuius incolae cum pestilentia deleti essent, Iupiter, Aeaci preci-

(*) Cf. Cic. de Offic. XII. et Cl. Heyne, l. l.

Digitized by Google

bus commotus, formicas in homines mutasse fertur, qui Myrmidones dicti sunt. Fuit autem *Aeacus* pietate tam conspicuus, ut mortuus in inferis locis animarum, ex Europa advenientium, iudex constitutus fingeretur. Hor. Od. II. 13. 22. IV. 8. 25. Ov. Met. VII. 474. et al. Prop. II. 16. 30.

Aeaci genus, i. e. Peleus, Telamon, et inde prognati Achilles, Aiax, Teucer. Hor. Od III 19. 3.

Aeaeus, -a, -um, in, vel ex Aeaea, vel ad Aeaeam pertinens, quae fuit Italiae adversus Siciliam insula, quam Circe inhabitavit, eique nomen ab Aea, Colchidis urbe, ubi nata erat, imposuit; postea autem cum continenti coaluit, et a Romanis *Circeii* dicta fuit. Virg. Aen. III. 386. Ov. Met. IV. 205. v. *Circe*.

Aeaci Telegoni moenia, i. e. Tusculum, a Telegono, Circes filio, conditum. Prop. II. 23. 42.

Aeaea venefica et *puella*, i. e. Circe, quod in ea insula habitasse fertur. Ov. Am. III. 7. 79. Prop. III. 10. 31.

Aeaea carmina et *Aeaeae artes* sunt magica, qualibus Circe usa est. Ov. Am. I. 8. 5. II. 15. 10.

Aeas, -antis, Epiri fluvius, qui, de Pindo monte delapsus, Apolloniam praeterfluit, et in Ionium mare defertur. Ov. Met. I. 580.

Aeētes, s. Aeēta, -ae, fuit Colchidis rex, Solis e Perseide s. Perse Nympha filius, Circes Pasiphaësque frater, Medeae, Absyrti ac Chalcyopes pater. Ov. Her. VI. 50. XII. 29. XVII. 231. et al. v. *Iason*, *Medea*.

Aeetae filia, i. e. Medea. Ov. ex Pont. III. 1. 120.

Aeetaeus, -a, -um, ad Aeeten, Colchidis regem, pertinens.

Aeetaei fines, i. e., Colchis. Cat. 64. 3.

Aeetĭas, -ădis, et Aeētis, ĭdis, i. e. Medea, Aeetae filia. Ov. Met. VII. 2. 296. 326.

Aeetīne, -es, id. q. Aeetias. Ov. Her. VI. 103.

Aegaeon, -ōnis, a diis *Briareus* dictus (*), fuit Coeli et Terrae filius, unus e Gigantibus, qui contra Iovem arma tulere. Centum autem manus, quinquaginta capita habuisse fertur; fingitur praeterea deus marinus, a quo mare *Aegaeum* nonnulli dictum volunt. Virg. Aen. X. 565. Ov. Met. II. 10.

Aegaeus, -a, -um, in vel ex Aegaeo mari, vel ad Aegaeum mare pertinens, quod mediterranei maris pars fuit, Europam ab Asia separans, alluitque Graeciam, Macedoniam, Cariam, atque Ioniam; ob tempestates, scopulos, et vada navigantibus periculosissimum, hodie *Archipelagus* dicitur. Hor. Od. II. 16. 2. III. 29. 63. Ep. I. 11. 16.

(*) Homeri Il. a. 404.

Digitized by Google

Virg. Aen. XII. 366. Ov. Her. XVI. 116. et saepe. Tib. I. 3. 1. Prop. I. 6. 2.

Aegaeus Neptunus, i. e. in Aegaeo mari sedem habens. Virg. Aen. III. 74. Pseudo-Virg. Cir. 474.

Aegeus, -ĕi, et-ĕos, fuit Athenarum rex, Pandionis filius, Thesei pater. Qui quum Androgeo, Minois secundi filio, interfecto, a Minoë bello victus esset, ex pacto quotannis septem iuvenes, totidemque puellas, a Minotauro devorandos, in Cretam mittere debebat; tertio autem anno sors ipsi Theseo obtigit, qui Ariadnes ope Minotaurum interfecit. Theseus igitur incolumis rediens, alba vela, quae pandere patri promiserat, non tetendit, quapropter Aegeus, eminus nigra videns vela, et inde filium occisum ratus, se in mare praecipitavit. Ov. Her. X. 131. Fast. II. 41. Met. VII. 402. sqq. Cat. 64. 213. v. *Androgeus*.

Aegīdes, -ae, unus ex Aegei posteris. Ov. Her. II. 67. Sic quoque dicitur Theseus, Aegei filius. Ov. Her. IV. 59. XVI. 325. Trist. V. 4. 26. et al.

Aegīna, -ae, Asopi filia, quae e Iove Aeacum peperit, qui Oenopiam, insulam inter Atticam ac Peloponnesum, a matre Aeginam vocavit. Ov. Met. VII. 474. 616. cf. 674. Pseudo-Virg. Cir. 477.

Aeginae nepos, i. e. Peleus, Aeaci filius. Ov. Her. III. 73.

Aegis, -ĭdis, dicitur Iovis clypeus, Amaltheae caprae pelle obductus, quem vibrando Gigantibus, quum coelum adscendere conarentur, terrorem iniecit. Iupiter hanc Aegida Minervae dono dedit, quae Medusae Gorgonis caput ei imposuit, quod qui intuerentur, statim in lapides mutabantur. Hor. Od. I. 15. 11. III. 4. 57. Virg. Aen. VIII. 354. 435. Ov. Met. II. 755.

Aegissos s. Aegypsos, -i, fuit urbs in Moesia inferiore, ad Istrum fluvium sita, ab Aegisso s. Aegypso, e Caspiorum gente oriundo, condita. Ov. ex Pont. I. 8. 15. VI. 7. 21. et 53.

Aegisthus, -i, Thyestae filius, quem e filia Pelopea procreavit. Adulta aetate, interfecit Atreum avunculum et Agamemnonem, Clytaemnestrae maritum, cum qua, dum coniux in bellum Troianum profectus erat, in adulterio vixerat, et in sceleris praemium Mycenarum regnum accepit, Clytaemnestramque uxorem duxit; post septem annos vero ab Oreste, Agamemnonis filio natu maximo, ipse occisus est. Ov. Her. VIII. 53. Rem. Am. 161. Trist. II. 396. v. *Agamemnon*, *Atreus*, *Orestes*.

Aegle, -es, Nympha, Solis et Neaerae filia, Naiadum pulcherrima. Virg. Ecl. VI. 21.

Aegyptius, -a, -um, in vel Aegypto, vel ad Agyptum pertinens. Ov. Am. III. 9. 33. Met. V. 323.

Aegyptia coniux, i. e. Cleopatra, Aegypti regina, Antonii uxor superba, luxuriosa et impudica, quae

Digitized by Google

post Ptolemaei mariti mortem Antonio Triumviro nupsit. Ab Octavio ad Actium victa, ne in triumpho populo ludibrio esset, serpente pectori admoto, eius veneno interfecta est, Virg. Aen. VIII. 688. Ov. Met. XV. 826.

Aegyptus s. Aegyptos, -i, fuit Aegypti rex, Beli ex Achinoë filius, qui quinquaginta habuit filios, quos totidem filiabus Danai fratris in matrimonium dare voluit. Quod cum Danaus recusasset, et Argos coloniam deduxisset, Aegyptus, cum filiis eum insecutus, suis filiis filias nuptui collocare coëgit, quo facto hae omnes prima nocte patris iussu maritos interfecerunt, excepta Hypermnestra, quae Lynceo pepercit. Ov. Art. Am. I. 178. ex Pont. III. 1. 121. v. *Hypermnestra*.

Aegyptus s. Aegyptos, -i, Africae regio, ad mare mediterraneum sita, quae in tres partes Delta, Heptanomidem, Thebaidemque divisa fuit, Nilo flumine nobilis. Hodie idem nomen servat. Virg. Ge. IV. 209. 291. Ov. Art. Am. I. 647. 652. Cat. 66. 33. Prop. II. 1. 31. Huius regionis regina Cleopatra, Antonio Triumviro nupta, bellum cum populo Romano gessit, et ab Augusto victa, serpente corpori admoto, periit; hinc *Aegyptus* ponitur pro Cleopatrae exercitu. Virg. Aen. VIII. 687. 705.

Aelĭnon, -i, dicitur carmen lugubre, quod Apollo, exstincto Lino filio, cecinisse fertur (*). Ov. Am. III. 9 23.

Aelĭus. v. Lamia.

Aelia Galla. v. Galla.

Aëllo, -us, una e tribus Harpyiis. Ov. Met. XIII. 710. Sic etiam dicitur Actaeonis canis. Ov. Met. III. 219.

Aemathia, Aemathides, Aemathius. v. Emathia, rell.

Aemilĭus, -a, -um, Romanae gentis nomen. Item homo impurus. Cat. 97.

Aemilius ludus, i. e. gladiatorius ludus M. Aemilii Lepidi. Hor. Ep. II. 3. 32.

Aemilia ratis, i. e. Aemilii Pauli navis. Prop. III. 2. 8.

Aemonia. v. Haemonia.

Aemus. v. Haemus.

Aeneădes, (†) -ae, unus ex Aeneae posteris. Sic dicitur a) *Ascanius*, Aeneae filius. Virg. Aen. IX. 653. b) *Troiani*, Aeneae socii. Virg. Aen. I. 157. (161.) 565. (569.) III. 18. et al. c) *Augustus*, ex Aeneae stirpe prognatus. Ov. ex Pont. I. 1. 35. d) *Romani*, ab Aenea genus ducentes. Virg. Aen.

(*) Est enim quasi αἰ heu! et Λίνος Linus.

(†) Perperam in nonnullis *Aenides*, vel *Aeneides* legitur. v. Cl. Heyne ad Virg. Aen. IX. 654.

Digitized by Google

VIII. 648. Ov. Fast. IV. 161. Met. XV. 682. sqq.

Aenēas, -ae, Troianus ille heros, cuius adventum in Italiam Virgilius carmine, quod *Aeneis* inscribitur, celebravit, Anchisae et Veneris filius, Ascanii ex Creüsa, Priami regis filia, pater, qui Troia, a Graecis capta, classe profectus, post multa ac varia fata et septem annorum iter in Latium pervenit, Turnoque devicto, Laviniam, Latini regis filiam, uxorem duxit, et ita Romanae gentis auctor fuit. Post mortem Veneris beneficio inter deos est relatus. Hor. Od. IV. 6. 23. IV. 7. 15. Virg. Aen. I. 92. (96.) et al. Ov. Her. VII. 9. et saepe. Tib. II. 5. 19. Prop. II. 25. 63. v. *Lavinia*, *Silvius*, *Turnus*.

Aenea genus demissum, i. e. Augustus. Hor. Sat. II. 5. 63.

Aenēas Silvius fuit tertius rex Albae Longae. Virg. Aen. VI. 769. v. *Silvius*.

Aenēis, -ĭdos, dicitur carmen illud Epicum Virgilii poëtae, Aeneae adventum in Italiam continens. Ov. Trist. II. 533. ex Pont. III. 4. 84.

Aeneĭus, -a, -um, ab Aenea, vel ad Aenean pertinens. Virg. Aen. VII. 1. X. 156. 494. Ov. Am. I. 15. 21. Met. XIV. 581.

Aeolĭdes, -ae, unus ex Aeoli, Ventorum regis, posteris. Vocantur 1) sic eius *filii*, a) *Sisyphus*. Hor. Od. II 14. 20. Ov. Met. XIII. 26. b) *Athamas*. Ov. Met. IV. 511. c) *Salmoneus*. Ov. in Ibin 475. d) *Misenus*. Virg. Aen. VI. 164. Ov. Met. XIV. 103. e) *Macareus*, qui cum Canace sorore concubuit, Ov. Met. IX. 506. (*). — 2). *Aeoli nepotes*: a) *Ulysses*, quod Anticlea mater ante Laërtae nuptias cum Sisypho, Aeoli filio, rem habuit, unde Ulysses natus dicitur. Virg. Aen. VI. 529. b) *Cephalus*, Deionis s. Deionei filius. Ov. Met. VI. 681. VII. 672. — 3) *Aeolides* vocatur *Clytius* Troianus, quod ex Aeolia regione erat. Virg. Aen. IX. 774.

Aeolidae dicuntur sex Aeoli filii, quibus pater sex sorores nuptum dedisse fertur (†). Ov. Met. 9. 506.

Aeŏlis, -ĭdis et -ĭdos, una ex Aeoli posteris. Dicuntur sic *Canace*, Ov. Her. XI. 5 et 34. et *Halcyone*, Aeoli filiae. Ov. Met. XI. 443. 573.

Aeolĭus, -a, -um, varias habet significationes. 1) ex Aeolia, vel ad Aeoliam pertinens. Fuit autem *Aeolia* Asiae minoris regio, ad Aegaeum mare sita. Ov. Met. VII. 357.

Aeolia puella, i. e. Sappho, Lesbia poëtria, quod Lesbos insula ad Aeoliam pertinebat, Hor. Od. IV. 9. 12.

(*) H. l. ex poëtarum licentia multitudinis numerus adhibetur, quamvis de uno Macareo sermo sit.

(†) Cf. Hom. Odyss. κ. 6. sq.

Digitized by Google

Aeolia fides s. *Aeolia lyra*, i. e. Lesbia, Hor. Od. II. 13. 24. Ov. Her. XV. 200. Am. II. 18. 25.

Aeolium carmen. i. e. Alcaei et Sapphus lyrica carmina, vel quod in carminibus Aeolica dialecto usi sunt, vel quia Lesbo insula oriundi erant. Hor. Od. III. 30. 13. IV. 3. 12.

Aeolium plectrum, i. e. lyra. Prop. II. 2. 29.

II). Ab Aeolo, vel ad Aeolum, Ventorum regem, pertinens. Virg. Aen. V. 791. Ov. Am. III. 12. 29. Art. Am. I. 634. Fast. II. 456.

Aeolius Tyrannus, i. e. Aeolus, ventorum rex. Ov Met. XIV. 232.

Aeolia virgo, i. e. Canace, Aeoli filia, quae e Neptuno, in iuvencum mutato, compressa fingitur. Ov. Met. VI. 116.

Aeolia Helle, i. e. Athamantis filia, Aeoli neptis. Ov. Trist. I. 10. 15.

Aeolii postes, i. e. Athamantis, Aeoli filii. Ov. Met. IV. 486.

Aeolii venti, i. e. ab Aeolo accepti. Tib. IV. 1. 58.

III.) in vel ex Aeoliis insulis, vel ad Aeolias insulas spectans, quae, septem numero inter Siciliam et Italiam sitae, Vulcaniae et Lipareae dictae fuerunt. Virg. Aen. V. 79. VIII. 416. 454. Ov. Am. III. 12 29. Met. I. 262.

Aeolia dicitur Strongyle, e septem Aeoliis insulis una, hodie *Stromboli*, quam Aeoli sedem ac regiam fuisse tradunt. Alii tamen per Aeoliam *Liparam* insulam intelligi volunt. Egregie autem e loci natura Virgilius hanc, vel illam, ventorum patriam nominavit, quod antra, quae etiam nunc supersunt in montibus, qui antea ignem evomuerunt, maxime ventis patebant. Virg. Aen. I. 52. (56.) X. 38.

Aeŏlus s. Aeŏlos, -i, fuit Ventorum rex, Iovis filius, e Segesta, Hippotae filia, qui in Aeoliis insulis, inter Siciliam et Italiam, sedem et regiam habuisse, ventosque, antris inclusos, continere et ad Iovis voluntatem emittere fingitur. Hor. Od. I. 3. 3. Virg. Aen. I. 52. (56.) et al. Ov. Her. X. 66. Met. XI. 748. XIV. 223. et al. Ita quoque vocatur unus ex Aneae comitibus, Lyrneso s. Lyrnesso, Troadis urbe, oriundus, qui a Turno caesus narratur. Virg. Aen. XII. 542.

Aequi. v. Falisci.

Aequiculus, (*) -a, -um, ad Aequos, s. Aequiculos pertinens. Fuerunt autem *Aequi*, s. *Aequiculi* antiqua Italiae gens agrestis et fera, quae, Sabinis, Marsis et Hernicis contermina, Cliternum urbem inhabitavit, et a Q. Cincinnato Dictatore, deinde ab A. Postumio Tuberto, item Dictatore, victa est. Virg.

(*) Alii *Aequicolus*, quod damnat Heins. et Heyne l. l.

Digitized by Google

Aen. VII. 747. Ov. Fast. III. 94. VI. 721.

Aërŏpe, -es, Cratei filia, Atrei, Mycenarum regis, uxor, cum qua Thyestes, Atrei frater, adulteravit. Ov. Trist. II. 3. 91. v. *Thyestes*, *Atreus*.

Aesăcus s. Aesăcos, -i, Priami ex Alexirhoë Nympha filius, qui, Asterope, quam adamabat, anguis morsu mortua, in mare se praecipitavit, et in mergum avem commutatus dicitur. Ov. Met. XI. 762. 791. v. *Cebrenis*.

Aesarĕus, -a, -um, ab Aesare, vel ad Aesarem flumen pertinens. Ov. Met. XV. 54.

Aesar, -ăris, fluvius in Italiae parte, quae Calabria dicitur. Olim per Crotonam urbem fluebat, postea vero longe a muris praeterlabebatur, hodie *Esaro*. Ov. Met. XV. 23.

Aeschўlus, -i, Graecus poëta, Eleusine in Attica natus, Tragoediarum auctor, qui circa Olymp. LXXI. s. A U. CCLVIII. obiit, quem Romani post belli Punici secundi finem imitari coepere. Ex eius tragoediis septem tantum ad nostram aetatem pervenerunt. Hor. Ep. II. 1. 163. II. 3. 279.

Aesculapĭus, v. *Coronides*, *Epidaurius*.

Aeson, -ŏnis, Crethei e Tyrone Nympha filius, Iasonis e Polymede pater, qui, cum senex esset, Medeae veneficiis iterum iuvenis factus esse dicitur. Ov. Met VII. 162. 252. ex Pont. I. 4. 23. 46.

Aesonĭdes, -ae, i. e. Iason, Aesonis filius. Ov. Her. VI. 25. 103. XII. 16. et al. Prop. I. 15. 17.

Aesonĭus, -a, -um, ab Aesone, vel ad Aesonem pertinens. Ov. Her. XII. 134. et al.

Aesonius iuvenis, dux, et *heros*, i. e. Iason. Ov. Her. XII. 66. Am. I. 15. 22. Met. VII. 156.

Aesonia domus, i. e. Iasonis. Prop. III. 9. 12.

Aesōpus, -i, hic loci est nobilis tragoediarum histrio, Ciceroni atque Pompeio amicus, admodum locuples, et luxuriosus. Hor. Ep. II. 2. 182. Huius filius *Claudius Aesopus* hereditatem ducenties sestertium, (1 500 000 florenorum), a patre sibi relictam, decoxit, fuitque adeo prodigus, ut unionem decies sestertium (75,000 flor.), aceto liquefactum, absorberet. Hor. Sat. II. 3. 239.

Aesquiliae, Aesquilinus, v. Exq.

Aesŭla, -ae, Latii urbs, inter Praeneste et Tibur in montis declivi sita, cuius iam Plinii tempore nulla vestigia superfuere. Hor. Od. III. 29. 6.

Aethalĭon, -ōnis, unus e Tyrrhenis nautis, qui a Baccho in delphines mutati referuntur. Ov. Met. III. 647. in Ibin 623.

Aethĭops, -ŏpis, qui est ex Aethiopia, Africae regione, Aegypto contermina. Virg. Ecl. X. 69. Gc. II. 120. Aen. IV. 481. Ov.

Digitized by Google

Met. l. 778. ll. 236. et al. Cat. 66. 52.

Aethiops, i. e. Aegyptius. Hi enim Aethiopum nomine interdum comprehenduntur; respexit autem poëta ad Cleopatram, Aegypti reginam, quae, Antonio Triumviro nupta, imperio Romano bellum intulit. Hor. Od. III. 6. 14.

Aethon, -ōnis, unus e quartuor equis, qui solis currui iuncti dicuntur. Ov. Met. II. 153. Sic quoque Pallantis, Euandri filii, equus vocatur, qui dominum interfectum deflevisse fertur. Virg. Aen. XI. 89.

Aethra, -ae, Pitthei, Troezeniorum regis, filia, Aegei uxor, Theseique mater, quae cum Helena Troiam abducta, et hac urbe capta, ab Acamante et Demophoonte nepotibus, Thesei filiis, reducta dicitur. Ov. X. 131. XVI. 257. XVII. 150. 267. Est quoque diversa ab hac *Aethra*, Oceani filia, quae, Atlanti nupta, Hyadum mater fuit. Ov. Fast. V. 171.

Aethrae nepos, i. e. Hippolytus, Thesei filius. Ov. in Ibin 579.

Aetna, -ae, et Aetne, -es, maximus Siciliae mons ignivomus, sub quo Enceladus, Typhoeus s. Typhon et Briareus, Gigantes, a Iove fulmine percussi, iacere flammasque exspirare, et cum membra movent, terrae motus excitare finguntur, hodie *Gibello* vocatur. Hor. Od. III. 4. 76. Ep. XVII. 33. et al. Virg. Ge. I. 472. IV. 173. Aen. III. 571. et al. Ov. Her. XV. 11. Rem. Am. 491. et al. Prop. III. 1. 45.

Aetnaeus, -a, -um, in vel ex Aetna, vel ad Aetnam pertinens. Virg. Aen. VII. 786. Pseudo-Virg. Cul. 330. Ov. Her. XIV. 12. et al. Tib. IV. 1. 196.

Aetnaeus pastor, i. e. Polyphemus Cyclops. Ov. in Ibin 271.

Aetnaea tellus et *rupes*, i. e. Sicilia, in qua Aetna est sita. Ov. Met. VIII. 260. Tib. IV. 1. 56.

Aetnaeum fulmen, i. e. in Aetna monte a Cyclopibus fabricatum. Ov. Art. Am. III. 490. Prop. III. 15. 21.

Aetnaei fratres sunt Cyclopes. Virg. III. 678.

Aetnaea antra sunt ignivoma. Virg. Aen. VIII. 419.

Aetolĭa, -ae, Graeciae pars, inter Acarnaniam, Locridem et sinum Corinthium. Ov. Am. III. 6. 37.

Aetōlis, -ĭdis, quae est ex Aetolia, vel ad Aetoliam pertinet. Ov. Her. IX. 131.

Aetolĭus, contr. Aetōlus, -a, -um, in vel ex Aetolia, vel ad Aetoliam spectans.

Aetolus et *Aetolius heros*, i. e. Diomedes, Tydei, Aetoliae regis, filius, qui ante, quam in Apuliam se conferret, atque ibi sedem poneret, Aetoliae rex et ipse fuit. Virg. Aen. XI. 428. Ov. Met. XIV. 461.

Aetola cuspis, et *Aetola arma*, i. e. Diomedis. Ov. Rem. Am. 159. Met. XIV. 528.

Digitized by Google

Aetola urbs, i. e. Arpi, Apuliae urbs, ab Aetolis sub Diomede condita. Virg. Aen. XI. 239. cf. Aen. X. 28.

Aetolae plagae ponuntur pro retibus optimis. Meleager enim aprum, a Diana in Aetoliae agros immissum, eosque vastantem, validis retibus irretitum interfecerat. Hor. Ep. I. 18. 46.

Afer, -fra, -um, in vel ex Africa, vel ad Africam pertinens. Hor. Od. II. 1. 26. III. 3. 47. Sat. II. 4. 58. Virg. Ecl. I. 65. Ge. III. 344. Ov. Her. VII. 169.

Afer dirus vocatur Annibal, Carthagine oriundus. Hor. Od. IV. 4. 42.

Afer murex, i. e. qui ad Phoenices litora capiebatur, et e cuius succo purpureus fiebat color. Hor. Od. II. 16. 35.

Afra avis, i. e. Gallina Numidica, quae quod rara erat, luxuriosis Romanis magni fuit et magno comparabatur pretio. Hor. Epod. II, 53.

Afri serpentes ponuntur pro pessimis s. maxime venenatis. Hor. Sat. II. 8. 95.

Afri sitientes dicuntur, quia maxime Africa est solis caloribus exposita. Virg. Ecl. I. 65.

Afra regna, i. e. Carthago et Numidia. Prop. IV. 11. 30.

Afrānius (L.), -i, poëta comicus egregius, qui, Menandrum feliciter imitatus, Graecas eius fabulas Latine reddidit, e quibus multis nonnulla duntaxat fragmenta hodie supersunt. Floruit autem circa A. U. DCLX. Hor. Ep. II. 157.

Afrĭca, -ae, fuit olim tertia, nunc quinta, pars terrarum orbis, quae sinu Arabico, Occano Atlantico, mari Mediterraneo, et Oceano Australi finiebatur, et leonum, tigrium aliarumque bestiarum feracissima erat, frumentoque adeo fertilis, ut Sicilia, Sardinia et Africa, tria Italiae horrea vulgo dicerentur. Hor. Od. III. 16. 31. Sat. II. 3. 87. Ov. Fast. I. 593. Tib. II. 3. 58. Prop. III. 18. 4.

Africa tonsa, i. e. Africani, in servorum morem capite tonso. Prop. IV. 11. 38.

Africānus (P. Corn. Scipio), maior, Annibalis in Africa victor. Hor. Epod. IX 25 (*). v. *Scipio*.

Afrĭcus, -a, -um, in vel ex Africa, vel ad Africam pertinens.

Africus, ventus ab Africa inter meridiem ac occasum flans, procellosus, et admodum nocens. Hor. Od. I. 1. 15. 3. 12. 14 5. et al. cf. Od. III. 29. 57. Virg. Aen. I. 86. (90).

Agamemnon, -ŏnis, fuit

(*) Alii de Scipione Africano minore poëtae locum intelligunt, verumtamen minus recte, ut illic sqq. versus docent.

Digitized by Google

Mycenarum rex, Plisthenis filius(†), cum Menelao fratre ab Atreo avo adoptatus, Orestis, Electrae, Iphigeniae, Laodiceae, atque Hyperionis e Clytaemnestra pater, unus e Graecis ducibus, qui ad Troiam bellica virtute inclaruerunt. Urbe capta, Cassandrae, Priami filiae, e templo raptae, amore exarsit. Ex hoc bello in patriam redux factus, a Clytaemnestra Aegisthi adulteri ope occisus est; attamen huius mortem Orestes postea matris et adulteri nece ultus est. Hor. Od. IV. 9. 25. Ov. Her. III. 83. Am. III. 13. 31. Met. XIII. 184. et al. Prop. IV. 6. 33. v. *Iphigenia*.

Agamemnone natus, i. e. Orestes. Ov. Trist. V. 6. 26. cf. Virg. Aen. IV. 471.

Agamemnonius, -a, -um, ab Agamemnone, vel ad Agamemnonem pertinens. Virg. Aen. VI. 489. 839. Ov. Her. III. 38. in Ibin 537. Prop. III. 5. 51.

Agamemnonius Orestes, i. e. Agamemnonis filius. Virg. Aen. IV. 471. Ov. in Ibin. 529.

Agamemnonia puella, i. e., Iphigenia, Agamemnonis filia. Prop. IV. 1. 111.

Agamemnoniae res, i. e. Agamemnonis opes. Virg. Aen. III. 54.

Agamemnoniae tres sunt tres Agamemnonis filiae, Ov. Her. III. 38.

Aganippe, -es, et Aganippis, -ĭdis, fons in Helicone, monte Aoniae s. Boeotiae Musis sacer, cuius aquae vis poëtarum ingenium excitare credebatur. Virg. Ecl. X. 12. Ov. Fast. V. 7. Met. V. 313. Cat. 61. 30.

Aganippēus, -a, -um, ad fontem Aganippen pertinens.

Aganippea lyra, i. e., musarum. Prop. II. 2. 30.

Agathyrsi, -orum, fuere Scythiae gens, ad Maeotin lacum, quae ora et artus pingere solebat. Virg. Aen. IV. 146.

Agāve, -es, Cadmi, Thebarum regis, ex Harmonia filia, Echionis uxor, quae, quod Bacchi sacra sperneret, in furorem acta, cum aliis bacchantibus feminis Pentheum filium, Cadmi successorem, discerpsit. Hor. Sat. II. 3. 303. Pseudo-Virg. Cul. 110. Ov. Met. III 7. 25.

Agēnor, -ŏris, fuit Phoenicii regni conditor, Neptuni et Libyae filius, Beli frater, Telephassae maritus, ex qua Cadmum, Phoenicem, Cilicem et Europam, procreavit. Ov. Met. III. 25.

Agenoris urbs, i. e. Carthago, a Phoenicibus, quorum rex Agenor fuit, condita. Virg. Aen. I. 338. (342.)

Agenore natus, i. e. Cadmus. Ov. Met. III. 51. 97. ex Pont. I. 4. 37.

(†) Apoll. III. 2. 2. Alii hunc Atrei filium dicunt, cf. Hom. Il. β. 23. Munck. ad Hyg. f. 97. v. infra *Plisthenides* et *Plisthenius*.

Digitized by Google

Agenore nata, i. e. Europa, Agenoris filia. Ov. Met. II. 858.

Agenorĕus, -a, -um, ab Agenore, vel ad Agenorem pertinens, Ov. Met. III. 308. Sab. ap. Ov. III. 42.

Agenoreus bos, i. e. Taurus, sidus, ita dictus, quod Iupiter sub tauri specie Europam, Agenoris filiam, rapuit, quem postea inter sidera retulit. Ov. Fast. VI. 712. v. *Taurus*.

Agenorĭdes, -ae, i. e. Cadmus, Agenoris filius. Ov. Met. III. 7. sqq. ex Pont. I. 3. 77. et al. Sic quoque vocatur Perseus. Ov. Met. IV. 771. Sed rectius legitur *Abantiades* (*).

Aglāie, et Aglaĭe, -es, quae et Aglaīa, -ae, una e Gratiis, beneficiorum deabus. Pseudo-Virg. Cat. XI. 60. v. *Gratiae*.

Aglauros, et Agraulos (†), -i, Cecropis, primi Athenarum regis, filia, Herses, Pandrosique soror, quibus Pallas Erichthonium, cista inclusum, custodiendum commisit, quam Aglauros aperuit; mox autem quum Mercurium, Herses amore flagrantem, domo prohibere vellet, in saxum conversa fingitur. Ov. Met. II. 739. sqq. v. *Erichthonius*.

Agonālis, -e, ad Agonia festa pertinens. Fuerunt autem

Agonĭa festa a Numa Pompilio rege, nono Ianuarii die, in Iani honorem instituta, eoque die a sacrorum Rege aries immolabatur, et medio fere mense Maio repetebantur. Ov. Fast. I. 318. 324. V. 721.

Agrippa (M. Vipsanĭus), -ae, Caes. Augusti gener, fuit victoriae, quam Augustus a Sex. Pompeio reportavit, non solum particeps, sed praecipuus fere auctor, et singularis munificentiae caussa Romanae plebi gratissimus. Hor. Od. I. 6. 5, Sat. II. 3. 185, Virg. Aen. VIII. 682. et al. Albin. ad Liv. ap. Ov. 67. 69.

Agrippae porticus, i. e. ab Agrippa condita. Fuit autem sedecim columnarum, Pantheo s. Templo, Iovi Ultori Romae ab Agrippa A. U. DCCXXVII. condito, adstructa, Nobiliores Romanorum in porticibus ambulare, populoque sese ostentare solebant. Hor. Ep. I. 6. 26.

Agrĭus et Agrĭos, -i, Par-

(*) Male tuetur Heinsius h. l. *Agenorides*. Neque enim Danaus, neque Perseus, ab Agenore, uti illi videtur, sed a Belo originem ducunt. Perseus nempe Abantem proavum, Abas autem, Lyncei ex Hypermnestra filius, Danaum, qui Beli filius fuit. avum habuit. Cf. Apoll. II. 1. 2. et Cl. Heyne ad Apoll. p. 1018. in primis Saxius in Tab. I et II. Genealog. regni Argivi. De Agenoris antem progenie v. Apoll. III. 1. 1, et Cl. Heyne in Anim. p. 1022. *Abantiades* praeterea in nonn. MSS. legitur.

(†) Illam lectionem Pausan. Att. II. 7., hanc tuetur Apoll. III. 14. 2.

Digitized by Google

thaonis filius, Thersitae, omnium Graecorum ad Troiam maxime deformis, pater, Oeneum fratrem regno eiecit; quod tamen deinde Diomedes, eius nepos, Agrio interfecto, ei restituit. Ov. Her. IX. 153. ex Pont. III. 9. 9.

Agȳieus, -i, Apollinis cognomen, quasi viarum urbis praeses. Athenis in viis arae Apollini erant positae, unde ubique viae huic sacrae essent. Hor. Od. IV. 6. 28.

Agyllīnus, -a, -um, in vel ex Agylla, vel ad Agyllam pertinens.

Agyllina urbs, i. e. Agylla, Etruriae urbs, postea Caerè dicta, hodieque *Cervéteri*, Virg. Aeu. VII. 652. VIII. 579.

Aiax, -ācis, duorum heroum nomen, qui Troiano bello inclaruerunt. Alter *Aiax* fuit Salaminis rex, Telamonis filius, vir Troiano bello ab Achille secundus, qui cum Ulysse de interemti Achillis armis contendit (*), sed voti minime compos, furore correptus, in greges irruit, eosque Graecos duces putans interfecit (†). Tandem se ipse occidit, et sepulturae honore ab Agamemnone fuit prohibitus. Ex eius autem sanguine hyacinthus flos ortus fingitur. Hor. Sat. II. 3. 187. 193. Ov. Am. I. 7. 7. Art. Am. III. 11. 517. *Aiax* alter fuit Oïlei, Locridis regis, filius, qui postquam stuprum in Palladis templo Cassandrae intulerat, a Troiano bello domum rediens, ab irata dea prope Myconum insulam actus, ad Euboicas cautes naufragium fecit, eiusque fulmine percussus periit. Hor. Od. I. 15. 17. Epod. IX. 14. Virg. Aeu. I. 41. (45.) II. 414. Ov. Met. XII. 622.

Alba, -ae, cognomine Longa fuit Latii urbs, ab Ascanio, Aeneae filio, inter montem et nemus Albanum condita, et a Tullo Hostilio, tertio Romanorum rege, diruta. Virg. Aen. I. 271. (275.) et al. Ov. Fast. II. 499. Met. XIV. 609. Tib. II. 5. 50.

Alba, -ae, cognomine Silvĭus dicitur sextus Albae Longae rex, Latini Silvii filius. Ov. Fast. IV. 43 (§). Met. XIV. 612. Prop. III. 2. 3.

Alba antiquo lare, i. e., Alba antiqua, quia Roma eius colonia erat. Tib. I. 7. 58.

Albānus, -a, -um, in vel ex Alba, vel ad Albam pertinens. Hor. Sat. II. 4. 72. et al. Virg Aen. I. 7. (11.) V. 600. et al. Ov. Fast. III. 89. sqq.

(*) Utriusque herois characterem eleganter descripsit Ovidius, Met. XIII. f. 1.

(†) v. Sophocl. in Aiace princ., quo respexit Hor. Sat. II. 3. 187. 193.

(§) v. Liv. Hist. I. 3., ibique Glareanus intp.

Digitized by Google

Albanus, i. e. Metus Fuffetius, Albani populi dux. Virg. Aen. VIII. 643. v. *Metus*.

Albanus lacus. i. e. in Albano nemore prope Albam Longam, hodie *Lago di Castel Gandolfo*. Hor. Od. IV. 1. 19. Virg. Aen. IX. 388. Prop. III. 21. 25.

Albanum vinum, i. e. optimum; a veteribus enim inter praestantissima vina recensetur. Hor. Od. IV. 11. 2.

Albanae herbae sunt pascua circum Albam Longam. Hor. Od. III. 23. 11.

Albanae secures, i. e. Romanum imperium; Romani enim Albae Longae colonia fuere. Hor. Carm. Saec. 54.

Albanae urbes sunt, quae a colonis ex Alba exstructae fuerunt, quaeque numero triginta traduntur. Virg. Aen. VII. 602.

Albinovānus (C. Pedo), -i, sublimis poëta, imprimis epicus, qui imperante Augusto vixit, e cuius scriptis tantum elegia in *Maecenatis obitum*, et forsitan etiam *de Drusi morte ad Liviam Augustam* exstat, quamquam de hac inter eruditos non convenit; utraque autem inter Ovidii opera invenitur. Ad hunc etiam scripsit Ovidius ex Pont. Ep. 10. L. IV., a quo et *Pedo* vocatur. ex Pont. IV. 16. 6.

Albinovānus (Celsus), -i, comes et scriba Tiberii Neronis. Hor. Ep. I. 8. 1. et 17.

Albīnus, -i, dives foenerator fuit, quem suum filium, lucri studium docentem, Horatius inducit. Ep. II. 3. 327.

Albĭus, -i, dicitur vasorum e Corinthio aere insanus quidam amator. Hor. Sat. I. 4. 28. Quidam vir bonus, cuius filius male vixit. Hor Sat. I. 4. 109.

Albĭus. v. Tibullus.

Albucĭus s. Albutĭus, -i, fuit homo tam severus, ut servos nonnunquam prius castigaret et caederet, quam peccassent; se vereri dicens, ne, cum peccassent, caedere tunc ei non vacaret. Veneno quoque uxorem peremisse traditur. Hor. Sat. II. 1. 48. II. 2. 67. Item rhetor, cuius fit mentio ap. Pseudo-Virg. Cat. VII. 5.

Albŭla, -ae, vetus Thybridis s. Tybridis, et, ut postea dictum fuit, Tiberis fluminis nomen. Virg. Aen. VIII. 332. Ov. Fast. II. 389. IV. 68. V. 646. et al. v. *Tiberis*.

Albūna fuit una Sibyllarum, Albuneae fontis nympha, quae etiam vaticinia Romam tulisse fertur. Tib. II. 5. 53.

Albunĕa, -ae, fons in Tiburtino monte, unde Albula, fluvius brevissimus, oritur, qui in Anienem effunditur, et hodie *Acqua Solforata di Tivoli* dicitur. Virg. Aen. VII. 83.

Albuneae resonantis domus, i. e. antrum Albuneae Nymphae, e quo aqua per saxa cum murmure prosilit. Hor. Od. I. 7. 12.

Alburnus, -i, mons in Luca-

Digitized by Google

nia, prope Silarum flumen situs, hodie vulgo *Monte di Postiglione.* Virg. Ge. III. 147.

Alcaeus, -i, eximius dux et divinus lyricus poëta, qui Mitylenis, Lesbi insulae urbe, natus, circa Olymp. XLIV. s A. U. CL. floruit. Quum civibus libertatis amorem suaderet, a Myrsilo Pittacoque, Mitylenaeorum tyrannis, e civitate eiectus, multaque mala passus, exsulum manu collecta, tyrannos expulit, patriamque e servitute in libertatem vindicavit. Ex eius carminibus pauca fragmenta supersunt. Hor. Od. II. 2. 13. 27. IV. 9. 7. et al. Ov. Her. XV. 29.

Alcander, -dri, Lycius, Troiano bello ab Ulysse occisus. Ov. Met. XIII. 258. Unus ex Aeneae sociis, quem cum aliis Turnus in Italia interfecit. Virg. Aen. IX. 769.

Alcānor, -ŏris, Troianus. in monte Ida natus, cuius filii Pandarus et Bitias post Troiam captam Aenean in Italiam secuti sunt. Virg. Aen. IX. 672. Et Rutulus, Phorci filius, Maeonis et Numitoris frater, ab Aenea in Italia caesus. Virg. Aen. X. 338.

Alcathōë, -es, urbs in Attica, quae et Megăra vocatur, et nomen ab Alcathoo habet, qui Megaram, Minois ac Nisi bello magna ex parte vastatam, Phoebo operae consorte, muris cinxisse fertur. Ov Met. VII. 443.

Alcathŏus, -i, fuit Megarae rex, Pelopis filius. Pseudo-Virg. Cir. 106. Ov. Art. Am. II. 421. Met. VIII. 8. Trist I. 10. 39. Sic quoque Troianus dicitur, qui cum Aenea in Italiam profectus, a Caedico occisus est. Virg. Aen. X. 747.

Alcestis, -is, et Alceste, -es, Peliae, Thessaliae regis, filia, Acasti soror, Admetum coniugem tanto prosecuta est amore, ut, cum, illo aegrotante, ab Oraculo responsum relatum esset, eum, nisi quis ex amicis moreretur, brevi interiturum, ceteris recusantibus, pro marito mortem subire nequaquam dubitaverit. Exstat Euripidis tragoedia, cui nomen Alcestis, quam L. Accius et Naevius Latine dederunt; utraque tamen praeter pauca fragmenta periit. Pseudo-Virg. Cul. 261.

Alcidămas, -antis, fuit vir Cratheae, Ceae insulae urbe, habitans, pater Ctesyllae, quae primum Hermochari, Atheniensi, cuius amore flagrabat, mox alteri desponsata, Athenas aufugit, ibique nuptias cum Hermochare iniit, nec ita multo post mortua in columbam conversa fingitur. Ov. Met. VII. 369.

Alcīdes, -ae, i. e. Hercules, Alcaei nepos. *Alcaeus* autem Tirynthiorum regulus, Persei et Andromedae filius, Amphitruonis pater fuit. Hor. Od. I. 12. 25. Virg. Ecl. VII. 61. Aen. V. 414 et al. Ov. Her. IX. 75. Am. III. 8. 52. et al. Tib. IV. 1. 12. Prop. I. 20. 49.

Digitized by Google

Alcimēde, -es, Clymeni filia, Aesoni nupta Iasonem peperit. Ov. Her. VI. 105.

Alcimēdon, -ontis, Tyrrhenus pirata, qui a Baccho in delphinem mutatus est. Ov. Met. III. 618. Est quoque *Alcimedon* egregius sculptor. Virg Ecl. III. 37. 44.

Alcinŏus, -i, Phaeacum in Corcyra insula rex, Nausithoi filius, iustitia atque munificentia in Ulyssem inclaruit; quippe quem naufragum non solum benigne excepit, sed cum sua navi in Ithacam portari iussit. Huius autem horti, quod agriculturae studiosissimus fuit, apud veteres in magna laude fuerunt. Corporis voluptatibus, uti omnes Phaeaces, qui mercatura divitiisque abundabant, nimium indulgebat (*). Virg. Ge. II. 87. Ov. Am. I. 10. 56. Met. XIV. 565. ex Pont. II. 9. 42. IV. 2. 10.

Alcinoi iuventus, i. e. luxuriosa, uti Phaeaces, quibus Alcinous imperavit. Hor. Ep. I. 2. 28.

Alcinoi munera, i. e. quae Ulyssi ex Alcinoi hortis data sunt. Prop. I. 14. 24.

Alcithŏē, -es, Minyae regis filia. Ov. Met. IV. 1. sqq. v. *Leuconoë*.

Alcmaeon. v. Amphiaraides.

Alcmaeonius, -a, -um, ad Alcmaeonem pertinens.

Alcmaeoniae furiae sunt furores Alcmaeonis ob matrem interfectam. Prop. III. 3. 63.

Alcmēna, -ae, et Alcmēne, -es, Electryonis, Mycenarum regis, et Anaxus filia, Amphitruonis, Thebarum regis, uxor, e Iove adultero Herculem peperit. Ov. Met. VIII. 543. IX. 23. 276. Prop. II. 18. 25.

Alcon, -ōnis, fuit statuarius et caelator egregius, Mylis, Siciliae urbe, oriundus. Pseudo-Virg. Cul. 66. Ov. Met. XIII. 683. Vocatur sic pastor quidam. Virg Ecl. V. 11., et servus. Hor. Sat. II. 8. 15.

Alcyŏne s. Halcyŏne, -es, Aeoli ex Enarete filia, Ceyci, Trachinis regi, nupsit; quum vero maritus naufragio periisset, doloris impatiens se in mare coniecit, et cum marito a Iove in alcyonem avem mutata fingitur. Ov. Met. XI 416. v. *Ceyx*. Vocatur sic etiam Atlantis e Pleione filia, una e Pleiadibus, a Neptuno amata. Ov. Her. XIX. 133. Fast. IV. 173.

Alēbas, rectius Alevas, q. v.

Alecto s. Allecto, -us, una e tribus Furiis. Virg. Aen. VII. 324. X. 41. Ov. Her. II. 119. v. *Furiae*.

Alēius, -a, -um, ad Aleium campum pertinens. Fuit autem

Aleius campus Ciliciae tractus, ubi Bellerophon, quum Pegaso equo decidisset, per reliquum vitae tem-

(*) De hoc v. Homer. Od. η, 112. θ, 248.

Digitized by Google

pus caecus oberravit; hunc campum *Aleia arva* dixit. Ov. in Ibin 259. v. *Bellerophon.*

Alĕmon,-ŏnis, pater Mysceli, Ov. Met. XV. 19., qui inde *Alemonĭdes* dicitur. Ov. Met. XV. 26. 48.

Alētes,-ae, unus e Troianis ducibus, cum Aenea in Italiam profectis. Virg. Aen. I. 121. (125.) IX. 246. 307.

Alĕvas,-ae, Larissae, Thessaliae urbis, tyrannus, a satellitibus occisus. Ov. in Ibin 325.

Alevae sanguis, i. e. Scopas, Alevae filius, cui Simonides carmen composuit; sed pactam mercedem quum ei recusaret, accumbens aedium ruina oppressus est. Ov. in Ibin. 513 (*).

Alexander,-dri; cognomine Magnus, Macedoniae rex. Philippi filius; ne quis, nisi Apelles pictor et Lysippus statuarius, eius imaginem adsimularet, edicto vetuit. Chorilo, malo poëtae, pro iucultis versibus multum pecuniae dedit. Hor. Ep. II. 1. 232. 241.

Alexandri urbs, i. e. Alexandria Ov. Trist. I. 2. 79.

Alexandrēa et Alexandrĭa,-ae, princeps Aegypti urbs, ab Alexandro Magno condita, quae hodie idem nomen servat, a Turcis vero *Eski-Stamboul* vocatur. Dolo Ptolemaei regis Pompeius hic interfectus est. Augustus autem, M. Antonio Triumviro ad Actium victo, XXIX. Augusti mensis die A. U. DCCXXIV. eam cepit, quo die quindecim annis post bellum cum Rhaetis et Vindelicis finitum est. Eius incolae, uti omnes Aegyptii, mollitiei et voluptatibus maxime dediti fuere. Hor. Od. IV. 14. 35. Prop. III. 9. 3.

Alexirhŏë,-es, Nympha, Granici fluminis filia, quae e Priamo Aesacon suscepit. Ov. Met. XI. 763.

Alfēnus,-i, vafer homo, antea sutor. Hor. Sat. I. 3. 130. (†).

Alfĭus,-i, foenerator, homo sordidus, quem rusticae vitae commoda reputantem inducit Horatius. Epod. II. 67.

Algĭdus,-i, mons praealtus et saltuosus in Latio, prope Romam in via Appia, Dianae sacer, in quo Algidum oppidum fuit situm. Hor. Od. I. 21. 6. III. 23. 9. IV. 4. 58.

Algĭdus,-a,-um, ad Algidum montem, vel urbem, pertinens. Ov. Fast. VI. 722.

Allecto. v. Alecto.

Alĭa,-ae, parvus Italiae fluvius, haud longe a Roma in Tiberim sese exonerans, ad quem Galli, Brenno duce, A. U. CCCLXIII

(*) v. Phaeder IV. 24. Quinct. L. II. Orat. 2.
(†) v. Bentley ad Hor. l. l., qui *tonsor* eo loco legit.

Digitized by Google

Romanos magno praelio vicere, Romam captam incendio delevere, Capitoliumque obsedere, hodie dicitur *Rio di Mosso*. Virg. Aen. VII. 717. Ov. Art. Am. I. 413. et al.

Allifanus, -a, -um, ad Allifas pertinens. Fuerunt autem

Allifae Samnii oppidum prope Vulturni amnis ripam, hodie *Alifi*.

Allifani sunt calices maioris formae, quales Allifis apparabantur. Hor. Sat. II. 8. 39.

Allŏbrox, -ŏgis, ex Allobrogibus, ad Allobroges pertinens. *Allobroges* autem, Galliae Narbonensis populus, tractum inter Rhodanum et Isaram flumina incolentes, ad Lemanum lacum usque pertinebant. A Romanis victi, saepe, uti reliqua Gallia, rebellaverunt. Hor. Epod. XVI. 6.

Almo, -ōnis, exiguus fluvius prope Romam in Tiberim defluens, in quo Cybeles simulacrum XXVII. die Martii lavari solebat. Hodie dicitur *Acqua d'Achia*. Ov. Fast. IV. 337. Met. XIV. 329. Huius fluvii deus Larae Nymphae pater fingitur. Ov. Fast. II. 599.

Aloīdae, -arum, i. e. Otus et Ephialtes, quos Neptunus ex Iphimedia, Aloëi Gigantis uxore, procreavit. Virg. Aen. VI. 582. Ov. Met. VI. 117. v. *Ephialtes*.

Alpes, -ium, (*) vocantur praealti montes, qui Italiam a Gallia, Rhaetia, ac Germania separant, quorum iuga, cum ob nivem, tum ob altitudinem, maxime invia et periculosissima sunt. Hodie idem nomen servant. Hor. Od. IV. 4. 17. 14. 12. Epod. I 11. Sat. II. 5. 41. Virg. Ge. I. 475. III. 474. Ov. Am. II. 16. 19. et al. Tib. IV. 1. 109. Cat. II. 9.

Alphēĭas, -ădis, i. e. Arethusa Nympha. Ov. Met. V. 487. v. *Alpheus*, et *Arethusa*.

Alphēnor, -ŏris, unus e Niobes filiis, ab Apolline interfectus. Ov. Met. VI. 248.

Alphēnus, Cat. XXX. 1. v. *Varrus*.

Alphesiboea, -ae, Phegei filia, quae Alcmaeonis coniugis necem, quem ob Callirrhoën sibi iunctam interfecerunt Alphesiboeae fratres, vindicavit morte fratrum Temeni et Axionis. Prop. I. 15. 15.

Alphēus, s. Alphēos, -i, nobilissimus Peloponnesi fluvius, qui, e Stymphalo monte exoriens, longo anfractu Arcadiam et Elidem percurrit et mox in mare defertur. Hodie *Carbon*. Virg. Ge. III. 18. Aen. III. 694. Ov. Met. II. 250. Fabulantur autem, Alpheum, Arethusae Nymphae amore captum, subter mare ita in Siciliam deferri, ut eius aqua cum mari non commisceatur, et deinde in Arethusa, fonte prope Syracusas, denuo erum-

(*) Ovidius etiam numero sing. usus est Art. Am. III. 150.

Digitized by Google

pere, seque cum huius fontis aqua miscere. Ov. Am. III. 6. 29. Met. V. 599. v. *Arethusa.*

Alphēus, -a, -um, ab Alpheo, vel ad Alpheum pertinens. Virg. Ge. III. 180.

Alphēae Pisae, v. Pisae.

Alphĭus, v. Alfius.

Alpīnus, -a, -um, in vel ex Alpibus, vel ad Alpes pertinens. Virg. Ecl. X. 47. Aen. VI. 831. Ov. Met. XIV. 794. Albin. ad Liv. ap. Ov. 385.

Alpinus hostis, i. e. Galli, Alpes inhabitantes, quorum multitudo, montes transgressa, in Italiam descendit. Ov. Fast. VI. 358. v. *Allia.*

Alpini boreae, i. e. ab Alpibus flantes. Virg. Aen. IV. 442.

Alpini reges, rectius *Arpini*, i. e. ex Arpis, urbe olim celebri in Apulia, cuius rex Daunus fuit. Ov. ex Pont. IV 7. 6. cf. 29.

Alpina gaesa, i. e vel quibus utuntur Galli, Alpium incolae, vel ponuntur pro praestantioribus hastis. Montium enim lignum ob maiorem siccitatem durius est (*), Virg. Aen. VIII. 661.

Alpīnus (A. Corn.), -i, malus poëta, qui inflatis et turgidis versibus de Memnone, ab Achille Troiano bello interfecto, insulsam tragoediam scripsit, et aliam, in qua Rhenum ridicule deformat. Horatius eum ludibrio habet, Sat. I. 10. 36.

Althaea, -ae, filia Thestii, Agenoris filii, Oeneo, Calydonis regi, nupta, Deianiram, Meleagrum, alios peperit. Cum autem Parcae fatalem stipitem, quo Meleagri nascituri vita contineretur, igni imposuissent, Althaea eum flammis ereptum sedulo servavit, donec Toxeum et Plexippum, fratres, in Calydonii apri venatione a Meleagro interfectos audiverit; tum enim irata stipitem in ignem coniectum combussit, quo facto Meleager mortuus est. Ov. Met. VIII. 446. in Ibin 603. v. *Meleager.*

Alyatteus, -ĕi, fuit Lydiae rex ditissimus, Croesi pater, Hor. Od. III. 16. 41.

Amalthēa, -ae, Nympha, Oleni filia (†), quae Iovem, a Rhea matre ob Saturnum, quod prolem devoraret, in Creta occultum caprino lacte nutrivit; cornu autem huius caprae fractum Nympha sustulit, quod cornu postea cum capella, et haedis ob acceptum lactis beneficium a Iove inter sidera collocatum fuit. Ov. Fast. V. 115. sqq. v. *Capra.* Dicitur quoque sic Sibylla eadem, quae a Virgilio

(*) v. Hom. Iliad. Σ, 140 sqq., ubi Achillis hasta eam ob caussam e Pelii montis vertice caesa dicitur.

(†) Unde ipsa capra *Olenium pecus* dicitur. v. infra *Olenius.* Hyg. poët. Astron. II. 13.

Digitized by Google

Deiphobe vocatur. Tib. XII. 5. 67. v. *Sibylla.*

Amaryllis, -ĭdis, nomen diversarum puellarum. Virg. Ecl. I. 5. sqq. Ov. Art. Am. II. 267. III. 183. Trist. II. 531.

Amasēnus, -i, Volscorum fluvius, qui haud procul a Setia ortus, Privernum praefluit, et apud Circaeum montem in mare Tyrrhenum effunditur. Hodie *Fiume dell' Abazia.* Virg. Aen. VII. 685. XI. 547.

Amastriăcus, -a, -um, ex Amastri, vel ad Amastrim pertinens. Ov. in Ibin 331.

Amastris, -is, Paphlagoniae urbs, ad Pontum Euxinum sita prope montem Cytorum. Cat. IV. 13.

Amāta, -ae, Latini, Aborigi-num regis, uxor, Veniliae soror, Lavi-niaeque mater, quae Turno in matrimonium filiam se dare posse diffidens, id quod promiserat, la-queo vitam finivit. Virg. Aen. VII. 343. XII. 56. sqq.

Amathuntĭus, a, -um, id. q. Amathusius, q. v.

Amăthus, -untis, urbs Cypri, Aegaei maris insulae, Veneri sacra; hodie *Limisso.* Virg. Aen. X 51. Ov. Met. X. 220. 531. Cat. XXXVI. 14

Amathusĭacus, et Amathusĭus, -a, -um, ab Amathunte, vel ad Amathuntem pertinens. Ov. Met. X. 227.

Amathusia dicitur Venus, quod Amathunte summa cum veneratione colebatur. Pseudo-Virg. Cir 242. Ov. Am. III. 15 15. Cat. LXVIII. 31.

Amāzon, -ŏnis, una ex Amazonibus. Fuerunt autem *Amazones* bellicosissimae feminae, in Scythia ad Tanain fluvium habitantes, unde postea se ad Thermodontem, Ponti regionis flumen, contulere. Vixisse eas sine viris ferunt, filiarumque recens natarum, quo melius arcu ac sagittis uterentur, dextram exussisse mammam. Troianis in bello cum Graecis auxilia tulisse dicuntur. Virg. Aen. XI. 648. 660. Ponuntur quoque pro puellis, Amoris castra sequentibus. Ov. Art. Am. II. 743. III. 1.

Amazone natus, i. e Hippolytus, Hippolytes s. Antiopes Amazonis filius. Ov. Met. XV. 552.

Amazŏnis, -ĭdis, id q. Amazon, Virg. Aen. I. 490. (494.) Prop. III. 12. 15.

Amazonĭus, -a, -um, ab Amazonibus originem ducens, vel ad Amazones pertinens. Virg. Aen. V. 311. Ov. Her. XXI. 119.

Amazonius vir, i. e. Hippolytus. Ov. Her. IV. 2.

Amazonia securis, i. e. quali instructae erant Amazones. Hor. Od. IV. 4. 20. Ov. ex Pont. III. 1. 95.

Ambracĭa, -ae, Epiri urbs, ad sinum Ambracium, Pyrrhi, Achillis filii, regia. Olim quum Apollo, Diana et Hercules, hac de urbe certarent, Cragaleus, Dryopis filius, iudex delectus, Herculi ur-

Digitized by Google

hem adiudicavit, quapropter Apollo iratus Cragaleum in saxum convertit; postea vero ab Augusto. ob victoriam, de Antonio et Cleopatra in Ambracio sinu deportatam, Nicopolis, hodie vero *Prevesa*, est dicta. Ov. Met. XIII. 714.

Ambracĭas, -ădis, quae ad Ambraciam pertinet. Ov. Her. XV. 164.

Ambracĭus, -a, -um, ad Ambraciam pertinens. Ov. in Ibin 306.

Amby bāiae, -arum, fuerunt feminae tibicinae, quae Romae tibiarum cantu et corpore quaestum faciebant. Hor. Sat. I. 2. 1.

Amenānus, -i, parvus Siciliae fluvius, qui ex Aetnae montis radicibus ortus, per Catanam urbem defluit; interdum autem fontis venis obturatis, per aliquot annos evanescit, rursumque subito aestu erumpens, nonnunquam totam inundat urbem. Hodie *Guidicello*. Ov. Met. XV. 279. Occurrunt etiam *Amenana flumina*. Ov. Fast. IV. 467.

Amerīnus, -a, -um, ex Ameria, vel ad Ameriam pertinens. Fuit autem *Ameria* Umbriae urbs antiquissima prope Tiberim flumen. Hodie *Amelia*. Vir. Ge. I. 265.

Aminaeus s. Aminēus, -a, -um, ex Aminea, Campaniae regione, quae postea *Falernus ager* dicta fuit. Alii autem, Aminaeos colles ad colles Leucogaeos supra Neapolim sitos fuisse, putant; vinumque ex Aminaeis vitibus optima aetatem ferre credebatur. Virg. Ge. II. 97.

Amiternus, -a, -um, ex Amiterno, vel ad Amiternum pertinens. Fuit autem *Amiternum* Vestinorum urbs in Italia, cuius olim incolae Turno adversus Aenean opem tulerunt. Amiterni ruinae haud procul ab eo oppidulo, quod hodie *S. Vittorino* dicitur, sunt sitae. Virg. Aen VII. 710.

Amithaon, v. Amythaon.

Ammon's. Hammon, -ōnis, summus Aethiopum et Aegyptiorum deus, a Romanis *Iupiter* cognominatus, qui in *Meroë*, *Thebis* et in *Ammoniaca Oasi*, in Libyae desertis, (hodie *Siwah*) sub hominis specie cum arietis cornibus cultus fuit, templaque, et celeberrima Oracula habuit. Ov. Art. Am. III. 789. Met. IV. 670. V. 17. 328. XV. 309.

Ammone satus, i. e. Iarbas, Iovis Ammonis filius dictus. Virg. Aen. IV. 198.

Ammon, -ōnis, est pugilis nomen, a Phineo interfecti. Ov. Met. V. 107. v. *Broteas*.

Amoebeus, -ĕi. Atheniensis, celeberrimus citharoedus. Ov. Art. Am. III. 399.

Amor, -ōris, Veneris filius, amoris deus. Hor. Od. I. 2. 34. I. 30. 5. et al. Virg. Ecl. VIII. 43. Aen. I. 689. (693.) et al. Ov. Her. IV. 11. et saepe. v. *Cupido*.

Amphiaraĕus, -a, -um,

Digitized by Google

ad Ampliaraum spectans. Prop. II. 25. 39.

Amphiarăides, -ae, i. e. Alcmaeon. Fuit autem *Alcmaeon* Amphiarai vatis ex Eriphyle filius, qui patris iussu et Apollinis responso matrem interfecit; quo facto furore correptus, Phegeum adiit, a quo ad sanam mentem redactus, huius filiam Alphesiboeam in matrimonium accepit, aureoque monili, matri detracto, donavit. Postquam vero hac repudiata, Callirhoën, Acheloi filiam, uxorem duxit, aureumque monile, Alphesiboeae donatum, ut Callirhoae daret, repetiit, a Temene et Axione, Phegei filiis, interemtus est, huiusque postea mortem Callirhoës filii sunt ulti. Ov. Fast. II. 43.

Amphiarāus, -i, Oeclei ex Hypermnestra filius, Eriphylae maritus, Alcmaeonis et Amphilochi pater, celeberrimus Argivorum augur, et unus e ducibus, quos Adrastus rex, contra Thebas bellum gesturus, secum duxit; quum vero ad bellum proficiscentem se non rediturum, praenosceret, eamque ob caussam se occultasset, ab uxore, aureo monili corrupta, proditus, et proficisci a Polynice coactus, ad Thebas terrae hiatu cum curru et quadrigis absorptus fuit. Ov. ex Pont. III. 1. 52. Prop. III. 11. 58.

Amphilŏchus, -i, Amphiarai ex Eriphyle filius, Alcmaeonis frater, vaticinandi peritissimus. Ov. Rem. Am. 455.

Amphīon, -ōnis, fuit Thebarum rex, Iovis ex Antiopa filius, Zethi frater, praestantissimus musicus, e Niobe, Tantali filia, septem filios, totidemque filias suscepit. Lyra a Mercurio accepta, ita cecinisse fertur, ut lapides se moverent, mutuoque nexu ita se iungerent, ut muri Thebarum sponte exstruerentur; iustissimusque vindex dicitur, quod Lycum, matre ob adulterii suspicionem repudiata, occidit. Tandem, filiorum morte cognita, ferro se ipse interfecit. Hor. Od. III. 11. 2. Ep. I. 18. 41. II. 3. 394. Virg. Ecl. II. 24. Ov. Art. Am. III 323. Met. VI. 221. et al. Prop. III. 13. 29. v. *Niobe* et *Zethus*.

Amphionis arces sunt Thebae, Ov. Met. XV. 427.

Amphionius, -a, -um, ad Amphionem pertinens.

Amphioniae lyrae moenia flere, i. e. Thebas, Amphionis lyra exstructas, carmine epico celebrare. Prop. I. 9. 10.

Amphissĭus, -a, -um, ex Amphissa, vel ad Amphissam pertinens. Fuit autem *Amphissa* oppidum in Locride, haud longe a mari. Hodie *Salone*. Ov. Met. XV. 703.

Amphissos, -i, Apollinis e Dryope filius, Euryti nepos. Ov. Met. IX. 356.

Amphitrīte, -es, Oceani e

Digitized by Google

Tethye filia (*), Neptuno nupsit, et maris dea est habita. Pseudo-Virg. Cir. 73. Ov. Fast. V. 731. Cat. LXIV. 11. Hinc pro *ipso mari* ponitur. Pseudo-Virg. Cir. 486. Ov. Met. I. 14.

Amphitrȳo, Amphitrŭo et Amphitryon, -ōnis, Alcaei et Hipponomes filius, Thebarum rex, Alcmenae maritus, quae Amphitryoni Iphiclem, Iovique adultero Herculem peperit. Ov. Her. IX. 44.

Amphitryoniădes, -ae, i. e. Hercŭles, Iovis ex Alcmene, Amphitryonis uxore, filius. Virg Aen. VIII 103. 214. Ov. Met. IX. 140. XV. 49. et al. Cat LXVIII. 112. Prop. IV. 9. 1.

Amphrysĭus, -a, -um, ex Amphryso, vel ad Amphrysum pertinens; quae fuit urbs in Phocide ad Parnasi montis radices, non longe a Delphis sita.

Amphrysia vates, i. e. Apollinis. Sibylla ita dicta fuit, quod Amphrysus urbs in Delphorum vicinia, ubi Apollo colebatur, sita erat. Virg. Aen VI. 398.

Amphrysia saxa. Ov. Met. XV. 703. Rectius nonnulli pro eo legi putant *Amphissia*, q. v.

Amphrȳsos, -i, Thessaliae in Phthiotide flumen, ad quod Apollo novem annos Admeti regis armenta pavisse fertur, unde *pastor ab Amphryso* vocatur. Virg. Ge. III 2. Ov. Met. I. 580. VII. 229.

Ampycĭdes, -ae, i e. Mopsus, Ampycis e Chloride filius, praestans augur, unde sagax audit. Ov. Met. VIII. 316. 350. XII. 456. 524.

Ampyx, -ȳcis, Thessalus vir, Mopsi auguris pater, qui in Pirithoi nuptiis Oeclum Centaurum interfecit. Ov. Met. XII. 450. Item Phinei socius, a Perseo Medusae capitis conspectu in lapidem mutatus. Ov. Met. V. 184.

Amsanctus, -i, est lacus in Hirpinis, haud procul ab urbe, cui hodie *Fricento* nomen est, cuius sulphureae exhalationes admodum pestiferae sunt, unde per eum descensum ad inferos patere Veteres putarunt. Hodie *Mufiti s. Valle di Fricenti* vocatur. Virg. Aen. VII. 565.

Amulĭus, -i, Procae, Albae Longae regis, filius, qui postquam Numitorem, fratrem natu maiorem, vi regno privavit, Lausumque, eius filium, interemit, Rheam Silviam, ut perpetua filiae virginitate prolis spem patri adimeret, Vestae deae sacerdotem legit, Albaeque Longae regnavit, donec Romulus

(*) Hesiodus autem eam Nerei et Doridis filiam dicit, quem secutus est Claudian. rapt. Pros. 103. Cf. quae docet Cl. Heyne ad Apoll. I, 2. 2.

Digitized by Google

et Remus, Iliae s. Rheae Silviae filii, Numitorem avum in regnum restituentes, eum interfecerint. Ov. Fast. III. 49. 67. IV. 53. Met. XIV. 772.

Amȳclae, -ārum, Laconiae oppidum, Lacedaemoni s. Spartae vicinum, ab Amycla, Lacedaemonis filio, conditum. Ov. Met. VIII. 314. Item Italiae urbs in Auruncis inter Tarracinam et Caietam ad mare sita, a Graecorum colonia condita, quam incolae ob serpentum multitudinem, quibus infestabantur, reliquisse dicuntur. Pythagorae enim disciplinam sequentes ab animalium caede abstinebant.

Amyclae tacitae vocantur, quod quum falso hostes advenire frequenter nuntiarentur, atque ita civitas inani quateretur rumore, ne quis unquam hostium adventum nuntiaret, lege cautum fuit; quo facto postea, cum revera hostes adessent, nemine id monente, urbs civium silentio capta est (*). Virg. Aen. X. 564.

Amyclaeus, -a, -um, ex Amyclis, vel ad Amyclas, Laconicae urbem, pertinens. Virg. Ge. III. 345. Ov. Rem. Am. 707.

Amyclaeus anser, i. e. Iupiter, in olorem mutatus. Pseudo-Virg. Cir. 489. v. *Leda*.

Amyclaeus thallus, i. e. ramus myrti, vel, ut aliis placet, olivae in Amyclarum agro natus. Pseudo-Virg. Cir. 376.

Amyclaei dicuntur Castor et Pollux, Spartae nati, vel poëtico more a loci vicinitate, vel quod Tyndareus etiam Amyclarum rex fuerit. Ov. Art. Am. II. 5.

Amȳcle, -es, puella quaedam. Prop. IV. 5. 35.

Amyclīdes -ae, i. e. Hyacinthus. filius Oebali, qui Spartae regnavit, prope quam Amyclae fuere sitae. Ov. Met. X. 162. v. *Hyacinthus* in adn.

Amȳcus, -i, Neptuni e Melie (†) Bithynide filius, Bebrycine rex, quam postea a matre Bithyniam appellavit, fuitque celeber pugil, qui hospites, ad certamen provocatos, interficiebat; tandem vero a Polluce, cum Argonautis

(*) Cum haec non ad Amyclas in Italia, sed in Graecia sitas, pertineant, quippe quas a Lacedaemoniis captas atque eversas esse constat, sciendum est, Graecos varias ob caussas plurimas colonias etiam in Italiam deduxisse, ibique eiusdem nominis, atque in Graecia, urbes exstruxisse, quam ob caussam Latini scriptores, praecipue vero poëtae, aut quod historia obscura erat, aut quo majorem fictione ex nominis similitudine ornatum orationi adderent, saepius unius urbis fata cum alterius confuderunt.

(†) Hyg. f. 17. Ex Apollodori autem sententia I. 9. 20. e Bithynide; quo loco tamen, uti monet Cl. Heyne *Melie* s. *Nympha* excidisse videtur; vocatur enim *Melie Bithynis*. Ov. Am. III. 6. 25.

Digitized by Google

huc advecto, victus et caesus est. Virg. Aen. V. 373. Item Troianus, Priami, Troiae regis, filius, quem, cum Aenea in Italiam profectum, Turnus occidit, eiusque caput abscissum in curru suspendit. Virg. Aen. I. 221. (225.) XII. 509. Diversus ab hoc est *Amycus*, quem Virgilius insignem venatorem, et a Turno interemtum, dicit. Aen. IX. 772. Sic quoque vocatur Troianus, Theanus, Hecubae sororis, coniux, ex qua Mimantem procreavit. Aen. X. 704. Est tandem huius nominis Centaurus, Ophionis filius, qui in Pirithoi nuptiis Celadontem Lapitham funali interfecit. Ov. Met. XII. 245.

Amymōne, -es, fuit una e quinquaginta Danai filiabus, quae, e Neptuno gravida facta, Nauplium, Palamedis patrem, peperit (*). Ov. Her. XIX. 131. Prop. II. 20. 47. Est quoque hoc nomine fons Peloponnesi in Argolide prope Lernam lacum, quem Neptunus eduxit et Amymone appellavit. Ov. Met. II. 240.

Amyntās, -ae, Cous iuvenis, qui dum Romae beatas vetulas sectando brevi tempore divitias sibi acquirere studebat, ab Horatio perstringitur. Epod. XII. 18. Vocatur sic etiam puer, a Menalca pastore amatus. Virg. Ecl. II. 35. 36. III. 66. et al.

Amyntĭădes, -ae, i. e. Philippus, Amyntae filius, Macedoniae rex, Alexandri Magni pater, quem Pausanias, ab Attalo stuprum passus, postquam frustra ininriae ultorem advocaverat, confodit. Ov. in Ibin. 297.

Amyntor, -ŏris, fuit Dolopum rex, Ormeni regis filius, a Peleo armis victus, cui Crantorem filium obsidem dare coactus est. Phoenicem autem, alterum filium, excaecavit pater. Ov. Met. VIII. 307. et al. v. *Phoenix*.

Amyntore natus, i. e. Phoenix. Ov. Her. III. 27.

Amyntorĭdes, -ae, i. e. Phoenix, Amyntoris filius. Ov. Art. Am. I. 337. in Ibin 261.

Amythāon, -ŏnis, vir Argivus, Crethei et Tyronis Nymphae filius, qui ex Idomene uxore Melampodem procreavit. Ov. Met. XV. 325.

Amythaonĭus, -a, -um, ab Amythaone, vel ad Amythaonem pertinens. Virg. Ge. III. 550. Tib. IV. 1. 120. Prop. II. 2. 18.

Amythōne s. Amynthōne. Ov. Her. XV. 17. corrupta est lectio, rectiusque alii legunt Anactorie, q. v.

Anacrĕon, -ontis, poëta lyricus Graecus, Teo, Ioniae urbe, oriundus, lusit amatoria ac convivalia carmina, amavitque Bathyl-

(*) Cf. Apoll. II. 1. 4.

Digitized by Google

lum, puerum e Samo insula. Floruit circa Olymp. LXIII. s. A. U. CCXXX. Aliquot eius carmina adhuc supersunt. Hor. Od. IV. 9 9. Epod. XIV. 10.

Anactorĭe, -es, una e puellis Lesbiis, quas Sappho poëtria impudice amasse fertur. Ov. Her. XV. 17.

Anagnĭa, -ae, nobilis Latii in Hernicis urbs, quae hodie vulgo *Anagni* vocatur. Virg. Aen. VII. 684.

Anāphe, -es fuit parva insula Gretici maris, Cretae vicina. Ov. Met. VII. 461.

Anāpus, -i, s. Anāpis, -is, Siciliae fluvius, qui Cyanen flumen recipit, et prope Syracusas in mare defertur, hodieque *Alfëo* dicitur. Fingunt autem hinc poëtae, Anapum, Cyanes Nymphae amore captum, hanc in matrimonio habuisse. Ov. Fast. IV. 469. Met. V. 417. ex Pont. II. 10. 26.

Anaxarchus, -i, Abderita, fuit Philosophus, Democriti discipulus, Alexandro Magno gratiosus, apud quem quum aliquando una cum Nicocreonte, Cypri praefecto, coenasset, atque hunc acriter perstrinxisset, Necocreon postea, Alexandro mortuo, iniuriam sibi illatam sic ultus est, ut Anaxarchum, tempestate ad Cyprum appulsum, crudelissima affecerit morte, quam magna animi constantia tulisse fertur. Ov. in Ibin 573.

Anaxarĕte, -es, fuit virgo forma superbiens, Salamine in Cypro insula, quae quum ab Iphide frustra adamaretur, iuvenisque, vitae pertaesus, noctu clam ante puellae fores se suspendisset, ob animi crudelitatem a Venere irata in saxum mutata est. Ov. Met. XIV. 699. sqq.

Ancaeus, -i, Arcas, Lycurgi filius, qui quum Meleagro in apri Calydonii venatione opem ferret, a fera caesus est. Ov. Met. VIII. 315. sqq.

Anchemŏlus, -i, Rhoeti filius, Marrubiorum, s. Marsorum rex, Casperiam novercam vitiavit, quapropter patris iram fugiens, a Dauno, Turni patre, hospitio exceptus, deinde cum Turno ad bellum adversus Aenean profectus, a Pallante caesus est. Virg. Aen. X. 389.

Anchiălus s. Anchiălos, i, fuit Thraciae urbs, in Ponti Euxini ora sita, quam hodie *Anchialo* dicunt. Ov. Trist. I. 10. 36.

Anchisaeus, -a, -um, ab Anchise, vel ad Anchisen pertinens. Virg. Aen. V. 761.

Anchīses et Anchīsa, -ae, Troianus princeps, atque pro illorum temporum more etiam pastor, Capyos e Themide filius, paterque Aeneae, quem ei peperit Venus, a qua divinandi et divina interpretandi facultatem accepit; postea vero quam consuetudinem cum Venere vulgavit, iratae deae precibus a Iove fulminis adflatu debilitatus est. Troia deinde capta, ab Aenea

Digitized by Google

filio urbis incendio ereptus, et cum eo in Italiam profectus est. Classe vero ad Siciliam appulsa, ibi obiisse et sepultus esse traditur. Hor. Od. IV. 15. 31. Carm. Saec. 50. Virg. Aen. I. 617. (621.) et al. Ov. Her. VII. 163. et saepe.

Anchisiădes, -ae, i. e. Aeneas, Anchisae filius. Virg. Aen. V. 407. cf. Aen. VI. 126. 348. VIII. 541. et al.

Ancon, -ōnis, et Ancona, -ae, urbs in agro Piceno ad mare Adriaticum. Cat. XXXVI. 13.

Ancus Marcĭus, fuit quartus Romanorum rex, Numae Pompilii e filia nepos, qui sacra, a Tullo Hostilio rege neglecta, restituit, unde *sacrificus* dicitur, et bellica virtute Romani imperii fines propagavit. Hor. Od. IV 7. 15. Ep. I. 6. 27. Virg. Aen. VI. 816. Ov. Fast. VI. 803.

Andraemon, (*)-ŏnis, Dryopes coniux. Ov. Met. IX. 363. Fuit etiam *Andraemon*, Calydonis in Aetolia rex, Gorges, Oenei regis filiae, maritus, Theoantis pater; hinc *Andraemone natus* est Thoas, qui, quum Graeci Troianis bellum inferrent, Aetolorum dux fuit. Ov. Met. XIII. 357. v. *Thoas*.

Androgeonēus, -a, -um, ad Androgeum pertinens. Cat. LXIII. 77.

Androgĕus, -i, s. Androgĕos, -o, et Androgeon, -ōnis, Minois Secundi e Pasiphaë filius, qui postquam Athenas venit omnesque palaestra superavit, ab Aegeo, Atheniensium rege, invidia necatus est. Quo Minos cognito, ad poenas repetendas, Atheniensibus bellum intulit, illosque victos, quotannis septem pueros, totidemque puellas, qui devorandi Minotauro obiicerentur, in Cretam mittere coëgit. Virg. Aen. VI. 20. Ov. Her. X. 99. Met. VII. 458. Ab Aesculapio vitae restitutus traditur. Prop. II. 164. v. *Minotaurus*. Vocatur sic quoque unus e Graecis ducibus, qui ad Troiam occisus est. Virg. Aen. II. 371. 382. 392.

Andromăche, -es, s. Andromăcha, -ae, Eetionis, Thebarum regis, filia, Hectori nupta, Astyanactem peperit. Hectore autem occiso, post dirutam Troiam a Pyrrho, Achillis filio, captiva in Epirum abducta est, ubi post huius mortem Heleno, Hectoris fratri, qui ob singulare beneficium, Pyrrho praestitum, huic in Chaoniae, Epiri partis, regnum successerat, nupsisse traditur. Virg. Aen. II. 456. et III. 297. et al. Ov. Her. V. 107. VIII. 13. et al. Prop. II. 16. 2.

Andromēde, -es, s. An-

(*) Alii minus recte *Andremon*. Est enim Gr. Ἀνδραίμων, Apoll. II. 7. 3. de Gorges autem coniuge v. Id. I. 8. 1.

Digitized by Google

dromĕda, -ae, Cephei, Aethiopum regis, filia, ob Cassiopeae matris superbiam saxo alligata ac belluae marinae obiecta, a Perseo, eius amore capto, ea lege, ut sibi uxori daretur, liberata fuisse dicitur. Post mortem una cum patre, matre et marito, a Minerva inter sidera relata est. Ov. Her. XV. 86. XVIII. 151. Art. Am. I. 53. et al. Prop. I. 3. 4. Oritur autem *Andromedae pater* sub Ursae minoris cauda, die IX. Iulii mensis. Hor. Od. III. 29. 17.

Andros s. Andrus, -i, insula in Aegaeo mari, una e Cycladibus, e regione Euboeae et Atticae cum urbe eiusdem nominis. Hodie *Andro*. Ov. Her. XXI. 81. Met. VII. 469. sqq.

Anguis, -is, sidus coeleste, in septemtrionali plaga inter utramque Arcton collocatum, quod oriens tempestates excitare credebatur. Virg. Ge. I. 205. 244.

Anguitĭa s. Angitĭa, -ae, Nympha, Aeetae, Colchorum regis, filia, Medeaeque soror (*), prima Marsos remedia contra serpentes docuit, quam ob caussam illi mortuae divini honores sunt habiti in nemore inter Fucinum lacum et Albam Longam, quod inde nomen habet. Virg. Aen. VII. 759.

Anĭen, -ēnis, et Anĭo, -ōnis, Latii amnis, qui, ubi prope Tibur de alto scopulo ad triginta cubitos magna aquae mole ruens cataractam effecit, in Tiberim flumen iuxta Romam prolabitur. Hodie *Teverone*. Hor. Od. I. 7. 13. Virg. Aen. VII. 683. Ov. Met. XIV. 329. Prop. I. 20. 8.

Aniēnus, -a, -um, ab Aniene, vel ad Anienem pertinens.

Nympha Aniena, i. e. Aniena. Prop. III. 14. 4.

Aniena fluenta, i. e. Anien fluvius. Virg. Ge. IV. 369.

Anĭgros, -i, Thessaliae fluvius, in quo postquam Centauri, ab Hercule vulnerati, se abluerant, eius aqua, antea dulcis, amara facta fuisse narratur. Ov. Met. XV. 282.

Anio, v. Anien.

Anĭus, -i, Apollinis et Creüsae filius, in Delo insula rex et sacerdos, ad quem Anchises ante Troicum bellum consultum venit, an Priamo comes Salamina peteret. Habuit ex Dorippe tres filias, quae cum Bacchi ope omnia, quae vellent, in frumentum, vinum, vel oleum, mutarent, et ab Agamemnone, Troiam proficiscente, arcessitae, ut Graecorum exercitum alerent, vinctae abducerentur, a Baccho in columbas mutatae avolaverunt. Virg. Aen. III. 80. Ov. Met. XIII. 632. sqq.

Anna, -ae, cognomine Per-

(*) Nonnulli hanc Circes sororem; alii ipsam Medeam dicunt.

Digitized by Google

enna, fuit Beli filia, Didus soror (*), post cuius obitum, quum Iarbas, Getuliae rex, Carthaginem occupasset, in Italiam ad Aeneam profugit ab eoque benigne recepta est; ut autem a Lavinia, Aeneae uxore, insidias sibi fieri sensit, in Numicum fluvium se praecipitasse, et quia perenni amne lateret, Anna Perenna vocata et dea habita est. Virg. Aen. IV. 9. et al. Ov. Her. VII. 191. Fast. III. 146. 523. sqq.

Annĭbal s. Hannĭbal, -ălis. Hamilcaris filius, Carthaginiensis, clarissimus dux, quocum Romani alterum bellum Punicum gesserunt, et a quo cum saepenumero, tum maxime ad Cannas, L. Aemilio Paullo duce, atrocissimo victi sunt proelio; habuit autem in Romanos implacabile odium, quapropter eum semper timentes ad mortem usque persecuti sunt. Hor. Od. I. 12 38. III. 12. 2. et al. Ov. Fast. I 7.

Anser, -ĕris, Romanus poĕta, haud magni ingenii, qui Antonii Triumviri laudes cecinit, et praeterea obscoena carmina scripsisse videtur. Ov. Trist II. 435.

Antaeus, -i, Gigas, Neptuni et Terrae filius, Libyae rex, Busiridis frater, qui cum, maximus corpore, nemini robore cederet hospitesque secum luctari cogeret, ipso, quoties terram attingeret, novas adquirente vires. tandem ab Hercule, quem in certamen provocaverat, a terra sublatus, interfectus narratur. Ov. Her. IX. 71. Met. IX. 184. in Ibin 397. 401. Prop. III. 21. 10. Vocatur sic etiam Rutulorum dux, ab Aenea in Italia caesus. Virg. Aen. X. 561.

Antandrus, -i, Troadis urbs maritima, haud longe a Troia sub Idae montis radicibus sita, quam Leleges incoluere. Hodie *St. Dimitri*. Virg. Aen. III. 6. Ov. Met. XIII. 628.

Antemnae, -arum, urbs Sabinorum, inter Romam et Anienem fluvium. Virg. Aen. VII. 631.

Antēnor, -ŏris, Troianus, senex prudentissimus, unus ex iis, qui Helenam cum opibus Graecis reddendam, bellumque cum his componendum esse Troianis suaserint. Post Troiam captam profugus in Italiam venit, ibique Patavium urbem condidisse fertur. Hor. Ep. I. 2. 9. Virg. Aen. I. 242. (246.) Ov. Her. V. 95. Fast. IV. 75. Met. XIII. 201.

Antenorĭdae, -arum, i. e. Polybus, Agenor et Acamas, Antenoris filii (†), bello Troiano a Graecis interfecti. Virg. Aen. VI. 484.

(*) Varias opiniones de hac collegit Ovidius Fast. III. 655. sqq.

(†) v. Hom. Il λ. 59. Servius autem, ad Virg. Aen. I. 242., Helicaonem et Polydamum Antenoris filios refert.

Digitized by Google

Anthēdon, -ŏnis, Boeotiae urbs maritima e regione Euboeae, Glauci patria. Hodie *Antadone* vocatur. Ov. Met. VII. 232. XIII. 905.

Antheus, -ĕi, Troianus. qui, cum Aenea in Italiam profectus, in bello cum Turno se fortem praestitit. Virg. Aen. I. 181. (185). 510. (514.) XII. 443.

Anticўra, -ae, nomen duarum urbium, quarum altera in Phocide ad sinum Corinthiacum, altera in Locride iuxta Maliacum sinum et Oetam montem fuit, quae Helleboro fuit fertilissima, et quo, qui haud sana erant mente, proficiscebantur, ut Hellebori usu animi vitia sanarentur. Hor. Sat. II, 3. 83. 166. Ep. II. 3. 300 (*).

Antigŏne, -es, s. Antigŏna, -ae, Laomedontis, regis Troiae, filia, Priami soror, quae quod se forma Iunoni similem iactaverat, in ciconiam mutata fertur. Ov. Met VI. 93. Fuit etiam *Antigone* Oedipi filia, quae propter clam sepultum Polynicen fratrem, iussu Creontis viva sepulta est, ad cuius tumulum Haemon, Creontis filius, se interfecit. Prop. II. 7. 83.

Antilŏchus, -i, Nestoris ex Anaxibia filius, qui cum ad Troiam fortiter pugnasset, ab Hectore interfectus est (†). Hor. Od. II. 9. 14. Ov. Her. I. 15. Prop. II. 10. 49.

Antimăchus, -i, Graecus poeta tumidus, qui Lyden amicam carmine celebravit et epicum carmen de Thebano bello scripsit; utrumque vero periit. Cat. XCV. 10. Prop. II. 25. 45.

Antinous, -i, unus ex procis Penelopes, quem prae ceteris odio prosequebatur; primus ab Ulysse interfectus est. Prop. IV. 5. 8.

Antiŏchus, -i, cognomine Magnus, Syriae rex, hortantibus Thoante, Aetoliae principe, et Annibale, quem receperat, Romanis bellum intulit, a quibus primum mari, Aemilio Regillo duce, deinde terra ab Acilio Glabrione et Corn. Scipione Asiatico victus pacem petiit. Hor. Od. III. 6. 35.

Antiŏpe Nyctei filia, quae

(*) Quod vero Hor. h. l. *tribus Anticyris caput insanabile* dixerit, hoc non est intelligendum, ut interpp. inculcant, tanquam poëta tres Anticyras statuerit, cum de duabus tantum constet, quarum altera modo ob hellebori copiam laudatur; sed innuit, talem hominem sanari non posse, licet omnem congesserit hellleborum, qui tribus in locis, qualis est Anticyra, cresceret.

(†) Hom. Od. λ. 187. et Pindar. Pyth. 6. eum a Memnone occisum dicunt. Quapropter Ovidium l. l. suam opinionem ex iis sumsisse scriptoribus, qui posthomerica condiderint, verisimile videtur; de quibus videas, quae docte disputavit Heyne ad Virg. Aen. L. II. Exc. 1.

Digitized by Google

a Iove gravida facta, a patre ad Lycum; Nyctei fratrem, missa est; Dirce vero, Lyci uxor, maritum clam cum Antiope concubuisse credens, hanc, variis modis cruciatam, in tenebris vinctam clausit, unde effugit et, Amphionem Zethumque peperit. Prop. I. 4. 5. III. 13. 12.

Antiphātes, -ae, fuit crudelis ac ferus rex Laestrygonum, qui unum ex Ulyssis sociis discerptum devorasse fingitur. Hor. Ep. II. 3. 145. Sab. ap. Ov. I. 35. Met. XIV. 234. 239. et al. Tib. IV. 1. 59. Fuit etiam hoc nomine Sarpedonis nothus, qui cum Aenea in Italiam profectus a Turno caesus est. Virg. Aen. IX. 696.

Antiphatae domus, i. e. Formiae, urbs a Laestrygonibus condita. Ov. Met. XV. 717.

Antissa, -ae, parva insula, Aegypto opposita, cum urbe eiusdem nominis, haud procul a Lesbo, quacum postea coniuncta fuit. Ov. Met. XV. 287.

Antĭum, -i, veteris Latii urbs maritima, Volscorum quondam caput, templo Fortunae celeberrima. Hodie *Anzo Rovinato*. Hor. Od. I. 35. 2. Ov. Met. XV. 718.

Antius, -i, (C. Restio) Romanus, cuius meminit Cat. XLIV. 11.

Antonĭus (M.), -i, Romanus, qui cum Octaviano rempublicam Rom. occupavit; sed non diu post ad grave dissidium, inter illos exortum, dirimendum, Maecenas ab Augusto, Cocceius Nerva, et Fonteius Capito ab Antonio missi, Brundisium convenerunt, pacemque inter eos reconciliarunt. Cum vero Antonius pacis leges non servaret, et Octaviam, Octaviani sororem, repudiasset, hic illi bellum intulit, in quo Antonius a Cleopatra, Aegypti regina, quam uxorem duxerat, adiutus, pugna navali apud Actium ab Octaviano victus est; a quo deinde Alexandriae obsessus ipse sibi gladio mortem conscivit. Scripsit autem paullo ante praelium Actiacum libellum de Octaviani ebrietate. Hor. Sat. I. 5. 53. Virg. Aen. VIII. 685. Ov. ex Pont. I. 1. 23. Prop. III. 7. 56.

Antonius (*iulus*), vel, uti aliis placet, (*iulius*). fuit, M. Antonii e Fulvia filius, quem Caesar Augustus post M. Antonii interitum, magnis honoribus auctum, etiam Marcellae, suae sororis filiae, matrimonio in arctissimam affinitatem recepit. Ad hunc scripsit Horatius, cui intimus erat, Od. 2. L. IV.

Antonius Musa, Medicus, Augusti libertus, quem cum, morbo gravi laborantem, aqua frigida morti eripuisset, magna pecunia donatus, et ad equitis dignitatem evectus est, et ut omnibus, qui medendi artem profitebantur, ius annuli aurei concederetur, effecit; praeterea aquarum frigidarum usu tantam sibi famam conciliavit, ut calidae deinceps contemnerentur. Hor. Ep. I. 15. 3.

Antōres, -ae quidam ex Ar-

Digitized by Google

gis, Herculis comes, qui in Italia apud Euandrum regem remansit, et in proelio, quod Aeneas cum Turno fecit, a Mezentio occisus est. Virg. Aen. X. 778.

Anūbis,-ĭdis, fuit Aegyptiorum deus, quem sub specie hominis canino capite colebant. Virg. Aen. VIII. 698. Ov. Am. II. 13. 11. Met. IX. 689. Prop. III. 9. 41.

Anxur,-ūris, postea Tarracina dicta, fuit Latii urbs ad oram maris Tyrrheni, prope Pomptinas paludes in monte sita. Hodie *Terracine*. Hor. Sat. I. 5. 26. Vocatur sic etiam Rutulus, e Turni ducibus, ab Aenea in Italia interfectus. Virg. Aen. X 545.

Anxŭrus,-i, Iovis cognomen, quo colebatur sub pueri intonsi specie Tarracinae, quae urbs Volsco vocabulo Anxur appellata fuit. Virg. Aen. VII. 799.

Anȳtus,-i, Atheniensis rhetor, qui cum Melito, poëta, et Lycone, oratore, Socratem impietatis reum egerunt. Hor. Sat. II. 4. 3. Ov. Trist. V. 12. 12. in Ibin 559.

Aŏnes,-um, dicuntur Boeotiae montes, cuius primi incolae Aones dicti fuere. Virg. Ecl. VI. 65. v. *Boeotius*.

Aonĭdes,-um, vocantur Musae ab Helicone, Aoniae monte, et Aganippe atque Hippocrene, fontibus, qui ipsis sacri fuerunt. Ov. Met. V. 333. VI. 2.

Aonĭus,-a,-um, in, ex Aonia, vel ad Aoniam, i. e. Boeotiam, pertinens, id. q. Boeotius. Virg. Ecl. X. 12. Ov. Fast. I. 490. Met. I. 313. III. 339. et al. Cat. LXI. 28. Prop. III. 2. 42.

Aonius fons s. *Aonia aqua*, i. e. Hippocrene, Boeotiae fons. Ov. Fast. III. 456. ex Pont. IV. 2. 47.

Aonius deus, i. e. Bacchus, qui Thebas, Boeotiae caput, patriam habuit. Ov. Art. Am. I. 312. II. 380.

Aonius s. *Aonius hospes* dicitur Hercules, quod Thebis natus fuit. Ov. Met. IX. 112, in Ibin 395.

Aonius iuvenis, i. e. Hippomenes, cuius pater fuit Boeotiae rex. Ov. Met. X. 589.

Aonius vir, i. e. Amphiaraus, quod unus e septem ducibus fuit, qui Thebas oppugnarent, ibique perirent. Ov. in Nuc. 110.

Aonius vertex, i. e. Helicon, Boeotiae mons. Virg Ge. III. 11.

Aonia lyra, i. e. Musis sacra. Ov. Am. I. 1. 12. cf. Art. Am. III. 547. Prop. I. 2. 28.

Aoniae sorores sunt Musae, quod hae in primis in Boeotia sedem habere fingebantur. Ov. Trist. IV. 10. 39. v. *Aonides*.

Aoniae undae, i. e. mare, quod Boeotiam alluit. Ov. Met. XII. 24.

Aornos,-i, quasi sine avibus, dicitur Graeco vocabulo Avernus lacus. Virg, Aen. VI. 242. v. *Avernus*.

Digitized by Google

Apeliotes, -ae, i. e. eurus, a Graeco ἀπηλιώτης, quasi ab oriente flans. Cat. XXVI. 3.

Apella, -ae, fuit Horatii tempore notus Iudaeus Romae, de quo non constat. Hor. Sat. I. 5. 100.

Apelles, -is, pictor egregius, Coo insula oriundus, qui Alexandri Magni tempore vixit, et huic regi tam gratus fuit, ut a nullo alio pingi vellet. Eius picta Venus, quum ex mari emergit, in primis laudabatur. Hor. Ep. II. 1. 239. Ov. Art. Am. III. 401. Prop. III. 7. 11.

Appellēus, -a, -um, ab Apelle, ad Appellem pertinens. Prop. I. 2. 22.

Apenninicŏla, -ae, i. e. incola Apennini montis. Virg. Aen. XI. 700.

Apenninigĕna, -ae, in Apennino monte natus, vel in eo habitans. Ov. Met. XV. 432.

Apennĭnus, -i, est mons, sive potius montium tractus, qui, ab Alpibus maritimis proficiscentes, totam fere Italiam tanquam dorsum ad Siciliam usque percurrunt. Hor. Epod. XVI. 29. Virg. Aen. XII. 703. Ov. Met. II. 226.

Aphaea, -ae, cognomen Nymphae Britomartis. Pseudo-Virg. Cir. 303. v. *Britomartis*.

Aphareĭus, -a, -um, ab Aphareo, vel ad Aphareum pertinens. Fuit autem *Aphăreus*, Messeniorum rex, Lyncei et Idae ex Arene pater.

Aphareia proles dicitur Lynceus, Apharei filius. Ov. Met. VIII. 304.

Aphăreus, -ĕi, est unus e Centauris, quos Theseus in Pirithoi nuptiis interfecit. Ov. Met. XII. 341.

Aphidna, -ae, vicus in Attica, ubi Castor, Pollucis frater, a Lynceo, Apharei filio, fuit interfectus. Ov. Fast. V. 708.

Apidănus, -i, Thessaliae fluvius, qui Enipeo flumine accepto in Pineum flumen prope Larissam exoneratur. Hodie *Pidanemo* vocatur. Ov. Met I. 580. VII. 228. Prop. I. 3. 6.

Apis, -is, et -ĭdis, fuit bos candidus cum nigris maculis, quem Aegyptii divino honore prosequebantur. Ov. Am. II. 13. 14. Met. IX. 690.

Apollināris, -e, ab Apolline, vel Apollini sacer. Hor. Od. IV. 2. 9.

Apollinĕus, -a, -um, ab Apolline, vel ad Apollinem pertinens, Apollini facer. Ov. Fast. VI. 91. et al.

Apollineus Byblidis frater, i. e. Caunus, Mileti filius, Apollinis nepos. Ov. Met. IX. 454.

Apollineus vates, i. e. Orpheus, ita dictus, quod vel Apollinis filius a nonnullis fingitur, vel ab eo Lyram ciusque artem accepisse fertur, vel quod poëtae Musis, quibus Apollo praecst, sacri sunt. Ov. Met. XI. 8.

Digitized by Google

Apollinea urbs, i. e. Delos, ubi Apollo natus fuit. Ov. Met. XIII. 631.

Apollinea proles, i. e. Aesculapius, Apollinis filius. Ov. Met. XV. 533. v. *Coronides*, *Hippolytus*.

Apollinea ars, i. e. vaticinandi, qua multum valuit Apollo, Ov. in Ibin 266. aut medendi ars, quam invenit, et cuius deus habitus est. Ov. Trist. III. 3. 10.

Apollo, -ĭnis, qui et *Phoebus*, et *Sol*, Iovis è Latona filius, cum Diana in Delo insula natus, medicinam, poëticam, musicam, vaticinandi, et sagittandi artes invenisse dicitur, atque adeo harum deus est habitus (*). Musarum, quibus praeest, pater et dux vocatur; Pythonem, serpentem, quam Iuno Latonae immiserat, adhuc puer interfecit. Quum Iupiter Aesculapium, eius filium, fulmine percusserat, Cyclopas interemit, quapropter coelo expulsus, Admeti, Thessaliae regis, armenta ad Amphrysum flumen pavit. Uxorem quidem numquam habuit, nihilominus cum innumeris concubuit Nymphis, e quibus satis magnam prolem procreavit. Fingitur plerumque iuvenis, lauream coronam in capite gerens, lyramque manu tenens, vel arcu et pharetra instructus, habuitque plurimis locis templa, in quibus Delphicum cum eius Oraculo maxime celebre fuit. Augustus A. U. DCCXXVI. in Palatino monte ei templum exstruxit, et huic insignem bibliothecam addidit. Hor. Od. I. 2. 32. et al. Virg. Ecl. III. 4. et al. Ov. Her. XV. 23. et saepe. Prop. I 8. 41.

Apollo. i. e. Apollinis Actiaci templum. Virg. Aen. III. 275. v. *Actiacus*.

Apollinis urbs, i. e Apollonia cognomine Magna, urbs Thraciae, in Getico litore supra Thynniam promontorium, ubi Apollo templum habuit. Hodie *Sissipoli*. Ov. Trist. I. 10. 35.

Apolline natus, i. e. Aesculapius. Ov Met. XV. 639.

Appĭas, -ădis, dicitur Venus ab Appia aqua, ad cuius salientes Romae templum habuit. Ov. Rem. Am. 660. Item Veneris vel Nymphae alicuius statua, ad Appiam aquam. Ov. Art. Am. I. 82.

Appiades sunt statuae et imagines dearum et Nympharum, quae ornatus caussa circum Appiae aquae salientes erant collocatae, et e corporis partibus aquam emittebant (†). Ov. Art. Am. III. 452.

Appĭus Claudius Caecus, -i, Romanus, qui A. U. CCCCXLIII. Censor viam a Roma Capuam usque

(*) Cf. Hor. Od I. 21. et Carm. Saec.
(†) v. Bentl. ad Hor. I. 22. 14. Aliter vero interpretatur Heins. I. 1, q. v.

Digitized by Google

munivit, et primus aquam a Tusculo urbe per canales in Urbem duxit, quae duae ab ipso *Appiae* dictae fuere. Hor. Sat. I. 6. 21. Ep. I. 6. 26. Ov. Fast. VI 203.

Appii forum fuit parvum oppidum Latii veteris, ad viam Appiam iuxta paludes Pomptinas. Hor. Sat. I. 5. 3.

Appĭus, -a, -um, ad Appium Claudium Caecum, vel ad Appiam viam pertinens Ov. ex Pont I. 8. 68.

Appia, et *Appia via* fuit viarum omnium maxima, quam, saxis quadratis egregiam, Appius Claudius Caecus Romae, a Capena porta ad Capuam urbem (*) usque, tam late muniendam curavit, ut duo plaustra, sibi ex adverso occurrentia, facile transirent, unde postea a Iulio Caesare, vel ab Augusto, vel ab alio quoquam Brundisium usque eodem modo strata, pariterque Appia fuit dicta. Hor. Epod. IV. 14. Sat. I. 5. 6. Ep. I. 6. 26. Ov. ex Pont. II. 7. 44. Prop. II. 23. 44.

Apulĭa s. Appulĭa, -ae, Italiae inferioris regio, Horatii patria, quae Aufido flumine in duas partes, Dauniam, hodie *Puglia Piana* et *Capitanata*, et Peucetiam, *Terra di Bari* et *Puglia*, divisa fuit. Hor. Od. III. 5. 10. Epod. III. 16. et al.

Apulĭcus s. Appulĭcus, -a, -um, id q. Apulus.

Apulicum mare, i. e. Hadriaticum, cuius pars Apuliam alluit. Hor. Od. III. 24. 4.

Apŭlus s. Appŭlus, -a, -um, in vel ex Apulia, ad Apuliam spectans, Apuliae incola. Hor. Od. I. 33. 8. III 4 9. et al. Alb. ad Liv. ap. Ov. 388. Fast. IV. 76. Met. XIV. 517.

Aquarĭus, -i, coeleste sidus, unum e duodecim Zodiaci circuli signis, quod medio fere Ianuario oritur, Februario occidit, et in quod Ganymedem post mortem a Iove conversum fingunt. Hor. Sat. I. 1. 36. Virg. Ge. III. 304. Ov. Fast. II. 457.

Aquĭlo, -ōnis, Graecis Boreas, q. v.

Aquilone creati et *Aquilonia proles*, i. e. Zethes et Calais, Boreae ex Orithyia filii. Ov. Met. VII. 3. Prop. I. 20. 25.

Aquīnas, -ātis, in vel ex Aquino, ad Aquinum pertinens. Fuit autem *Aquinum* Latii novi oppidum, in Samnitium confinio, ubi olim purpura spuria tingebatur. Hodie idem nomen servat. Hor. Ep I 10. 27.

(*) Aur. Vict. de ill. Vir. c. XXXIV. hanc ab Appio Claudio Caeco ad Brundisium stratum refert; rectius tamen ad Capuam alii scriptum reliquere, Front. de Aquaeduct. L. I. princ. Quamquam, a quonam altera illa pars strata sit, aliunde non constat, v. Lips. de Magnit. Rom. L. III. c. 10.

Digitized by Google

Aquinius, -i, malus poëta, cuius carmina venena vocat Catullus XIV. 18.

Aquitānus, -a, -um, ex Aquitania, ad Aquitaniam pertinens. Fuit autem *Aquitania* Galliae regio, de qua M. Valerius Messala triumphum egit anno U. C. DCCXXVII. Tib. I. 7. 3. II. 1. 33.

Arabs, -ăbis, in vel ex Arabia, Arabiae incola, quae fuit Asiae regio inter Aegyptum et Chaldaeam, in tres partes divisa, Arabiam *petraeam*, *desertam* et *felicem*, quarum postrema tum pretiosissimarum, quae ex India apportabantur, mercium permutatione, tum sui ipsius soli uberrimo [illegible] ut turis, casiae, nardi et spicae, ac auri proventu, Romanis quaestuosissima fuit. Hor. Od. I. 29. 1. I. 35. 40. et al. Virg. Ge. II. 115. et al. Ov. Fast. IV. 569. Met. X. 478. Tib. II. 2. 4. et al. Cat. II. 5. Prop. II. 22. 17.

Arabs Myrrha, i. e. in Arabia in arborem conversa. Pseudo-Virg. Cir. 238.

Arabius et Arăbus, -a, -um, in vel ex Arabia, ad Arabiam pertinens. Virg. Aen. VII. 605. Prop. II. 2. 25.

Arabus ros, i. e. Myrrha gummi, quod in Arabia ex arboribus incisis manat, et a veteribus in unguentis odoris gratia adhibebatur. Ov. Her. XV. 76.

Arachne, -es, Idmonis Colophonii filia, quae cum, a Pallade textrinum artificium docta, posteaque hanc ipsam in certamen provocare esset ausa, ob suam superbiam ab irata dea in araneam mutata fingitur, quae inde et Minervae invisa dicitur (*). Ov. Met. VI. 5. sqq.

Aracynthus, -i, Boeotiae mons in finibus Atticae. Virg. Ecl. II. 24. Prop. III. 13. 42.

Arar, -ăris, et Arăris, -is, Galliae fluvius leniter fluens, qui prope Lugdunum in Rhodanum flumen exoneratur. Hodie *Saone*. Virg. Ecl. I. 63. Tib. I. 7. 11.

Arātus, -i, Poëta et Astronomus peritissimus Graecus e Solis, Ciliciae urbe, oriundus, cuius scripta maxima parte non ad nos pervenere. Floruit autem Olymp. CXXVII. a. 1. s. A U. CCCCLXXXII. Ov. Am. I. 15. 16.

Araxes, -is, flumen Armeniae Maioris, quam a Media separat, fines regni Tomyridis. Exoneratur autem in mare Caspium, et hodie *Arasse* vocatur. Virg. Aen. VIII. 728. Tib. IV, 1. 143. Prop. III. 10. 8. IV. 3. 37.

Arbuscŭla, -ae, fuit Romae mima, quae, dummodo optimatibus placeret, plebis plausum sperneret. Hor. Sat I. 10. 77.

Arcadĭa, -ae, Peloponnesi regio mediterranea, montuosa, pas-

(*) Cf. Virg. Ge. IV. 246.

Digitized by Google

cuis plena, et hinc Pani, pastorum deo, sacra. Virg. Ecl. IV. 58. et al. Ov. Met. I. 689. II. 405. et saepe.

Arcadiae colles sunt Cyllene, Lycaeus, Parrhasius, Pholoë, rell. Hor Od. IV. 12. 12.

Arcadĭus, -a, -um, in vel ex Arcadia, ad Arcadiam pertinens. Ov. Fast. I 478. et al. Prop. I. 1. 14.

Arcadius magister, i. e. Aristaeus pastor. Virg. Ge. IV. 283.

Arcadius tyrannus, i. e. Lycaon, Arcadiae rex. Virg. Aen. V. 299. et al Ov. Met. I. 218.

Arcadius deus, i. e. Pan. Prop. I. 18. 20.

Arcadia virgo, i. e. Arethusa, Nympha venatrix Arcadiae. Ov. Am. III. 6. 30.

Arcadia dea, i. e. Carmentis, Euandri mater. Ov. Fast. I. 462.

Arcas, -ădis, qui, quae ex Arcadia est, ad Arcadiam pertinet. Virg. Ecl. VII. 4. et al. Ov. Fast. II. 272.

Arcas, i. e. Iovis e Calisto filius, a quo Arcadia nomen accepit. Ov. Fast. I. 470. Met. II. 468. sqq. v. *Arctophylax*.

Arcas rex, i. e. Euandrus. Virg. Aen. VIII. 102.

Arcens, -tis, Siculus, qui filium, e Nympha prope Symaethum flumen susceptum, cum Aenea in Italiam miserat. Virg. Aen. IX. 581. sqq.

Arcesĭus, -i, Iovis ex Euryodia filius, Laërtae pater, Ulyssia avus. Ov, Met. XIII. 144.

Archemŏrus, -i, Lyci regis filius, qui quum ab Hypsipyle nutrice in terra depositus, dum haec septem Thebas euntibus ducibus aquam demonstrat, a dracone devoratus est. Adrastus et ceteri dracone interfecto Archemoro ludos quinquennales instituerunt. Prop. II. 25. 38.

Archiăcus, -a, -um, ad Archiam pertinens, ab Archia confectus. Fuit autem *Archĭas* brevium, tricliniorum opifex. Hor. Ep. I. 5. 1.

Archilŏchus, -i, poëta Graecus lyricus, e Paro insula oriundus, qui inter Olymp. XV., et XXIII. floruit, et iambici carminis inventor fuit; quod carminis genus imitati sunt Alcaeus et Sappho, et e Romanis primus Horatius. Scripsit autem Archilochus iambicum carmen tam acerbum et mordax in Lycamben, quod hic Neobulen filiam, sibi desponsatam, mutata sententia, alii in matrimonium dedisset, ut et Lycamben et Neobulen ad laqueum compulisse narretur. Hor. Sat. II. 3. 12. Ep. I. 19. 25. II. 3. 79.

Archȳtas, -ae, Tarentinus, Pythagoreus, Platoni familiaris, cum Philosophiae, Geometriae et Astronomiae disciplinis clarus, tum maxime in republica domi bellique illustris fuit. Floruit autem circa Olymp. XCIV. a. 4. s. A. U.

Digitized by Google

CCCLIII., Hor. Od. I. 28. 2. Prop. IV. 1. 79.

Arctophylax, -ăcis, sidus in plaga boreali post Ursam maiorem, quod alio nomine *Bootes* audit. Arcas scilicet Iovis et Callistus filius, quum matrem, a Iunone in ursam mutatam, interficere vellet, cum ea a Iove inter sidera relatus est; illa autem Ursa maior, hic Arctophylax, i. e. Ursae custos, dictus est. Ov. Her. XVIII. 183. Fast. II. 190. III. 405.

Arctos, -i, duplex sidus septemtriones versus, cuius unum etiam *Helice*, Latine *Ursa maior*, alterum *Cynosura*, Latine *Ursa minor*, vocatur; utrumque autem quia intra circulum Arcticum circa Polum vertitur, qui nobis semper est conspicuus, nunquam occidit: fingunt hinc poëtae, Iunonem, quum suas pellices inter sidera relatas videret, a Tethye impetrasse, ut ne unquam maris aqua tingerentur. Virg. Ge. I. 138. 245. Aen. VI. 16. Ov. Her. XVIII. 149. Fast. III. 106. et al. Saepe pro ipsa boreali plaga ponitur. Hor. Od. I. 26. 3. II. 15. 16. v. *Callisto*, *Cynosura* et *Helice*.

Arcturus, -i, stella post Ursae maioris caudam in signo Bootae s. Arctophylacis, quae V. die Septembris oriens et XXIX. die Octobris occidens graves tempestates excitare dicitur. Hor. Od. III. 1. 27. Virg. Ge. I. 68. 204. sqq. Ov. ex Pont. II. 7. 58.

Ardĕa, -ae, princeps Rutulorum urbs, in Latio inter Ostiam et Antium, a Danaë. Persei matre, condita, quam, interfecto Turno, Aeneas incendio delevit, et ex cuius cineribus ardea avis orta fingitur. Virg. Aen. VII. 411. et al. Ov. Fast. II. 721. sqq.

Arecc̄us, -a, -um, (*) in vel ex Arecca, Susianae in Asia urbe, vel ad Areccam pertinens. Tib. I. 4 142.

Arestorĭdes, -ae, i. e. Argus, Arestoris filius. Ov. Met. I. 624.

Arethūsa, -ae, Siciliae fons, in Ortygia insula, quae erat pars urbis Syracusarum. Fabulantur autem poetae, Arethusam, Nerei e Doride filiam, venatricem fuisse Arcadiae Nympham, quae cum forte in Alpheo flumine, quod Pisam, Elidis urbem, alluit, se lavasset, ab hoc ipso adamata est, sed amatorem fugiens, tandem in Sicilia, ope Dianae, in sui nominis fontem est conversa; Alpheus autem, per occultos terrae meatus subter mare illam insecutus et in Siciliam delatus, ibi se cum ea miscuisse fertur. Virg. Ecl. X. 1. Ge. IV. 344. 351. Aen. III. 696. Ov. Fast. IV. 423. et al. Item puellae nomen, quo Aeliam Gallam significasse videtur Propertius. IV. 3. 1.

(*) Alii *Arecteus*.

Digitized by Google

Arethūsis, -ĭdis, quae ex Arethusa est, ad Arethusam pertinet. *Arethusides* dicuntur Syracusae, quod Arethusa est fons in Ortygia insula, Syracusarum parte. Ov. Fast. IV. 873.

Aretīnus, -a, -um, in vel ex Aretio, vel ad Aretium pertinens. Fuit autem *Aretium* s. *Arretium* Etruriae urbs, ad Arnum. Hodie *Arezzo*. Tib. IV. 8. 4.

Arganthus, -i, mons Bithyniae, qui etiam *Arganthonius* dictus fuisse videtur. Prop. I. 20. 33.

Argēus, -a, -um, id. q. Argivus. Pseudo-Virg. Cul. 342.

Argeum Tibur, i. e. ab Argivis colonis conditum. Ov. Am. III. 6. 46. cf. Hor. Od. II. 6. 5. v. *Tibur*.

Argei fuerunt loca Romae, ubi sacra fierent, ita dicta, uti nonnulli putant, quia quidam Argivorum viri illustres his in locis sepulti essent. Ov. Fast. III. 791.

Argi, -orum. v. Argos.

Argilētum, -i, fuit nemus Romae sub Capitolio, appellatum ab Argo, quem ab Euandro hospitio exceptum Arcades, eo inscio, interfecerunt illoque loco sepeliverunt. Virg. Aen. VIII. 345.

Argīvus, -a, -um, ex Argis, vel ad Argos pertinens, id. q. Graecus. Hor. Od. III. 3. 67. IV. 6. 25. Virg. Aen. I. 40. (44.) et saepe. Ov. Am. III. 13. 31. Cat. LXIV. 4. Prop. I. 15. 22.

Argivus augur, i. e Amphiaraus. Hor. Od. III. 16. 11.

Argiva Iuno, i. e. Graecis favens. Virg. Aen. III. 547.

Argo, -us, i. e. navis, qua Iason aureum vellus petiturus cum delecta Graecorum iuvenum manu in Colchidem navigavit, dicta ab Argo quodam, qui eam, Pallade adiutrice, aedificavit; unde quoque eius vectores Argonautae vocati sunt. Virg. Ecl. IV. 34 Ov Her. VI. 65. XII. 11. Am. II. 11. 6. et al. Prop. I 19. 17.

Argolĭcus, -a, -um, id q. Argivus, vel Graecus. Virg. Aen. II. 55. et saepe. Ov. Her. VI. 80.

Argolica pellex, i. e. Io. Ov. Met. I. 726.

Argolica urbs, i. e. Argos. Ov. Met IV. 608.

Argolicum mare, i. e, quod Argos alluit, pars maris Ionii. Virg. Aen, V. 52.

Aegŏlis, -ĭdis, quae est ex Argis, vel Graecia, ad Argos, vel Graeciam pertinet. Ov. Her. VI. 81. et al.

Argonautae, -arum, dicuntur heroës, qui, Iasone duce, aureum arietis vellus e Colchide petierunt; nomen autem habent ab Argo navi, qua in Colchidem vecti sunt. Hor. Epod. III. 9. v. *Iason*, *Medea*.

Argos et Argi, -orum, antiquissima et celeberrima Peloponnesi urbs, Argolidis regionis caput, pascuis nobilis, Iunoni sacra,

Digitized by Google

ab Inacho rege condita. Hor. Od. I. 7. 9. Sat. II. 3. 132, et al. Virg. Aen. I. 24. (28.) et saepe. Ov. Her. XIV. 34. Rem. Am. 166. et al.

Argōus, -a, -um, ad Argo navem pertinens. Hor. Epod. XVI. 59. Pseudo-Virg. Cul. 135. Prop. III. 21. 13.

Argus, -i, Agenoris filius (*), centum oculos habuisse dicitur, quam ob causam Iuno Io, Inachi filiam, a Iove in vaccam mutatam, huic custodiendam tradidit; Mercurius vero, a Iove missus, Argum, cantus dulcedine sopitum, interfecit: quo facto Iuno Argi oculis pavonis, suae avis, caudam ornavit. Virg. Aen. VII. 791. VIII. 346. Ov. Am. III. 4. 19. Art. Am. III. 618. Met. I. 624. et al. Prop. I. 320. v. *Io*. Vocatur sic etiam Euandri hospes. Virg. Aen. VIII. 346. v. *Argiletum*.

Argynnus, -i, puer Boeotus, ab Agamemnone amatus, et in amnem Cephisum submersus. Prop. III. 5. 52.

Argyrĭpa, -ae, fuit quondam celeberrimum oppidum in Daunia, Apuliae parte, post Troianum bellum a Diomede conditum, postea *Arpi* vocatum; quod nomen hodie eius ruinae servant. Virg. Aen. XI. 246.

Ariadna, -ae, et Ariadne, -es, Minois Secundi, Cretae regis, e Pasiphaë filia, Theseum, quem amabat, ab Atheniensibus ex foedere Minotauro devorandum missum, armis, quibus hoc monstrum interficeret, instruxit, et fili glomere, quo vias signaret, labyrintho liberavit. Deinde hunc, Athenas redeuntem, secuta, in Dia, s. uti postea dicta fuit, Naxo insula relicta est, ubi Bacchus hanc uxorem duxisse, eiusque coronam inter sidera retulisse fingitur (†). Ov. Art. Am. III. 35. Cat. LXIV. 54. Baccharum choros duxisse fertur ap. Prop. II. 11. 28. v. *Minotaurus*.

Ariadnaeus, -a, -um, ab Ariadne, vel ad Ariadnen pertinens. Cat. LXVI. 60.

Ariadnaeum sidus, i. e Ariadnes corona. Ov. Fast. V. 346.

Aricĭa, -ae, parva Latii urbs sub Albano monte in via Appia, sic appellata ab Aricia, Hippolyti uxore, postquam eum Aesculapius ab inferis revocaverat. Hodie *la Riccia*. Haud procul ab hac urbe fuit vallis *Aricina*, in qua fons cum nemore. Diana autem ab Oreste huc delata, in eo culta et *Aricina* cognominata est. Sacris eius praeerat servus fugitivus, qui cum alio quovis servo pugnare cogebatur, et servus, qui Deae sacerdotem

(*) Sic Apollod. I. 2. Asclepiades eum *Arestoris* filium dicit. Id. I. 1. § 3. unde *Arestorides*. ap. Ovid. Met. I. 924.
(†) Fabulam late narrat Ovid. Met. VIII. fab. 2.

Digitized by Google

pugna superarat, statim ei in sacerdotium succedebat, et *rex nemorensis* vocabatur Erat praeterea in ea valle domus Egeriae Nymphae, Numae Pompilii uxoris; locus autem nocturni congressus cum Numa fuit in antro Capenarum apud Capenam portam sub Aventino monte. Hor Sat. I. 5. 1. Ep. II. 2 167. Virg. Aen. VII. 762. Ov. Fast. VI, 59.

Aricīnus, -a, -um, in vel ex Aricia urbe, vel ad Ariciam urbem pertinens. Hor Ep. II. 2. 167. Ov. Fast. III. 91. 263. 391. VI. 756. Met. XV. 488.

Arĭes, -ĕtis, unum e duodecim Zodiaci circuli signis, quod sol ineunte vere ingreditur. Ov. Met. X. 165.

Ariminensis, -e, ex Arimino, vel ad Ariminum pertinens. Fuit autem *Arimĭnum* Umbriae urbs maritima, ad Arimini fluminis ostia. Hodie *Rimini*. Hor. Epod. V. 42.

Arīon, -ŏnis, fuit clarus citharoedus et poëta e Methymna, urbe in Lesbo insula, qui floruit circa Olymp. XL. s. A. U. CXXXIII. Hic quum sua arte Periandrum, Corinthi regem, sibi amicum conciliasset, Siciliam atque Italiam visum profectus est, ibique arte sua locuples factus, cum opibus Corinthum redire voluit. Famuli vero, pecuniae cupidi, ad eum interficiendum cum nautis consenserunt; quo ille intellecto ab his petiit, ut prius, quam occideretur, paululum cithara canere sibi liceret; ad cuius sonum cum delphini circa navem venissent, Arion in mare desilĭit, et ab uno e delphinis dorso receptus, incolumis ad Taenarum, in terra Laconica, devectus est. Hinc Corinthum profectus rem, ficut acciderat, narravit; qua re cognita Periander nautas, tempestate huc delatos, crucibus adfixit. Delphin autem inter sidera relatus fingitur. Virg. Ecl. VIII. 56. Ov. Fast. II. 83. 91. 95. Fuit *Arĭon* etiam celer equus, qui, a Neptuno procreatus, futura praecinebat, et ab Hercule Adrasto donatus eum ex pugna ante Thebas servavit. Quum Polynices deinde eo uteretur in ludis in honorem Archemori, Arion equitem deiecit et sibi soli victoriam reportavit. Prop. II. 25. 37.

Arionĭus, -a, -um, ab Arione, vel ad Arionem pertinens. Ov. Art. Am. III. 326. Fast. II, 93. Prop. II. 20. 18.

Arisba, -ae, oppidum in Troade, vel, ut aliis placet, Lesbi insulae, a Troianis, Anchise duce, ante bellum cum Graecis captum. Virg. Aen. IX. 264.

Aristaeus, -i, Apollinis e Cyrene Nympha filius, Arcadiae rex, primus mellis usum, et e lacte coagulum s. caseum premere hominibus tradidit. Hic cum Eurydicae, Orphei uxori, stuprum inferre tentasset; illa autem fugiens ser-

Digitized by Google

pentis morsu periisset, ceterae Nymphae, ira commotae, omnes eius apes interfecere; tum Cyrenen matrem adiit, quae Nymphas sacrificiis placandas, et Orpheo atque Euridicae inferias ferendas, eum docuit; quo facto e victimarum visceribus nova apum examina orta traduntur. Virg. Ge. IV. 317. sqq. Ov. Fast. I. 363. ex Pont. IV. 2. 9.

Aristarchus, -i, Samothrax, celeber fuit grammaticus, severus et prudens, qui maxima diligentia, quid in priorum temporum monumentis genuinum, quid spurium esset, primus inquisivit. Maxime vero Homeri scripta castigavit; quo factum est, ut apud omnes antiquitatis eruditos immortalem sibi famam conciliaverit. Floruit autem Alexandriae sub Ptolemaeo Philometore circa Olymp. CLVI. s. A. U. DC. Huius scripta ad nostram aetatem non pervenerunt. Hor. Ep. II. 3. 450. Ov. ex Pont. III. 9. 24.

Aristides, -is, Lysimachi filius, Atheniensis, qui, quod singulare imperium sibi adfectasse credebatur, a civibus exsilio decem annorum multatus est. Quo facto Lacedaemonem se contulit, ibique vixit, donec sexto fere anno, quam erat expulsus, in patriam restitutus est. Ov. ex Pont. I. 3. 71. Vocatur sic etiam Milesius historicus, qui de amore librum impudicum scripsit, quem Latine vertit L. Corn. Sisenna. Ov. Trist. II. 413. 443.

Aristippus, -i, Philosophus Cyrene oriundus, Socratis discipulus, Cyrenaicae Philosophiae auctor, floruit circa Olymp. LXXXIX. a. I. s. A U. CCCXXX. Voluptatem, quae sensus movet, summum bonum putabat; hinc ad omnes res hominesque se accommodabat, praesentibus non acquiescere, sed semper plura appetere turpe ducens. Aurum, in longiori itinere portatu difficilius, servos abiicere iussit. Quum vero quis ei obiiceret, quod Laidi, scorto nobili Athenis, serviret, respondit: Habeo, non habeor a Laide (*). Ad quae respexit Horatius, cum dicat: Et *mihi res, non me rebus*, (ut Stoici), *subiungere conor*. Hor. Sat. II. 3. 100. Ep. I. 1. 18. 17. 14. sqq.

Aristius Fuscus, -i, fuit grammaticus, poëta et rhetor egregius, homo facetus, sed sorte sua minime contentus, utpote divitiarum et splendoris cupiditate, suae aetatis vitiis, laborans, Horatioque familiarissimus, qui ad eum scripsit Od. 22. L. I. et Ep. 10. L. I.

Aristophanes, -is, poëta comicus, isque facetissimus, in ho-

(*) Ἔχω Λαΐδα, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι, Diog. Laërt. L. II. in Arist. vit. fere princ. cf Cic. ad Div. IX. 26.

Digitized by Google

minum vitiis carpendis liberrimus, et mordacissimus, qui Socratis et Platonis tempore Olymp LXXXIX. a. 1. s. A. U. CCCXXX. Athenis floruit, et quinquaginta quattuor comoedias scripsit, ex quibus undecim adhuc supersunt. Hor. Sat. I. 4, 1.

Aristorĭdes, -id. q. Arestorides, q. v.

Ariusĭus, -a, -um, (*) ex Ariusio, ad Ariusium pertinens. Fuit autem *Ariusium* promontorium et tractus in Chio insula, ubi vinum, inter transmarina generosissimum, nascebatur. Virg. Ecl. V. 71.

Armenĭus, -a, -um, in vel ex Armenia, ad Armeniam pertinens. Fuit autem *Armenia* Asiae regio inter Caucasum et Taurum montes, mari Caspio vicina, et Euphrate flumine in majorem et minorem divisa, tigribus abundans. Hodie illa dicitur *Turcomannia*, haec *Aladulia*. Hor. Od. II. 9. 4. Ep. I. 12. 27. Virg. Ecl. V. 29. Ov. Am. II. 14. 35. Art. Am. I. 225. et al. Tib. III. 6. 25. Prop. I. 9. 19.

Armenii odorati sunt in genere Orientis populi, odoribus abundantes. Tib. I. 5. 36.

Arnus, -i, Etruriae flumen, quod se in Tyrrhenum mare exonerat. Hodie *Arno*. Tib. IV. 8. 4.

Arne, -es, femina, quae illecta auri cupiditate insulam patriam hosti oppugnanti prodidit, quam ob causam in monedulam avem mutata fingitur. Ov. Met. VII. 465. Sed lectio est incerta.

Arpi, -orum, Apuliae urbs, eadem, quae Argyripa. Virg. Aen. X. 28. et al.

Arria, -ae, mulier quaedam. Prop. IV. 1. 85.

Arrĭus (Q.), -i, Praetor Siciliae designatus, duos habuit perditae luxuriae filios, quorum alter consulatum petiturus, populāris aurae captandae gratia, tam splendidum dedit epulum, ut luscinias, vel maximo emtas pretio, comedendas in coena apponeret. Hor. Sat. II. 3. 86. Cat. LXXXIV. 4. 2.

Arruns, s. Aruns, -untis, unus ex Etruscis, quibuscum Tarchon Aeneae, bellum in Italia gerenti, auxilio venit. Camillam telo transfixit. Virg. Aen. XI. 759. sqq.

Arsinŏe, -es, Ptolemaei philadelphi, regis Aegypti, soror et coniux, quae ab Aegyptiis nomine Chloridis fuit culta. Cat. LXVI. 54.

Artacie, -es, flumen in regione Laestrygonum. Tib. IV. 1. 59.

Arupīnas, -atis, ex Arupino, urbe Iapydum, ab Augusto capta. Tib. IV. 1. 110.

(*) Alii Arvisius, sed male, uti videtur; est enim Graece Ἀριούσιος, v. Heins. ad h. l.

Digitized by Google

Ascalăphus, -i, Acherontis ex Orphne Nympha filius, qui a Proserpina propterea, quod hanc septem mali Punici grana comedisse enuntiasset, quo dea ex orco redire prohibebatur, in bubonem mutatus narratur. Ov. Met. V. 539.

Ascanĭus, -i, cognomine Iūlus, Aeneae ex Creüsa filius. Diruta Troia cum patre in Italiam profectus est, ibique, Aenea rege mortuo, *Albam Longam* condidit, eoque regiam sedem transtulit. Puerorum lusus, *Troia* dictus, ab eo institutus fertur. Virg. Aen. I. 267. (271.) sqq. et al. Ov. Her. VII. 77. Met. XIII. 627. XIV. 609. Tib. II. 5. 50.

Ascanĭus, -i, dicitur lacus Bithyniae, ad Olympi montis radices prope Nicaeam, hodie *Lago di Nicea*, apud quem Hercules et reliqui Argonautae Hylam, a Nymphis raptum, amiserunt. Virg. Ge. III. 370. Prop. I. 20 4. et 16.

Ascra, -ae, sterilis vicus Boeotiae, sub Helicone monte, Hesiodi patria. Ov. Art. Am. I. 27. ex Pont. IV. 14. 31. 34.

Ascraeus, -a, -um, in vel ex Ascra, ad Ascram pertinens.

Ascraeus, et *Ascraeus poëta*, i. e. Hesiodus, quod in Ascra natus, vel, ut aliis placet, educatus est. Virg. Ecl. VI. 70. Pseudo-Virg. Cul. 95. Ov. Am. I. 15. 11. Art. Am. II. 4. Prop. II. 25. 77.

Ascraeum carmen, i. e. Georgicum, quia Hesiodus, Ascra oriundus, carmen de re rustica composuit. Fuit autem *Hesiodus* Homero fere aequalis, praestantis ingenii poëta, et qui pro iis temporibus rusticus fuit, et pastoralem vitam secutus est. Ex eius scriptis nonnulla adhuc extant. Virg. Ge. II. 176.

Ascreae oves, i. e. quas pavit Hesiodus in Ascrae campis. Ov. Fast. VI. 14.

Asdrŭbal, v. Hasdrubal.

Asĭa, -ae, Nympha marina, Oceani e Tethye filia (*), quae Asiae regioni nomen dedit, et Iapeto nupta Prometheum peperit. Virg. Ge. IV. 343.

Asĭa, -ae, una e quattuor [olim tribus] terrarum orbis partibus, tam opima et fertilis, ut et ubertate agrorum, et varietate fructuum, et magnitudine pastionis, et multitudine earum rerum, quae exportabantur, facile omnibus terris antecelleret: separatur autem ab Europa, Tanai, Ponto Euxino, Aegeoque et Mediterraneo mari; ab Africa vero Nilo flumine et Aegypto. Dividebatur praeterea in maiorem, quae omnes regiones orientem solem versus, et minorem, quae occidentales partes con-

(*) v. Apoll. I. 2. 2. Hyg. vero in praef. eam Nerei ex Dorida filiam dicit.

Digitized by Google

tinebat. Hor Ep. I. 3. 5. Virg. Ge. I. 171, III. 30. Plerumque tamen intelligitur *Asia minor* s. *propria*, in qua in primis Phrygia, Mysia, Aeolis, Ionia, Caria, Lydia, Lycia, rell, fuerunt, quam hodie *Natoliam* dicimus. Hor. Sat. I. 7. 19. Virg. Aen. I. 385. (389.) II. 139. et al. Ov. Her. XVI 175. 353, et saepe. Prop. I. 6. 14. Ponitur etiam pro Syria. Cat. LXVI. 36, et pro regno Troiano. Ov. Met. XIII. 484.

Asiăcus, -a, -um, ad Asiam pertinens; rectius tamen legitur *has iam ium* apud Ov. Met. XII. 588 (*).

Asĭnĭus, v. Pollio. Fuit etiam *Asinius Marrucinus* homo, qui Catullo in convivio sudarium furto abstulerat. Cat. XII. 1.

Asis, -ĭdis, quae est ex Asia, vel ad Asiam pertinet.

Asis et *Asis terra*, i. e. Asia. Ov. Met. V. 648., ubi *maior* intelligi videtur, cum Europae opponatur, uti Ov. Met. IX. 447. *minor* innuitur.

Asĭus, -a, -um, in vel ex Asia, vel ad Asiam pertinens. Cat. LXI. 22.

Asia palus et *Asia prata* dicuntur parvus tractus palustris Lydiae, Asiae regionis, circa Caystrum fluvium et Tmolum montem Virg. Ge. I. 383. 384. Aen. VII. 701.

Asius est quoque nomen Troiani, Imbrasi filii. Virg. Aen. X. 123.

Asopiădes, -ae, i. e. Aeacus, Asopi nepos. Ov. Met. VII. 484.

Asōpis, -ĭdis, femina ex Asopi posteris. Dicitur sic a) *Aegina*, Asopi filia, Aeaci e Iove, in ignem mutato, mater. Ov. Met. VI. 113. VII. 616. b) *Evadne* Nympha, Asopi filia, quam Nilus amasse dicitur. Ov. Am. III. 6 41.

Asōpus, -i, Boeotiae fluvius, quem poëtae Oceani e Tethye filium, Thebes, Martis filiae, coniugem dicunt. Ov. Am. III. 6. 33. Prop. III. 13. 27.

Assarăcus et Assarăcos, -i, Trois filius e Callirhoe, Scamandri filia, Capyos pater, Anchisae avus, Ili et Ganymedis frater. Virg. Ge. III. 36. Aen. VI. 650. et al. Ov. Fast. IV. 34. 123. et al.

Assaraci tellus, i. e. Troia, quia Tros, Assaraci pater, a quo Troia est appellata, in ea regione olim regnavit. Hor. Epod. XIII. 13.

Assaraci domus et *gens*, i. e. Romani, quod a Troianis originem ducebant. Virg. Aen. I. 284. (288.) IX. 643. cf. Aen. VI. 779. v. *Aeneas*.

Assaraci frater, i. e. Aquarius,

(*) v. ad. l. l. Heins.

Digitized by Google

Zodiaci circuli signum, in quod Ganymedes, Assaraci frater, post mortem mutatus fertur. Ov. Fast. IV. 943. v. *Aquarius.*

Assaraci duo fuere duo Troiani, qui Aenean in Italiam secuti sunt. Virg. Aen. X. 124.

Assyrĭus, -a, -um, in vel ex Assyria, vel ad Assyriam pertinens. *Assyrĭa* autem fuit Asiae maioris pars, a Mesopotamia Tigri flumine separata. Confunditur a poëtis cum *Syria*, quia huius regionis fines olim tam late patuere, ut et Assyriam comprehenderent, unde idem est, quod *Syrius*, quamquam poëtae non raro etiam conterminas regiones confuderunt. Hor. Od. III. 4. 32. Ep. II. 3. 118. Virg. Ecl. IV. 25. Ov. Met. V. 50. et al. Tib. III. 2. 24. Cat. LXVI. 12.

Assyrius nardus, i. e. Syrius. Hor. Od. II. 11. 16. v. *Syrius.*

Assyrius color, *Assyrium venenum*, et *ostrum* i. e. Phoenicia purpura. Syria enim olim etiam Phoenicen comprehendit. Virg. Ge. II. 465. Pseudo-Virg. Cul. 61. Cir. 440.

Assyrium ebur, i. e. dentes elephantini, qui ex India in Syriam advehebantur. Ov. Am. II. 5. 40.

Assyrium litus, i. e. Syriae Palmyrenae solitudines, quae hinc usque ad Euphratis origines, illinc ad Arabiae Felicis regionem pertinebant. Hor. Od. III. 4. 32.

Assyrius odor, i. e., unguenta s. odores ex Syria et vicinis gentibus. Cat. LXVIII. 1.

Astacĭdes, -ae, i. e. Melanippus, Astaci filius, qui Thebas fortiter ab Adrasto defendit. Quo bello cum Tydeum graviter vulnerasset, ab Amphiarao ipse occisus est; Tydeus autem caesi Melanippi caput ore dilaniasse dicitur. Ov. in Ibin 517. v. *Tydeus.*

Asterĭa, -ae, et Asterĭe, -es, Coei, Titanis e Phoebe sorore, filia, Persae nupta Hecaten peperit. Iupiter, in aquilam mutatus, eam comprimere voluit, sed repulsam ferens, Asteriam in coturnicem commutavit, quam in mare coniecit, unde insula, Graecis *Ortygia*, (*) Latinis *Asteria*, postea *Delos* dicta, enata fingitur. Pseudo-Virg. Cul. 15. Ov. Met. VI. 108. v. *Delos.* Est quoque fictum puellae nomen, Gygis amicae, ad quam scripsit Hor. Od. III. 7.

Astraea, -ae, Iovis ex Themide filia, iustitiae dea, quae aurea aetate e coelo in terram venisse, sed increscentibus humani generis vitiis offensa, rursus in coelum abiisse fingitur. Ov. Met. I. 150.

Astraeus, -a, -um, ad Astraeum pertinens. Fuit autem *Astraeus* Gigas, Crii filius; Crius

(*) Est enim coturnix Graecis ὄρτυξ.

Digitized by Google

autem, ut fabulantur, ex Aurora ventis procreavit.

Astraei fratres sunt venti. Ov. Met. XIV. 545.

Astyănax, -actis, Hectoris ex Andromache filiolus, qui cum Troia caperetur, a matre absconditus est; ab Ulysse vero detectus, et ex turri deiectus, misere interiit. Virg. Aen. II. 457. III. 489. Ov. Met. XIII. 415. Albin. ad Liv. ap. Ov. 430.

Astypalaea, -ae, insula, una ex maris Aegaei Cycladibus, non procul a Creta. Hodie *Stimpalia*. Ov. Art. Am. II. 82.

Astypalēĭus, -a, -um, ab Astypalaea, vel ad Astypalaeam pertinens. Ov. Met. VII. 461.

Asȳlas, -ae, Rutulus, qui Corynaeum Troianum in Italia interfecit. Virg. Aen. IX. 571. Item Troianus vates, qui, cum Aenea in Italiam profectus, in bello cum Turno fortem se praebuit. Virg. Aen. X. 175. XI. 620. XII. 550.

Atabŭlus, -i, ventus Apuliae proprius, qui si adventante bruma flat, omnia suo frigore exurit et arefacit. Hor. Sat. I. 5. 78.

Atacīnus, -i, fuit cognomen P. Terentii Varronis, ab Atace, Galliae Narbonensis fluvio. Hor. Sat. I. 10. 46. v. *Varro*.

Atalanta, -ae, et Atalante, -es, fuit nomen duarum virginum (*), quarum altera Iasi, Arcadiae regis, filia, formae excellentissimae puella, venatrix fuit, et una cum reliqua Graeciae iuventute ad Calydonii apri venationem vocata, prima aprum venabulo transfixit; Meleagros autem, huius venationis socius, feram interfecit, et Atalantae amore captus apri caput ei in praemium obtulit. Quod quum Plexippus et Toxeus, Meleagri avunculi, aegre tulissent, munusque virgini ademissent, a Meleagro interfecti sunt: infantem vero, ex hoc amore susceptum, Atalanta in Parthenio monte exposuit, unde dictus est Parthenopaeus. Tandem Milanioni nupsit. Ov. Her. IV. 99. Am III. 2. 29. et al. Altera *Atalanta*, filia Schoenei, regis in Scyro insula, cum cursu omnes viros superaret, nec cuiquam, qui eo se non antecessisset, nubere vellet, tandem ab Hippomene, tria aurea mala, a Venere accepta, proiiciendo inter currendum victa est eique nupsit. Quum vero postea in solo, Cybelae sacro, concubuissent, ab irata dea in leones conversi dicuntur. Ov. Met. X. 565. sqq. v. *Hippomenes*.

Atarnītes, -ae, i. e. Her-

(*) Utriusque vero fabula a poëtis atque philosophis ita inter se confusa est, ut, alteri, quae alterius essent, tribuentes, saepe de iis sibi contraria tradiderint. Ovidii vero locus, Met. VIII. 318., ubi Atalanta Arcadia Schoenei f. dicitur, iam dudum ut spurius reiectus est.
(†) v. Ov. Met. VIII. 317. sqq., ubi late fabula narratur.

Digitized by Google

mias, Atarnae, urbis in Mysia, tyrannus, qui cum ab Artaxerxe, Persarum rege, defecisset, a Mentore fraude circumventus, in juvenci pellem insutus et ad regem missus traditur. Ov. in Ibin 321.

Atax, -ăcis, Galliae Narbonensis flumen, hodie *Aude*. Tib. I. 7. 4. Cat. XCV. 5.

Athamānis, -ĭdis, femina ex Athamania, quae fuit regio in Epiri et Aetoliae confinio. Ov. Met. XV. 311.

Athamantēus, -a, -um, ab Athamante, vel ad Athamantem pertinens. Ov. Met. IV. 496.

Athamantiădes, -ae, dicitur Palaemon, Athamantis filius. Ov. Met. XIII. 919.

Athamantis, -ĭdis, i. e. Helle, Athamantis filia.

Athamantidos aequor et *undae*, i. e. Hellespontus. Ov. Her. XVIII. 137. Prop. I. 20. 19.

Athamantidos pecus, i. e. aries, quo Helle male vecta in mare decidit. Ov. Fast IV. 903.

Athamānus, -a, -um, ad Athamaniam pertinens. Fuit autem Athamania regio, in Epiri et Aetoliae confinio. Prop. IV. 6. 15.

Athămas, -antis, Aeoli et Enaretes filius, Thessaliae rex, e Nephele s. Nebula, priore uxore, duos procreavit liberos, Phrixum et Hellen, totidemque ex Ino, Cadmi filia, Learchum et Melicerten. Iunonis ira ad insaniam adactus, quod Semeles, Bacchi matris, soror esset, Learchum filium in venatione interfecit. Ino autem et Melicerte se in mare praecipitarunt, et Veneris ope in deos marinos mutati sunt, materque Leucothoë, filiusque Palaemon dictus est. Ov. Fast. VI. 489. 555. Met. IV. 420.

Athēnae, -arum, urbs clarissima Graeciae, Atticae regionis princeps, Palladi sacra, quae antiquitate, humanitate, et doctrina omnes praestitit. Hodie *Athini*, vocatur. Hor. Sat. I. 1. 64. II. 7. 13. et al. Pseudo-Virg. Cir. 22. 469. Ov. Her. II. 82. Art. Am. III 213. et al. Cat. LXIV. 81. Prop. I 6. 13.

Athĕsis, -is Italiae fluvius, qui e Rhaetorum Alpibus oriundus, Tridentum Veronamque praeterfluens, in Hadriaticum mare defertur, Italis nunc *Adese*, Germanis *Etsch*, vocatur, Virg. Aen. IX. 680.

Athis, -ĭdis, Indus, Gangis ex Limnate Nympha filius, a Perseo in Aethiopia interfectus. Ov. Met. V. 47.

Athos, -o, altissimus Macedoniae mons, qui ad mare Aegaeum usque procurrit. Hodie *Monte Santo*. Virg. Ge. I. 332. Aen. XII. 701. Pseudo-Virg. Cul. 30. Ov. Art. Am. II. 5. 7. Met. II. 216. et al. Cat. LXVI. 46.

Atīna, -ae, antiquum Latii oppidum in Volscis inter Soram et Venafrum prope Melpim fluvium. Hodie idem nomen servat. Virg. Aen. VII. 630.

Digitized by Google

Atis, v. Atys.

Atlantĕus, -a, -um, ab Atlante, vel ad Atlantem pertinens.

Atlanteus finis, i. e. extrema Libya, vel fortasse remotissimus terrarum orbis: Atlas enim mons pro occidentalis continentis extrema parte habebatur. Hor. Od. I. 34. 11.

Atlanteae Pleiades, i. e. Atlantis filiae. Ov. Fast. III. 105.

Atlantiădes, -ae, unus ex Atlantis posteris. Dicuntur autem sic a) *Mercurius*, quod Maia, eius mater, Atlantis filia fuit. Ov. Met. I. 682. II. 704. et al. b) *Hermaphroditus*, quem Mercurii ex Venere filium dicunt. Ov. Met. IV. 368.

Atlantĭcus, -a, -um, ab Atlante, vel ad Atlantem pertinens.

Atlanticum aequor, i. e. Oceani pars, quae Africam ad occidentalem Mauritaniae oram alluit, ubi Atlas mons fuit. Ponitur hoc mare tanquam omnium remotissimum, quum Romani non ultra fretum Herculeum s. Gades navigarint. Hor. Od. I. 31. 14.

Atlantis, -ĭdis, una ex Atlantis posteris. Ov. Fast. III. 659. Vocatur sic *Maia*, Atlantis filia. Ov. Met. II. 585.; *Calypso*, ex nonnullorum opinione, Atlantis filia. Tib. IV. 1. 77.; uti et *Pleiades*, s. *Vergiliae*, Atlantis filiae, Atlantides dicuntur. Virg. Ge. I. 221. v. *Pleias*.

Atlas, -ntis, Iapeti filius, Mauritaniae rex, Astronomiae peritissimus, qui primus stellarum cursus siderumque transitum naturasque descripsisse traditur. Ex Pleione uxore septem filias *Pleiades*; ex Aethra vero, altera coniuge, quinque, *Hyades* nominatas, procreavit. A Perseo, quem hospitio excipere recusarat, in sui nominis montem conversus coelumque ferre fingitur. Virg. Aen. I. 741. (745.) et al. Ov. Fast. V. 663. et al. Prop. III. 21. 7. v. *Hyades*, *Pleiades*.

Atlantis nepos, i. e. Mercurius, Iovis e Maia, Atlantis filia, filius. Hor. Od. I. 10. 1. Ov. Her. XVI. 62. Fast. V. 663, Met. II. 742.

Atlas, -ntis, Mauritaniae mons ad Atlanticum mare, qui occidentem solem versus continentem finire a Veteribus credebatur. Fuit autem tam altus, ut coelum vertici incumbere videretur, unde Atlas coelum ferre creditus est. Virg. Aen. IV. 247. VI. 797. Ov. Her. IX. 18. Fast. V. 169. et al.

Atracĭdes, -ae, i. e. Caeneus, Thessalus, ab Atrace s. Atracia, Thessaliae urbe. Ov. Met. XII. 209. v. *Caenis*.

Atrăcis, -ĭdis, i. e. Hippodamia, filia Atracis, cuiusdam ex gente Lapitharum. Ov. Her. XVII. 248. Am. I. 4. 8.

Atracius, -a, -um, i. q. Thessalicus, ab Atrace, Thessaliae urbe. Prop. I. 8, 25.

Digitized by Google

Atreus,-ĕi, Pelopis ex Hippodamia, Oinomai filia, filius, Tantali nepos, Thyestae frater, Plisthenis pater, fuit Mycenarum rex, qui quum Thyesten cum Aerope sua uxore, in adulterio vivere cognovisset, eius liberos occisos epulandos ipsi apposuit. Postea vero ab Aegistho, Thyestae filio, occisus est. Hor. Ep. II. 3. 186. Ov. Her. VIII. 27. et saepe. v. *Aegisthus*, *Thyestes*.

Atrīdes et Atrīda, -ae, unus ex Atrei posteris. Vocantur autem sic a) *Agamemnon*, Hor. Od. II. 4 8 Sat. II. 3. 187. et al. Ov. Her. III. 39. et saepe; Prop. II. 7. 8. et ubique; b) *Menelaus*, Plisthenis filii, ab Atreo avo adoptati. Virg. Aen. XI. 262. Ov. Her. XVI. 355., qui etiam *minor Atrides* dicitur. Ov. Her. V. 101. Art. Am. III. 11.

Atrides dicitur *Halesus*, Agamemnonis Troiano bello comes et auriga. Ov. Fast. IV. 73. v. *Halesus*.

Atta (T. Quintius), -ae, togatarum fabularum poëta Romanus haud ignobilis, quem circa A. U. DL. floruisse putant. Eius scripta perierunt. Hor. Ep. II. 1. 79.

Attalĭcus, -a, -um, ab Attalo, vel ad Attalum pertinens. Pseudo-Virg. Cul. 62. Prop. III. 16. 19.

Attalicus torus, i. e. pretiosissimus. Prop II. 10. 22. IV. 5. 24.

Attalicae conditiones sunt opes, quas Attalus summas Romanis reliquit. Hor. Od. I. 1. 12.

Attalicae urbes sunt Pergamus, Myndus, Apollonia, Tralles, et Thyatira, aliaeque Attali, totius fere occidentalis Asiae regis, nobilissimae urbes. Hor. Ep. I 11. 5.

Attălus, -i, cognomine Philometer, ultimus Pergami rex, maximas habuit opes, quarum heredem populum Rom., sibi amicissimum, scripsit. Verba testamenti erant: *Populus Rom. bonorum meorum heres esto;* quod Romani interpretatione a privatis regis bonis ad ipsum regnum extenderunt. Hinc doli mali accusati, cum Aristonico, qui, Attali e Pellice filius, successorem paterni regni sese aiebat, bellum gesserunt, donec, capto Aristonico, regnum eius invaserint. Hor. Od. II. 18. 5. Ov. Fast. IV. 266.

Atthis s. Attis, -ĭdos, et Attys, -ўos, formosus iuvenis e Phrygia, a Cybele adamatus, et eius sacris praefectus, ea lege, ut castitatem servaret; sed fide deinde violata ab irata dea in pinum versus fingitur. Ov. Fast. IV. 223. 228. V. 227. et al. Aliter fabulam narrat Catullus LXIV. Vocatur etiam *Atthis* una e tribus puellis, quas Sappho poëtria amavit. Ov. Her. XV. 18.

Attĭcus, -a, -um, in vel ex Attica, vel ad Atticam pertinens, saepius id. q. Atheniensis. Fuit

Digitized by Google

autem *Attica* Graeciae regio, ad mare Aegaeum sita, cuius caput Athenae fuere. Hor. Od. I. 3. 6. Pseudo-Virg. Cir. 115. Ov. Fast. IV. 502. Met. VII. 492.

Atticus dicitur unus ex veris Ovidii amicis, cuius meminit Am. I. 9. 2. ex Pont. II. 4. 2. II. 7. 2.

Attica virgo, i. e. quae Athenis in Cereris, Palladis aliarumque dearum, sacris canistra frugibus, aliisve rebus, ad sacrificia pertinentibus, plena, capite ferre solebat. Hae autem virgines Canephorae dicebantur. Hor. Sat. II. 8. 13.

Attica apis, i. e. Hymetti, montis in Attica, unde optimum mel colligebatur. Ov. Trist. V. 4. 30.

Attica febris, i. e. frigida et insulsa oratio, Pseudo-Virg. Cat. II. 3. v. *Thucydides.*

Attica volucris. i. e. philomela s. luscinia. Prop. II. 16. 6.

Attis, v. Atthis.

Attius (L.), poëta tragicus. v. *Accius.*

Atys, -ȳos, s. Atis, -ĭos, Troianus, qui, cum Aenea in Italiam profectus, ibi Atiae gentis auctor fuit, e qua Augusti mater originem duxit. Virg. Aen. V. 568.

Aufidĭus Luscus, -i, vir, qui Fundis, municipio, praetor, cultu Romanos magistratus imitabatur, quam ob caussam eum irridet Hor. Sat. I. 5. 34. Ab hoc diversus est forsitan *Ausidius*, quem interpp. M. Ausidium Lurconem dicunt, qui extremo piratico bello primus pavones saginare instituit, Hor. Sat. H. 4. 23.

Aufĭdus, -i, Apuliae fluvius, qui, ex Apennino monte oriundus, impetuose et ingenti cum murmure ruit, et in Adriaticum mare defluit. Dicitur *tauriformis* a taurino capite cornuto, quo Veteres fluminum speciem referebant. Hodie *Ofanto.* Hor. Od. III. 30. 10. et al. Virg. Aen. XI. 405.

Aufilena puella quaedam, cuius frater *Aufilenus* est. Cat. C. 1. Alia femina meretrix. Cat. CX. et CXI.

Auge, -es, Alei, Arcadiae regis, e Neaera filia, quae, ab Hercule vitiata, in Parthenio monte Telephum peperit et exposuit, quam ob caussam cum pater illam interficiendam Nauplio tradidisset, hic misericordia motus, Augen Teuthranti, Mysiae regi, dedit, qui eam filiae loco habuit. Ov. Her. IX. 49. v, *Telephus.*

Augustus (C. Octavianus Caes.), -i, secundus Romanorum Imperator, ab Aenea Troiano oriundus, bellique ac pacis artibus inclytus, Rom. imperio otium et pacem conciliavit, moribusque et veteri disciplina revocatis, non tantum populi Rom. gloriam ab omni ignominia vindicavit, sed et fines imperii mi-

Digitized by Google

rum in modum protulit, unde patriae pater appellatus, postea, ob egregia in Romanos merita, vivus dei instar cultus est. In eius honorem *Sextilis* mensis, quod eo primum Consulatum inierat ac multas res praeclare gesserat, *Augustus* dictus est. Virgilius, Ovidius, Propertius; maxime vero Horatius, hunc summis ornarunt laudibus. Virg. Aen. VI. 793. VIII. 678. Ov. Fast. IV. et saepe. Prop. II. 8. 19

Augustus, -a, -um, ab Augusto, vel ad Augustum pertinens. Ov. Fast. I. 531. 590. ex Pont. I. 2. 117. Prop. IV. 6. 33.

Augusta Iulia, Ov. Fast. I. 536. v. *Iulia*.

Augusta pax, i. e. ab Augusto parta. Ov. ex Pont. II. 5. 18.

Augustum caput, i. e. Augustus ipse. Ov. Met. XV. 869.

Augustum forum, i. e. ab Augusto aedificatum. Hoc erat prope Iulii Caesaris forum, et inter magnifica urbis opera habebatur. Ov. Fast. V. 552. ex Pont. IV. 5. 10. IV. 15. 16.

Aulestes, -ae, Tyrrhenus, qui Aeneae adversus Turnum auxilio profectus, a Messapo interfectus est. Virg. Aen. X. 207. XII. 290.

Aulis, -idis, urbs et portus Boeotiae ad Euripum; ubi, cum Graecorum classis, Troiam profectura, ob Dianae cervum, ab Agamemnone interfectum, tempestatis vi diu detineretur, Agamemnon, Dianam placaturus, Iphigeniam filiam immolandam dedit. Hor. Sat. II. 3. 199. Virg. Aen. IV. 426. Ov. Her. XIII. 3. Met. XII. 10 et al. Prop. IV. 1. 109. v. *Iphigenia*.

Aulon, -onis, tractus montuosus in agro Tarentino, ubi optimum vinum nascebatur. Hor. Od. II. 6. 18.

Aurelius. Cat. II. 1. XV. 2. et saepe. v. *Cotta*.

Aurora, -ae, Graecis Eos, Hyperionis e Thia filia, Tithono, Laomedontis, Troiae regis, fratri, nupta Memnonem et Emathionem peperit. Cephalum rapuit, sed deinde ad Procrin remisit. Fingitur formosa femina, quae curru quadrigarum, vel bigarum rosearum, mane ab oriente evecta, et per coeli convexum occidentem versus cursum dirigens, soli praecurrit, eiusque adventum praenuntiat. Virg. Ge. I. 249. et saepe. Ov. Her. IV. 95. Met. VII. 703. et al. Prop. II. 14. 9.

Aurorae filius, i. e. Memnon. Virg. Aen. I. 751. (755.)

Auroram sequi, i. e. Orientis solis populos bello persequi. Virg. Aen. VII. 606.

Aurunci, -orum, fuere veteres Italiae incolae, qui in Campania ad utramque Liris fluvii ripam habitarunt. Virg. Aen. XI. 318.

Aurunous, -a, -um, ab Au-

Digitized by Google

rancis, vel ad Auruncos pertinens. Virg. Aen. VII. 206. 727. et al.

Ausŏnĭa, -ae, vetustissimo tempore dicta fuit omnis inferior *Italia* ab Ausonibus, a Circaeo promontorio ad Siciliae fretum usque; postea vero passim totam Italiam sic appellarunt poëtae. Virg. Aen. III. 477. et al. Ov. Fast. IV. 290. Met. XIV. 7.

Ausonĭdae, -arum, Ausoniae incolae. Virg. Aen. X. 563. Dicuntur sic etiam Latini. Virg. Aen. XII. 121.

Ausŏnis, -ĭdis, quae est ex Ausonia, vel ad Ausoniam pertinet.

Ausonis ora, i. e. Italiae. Ov. Fast. II. 94.

Ausonĭus, -a, -um, in vel ex Ausonia, vel ad Ausoniam pertinens, aliquando id. q. Italus, Latinus, aut Romanus. Hor. Od. IV. 4, 56. Virg. Ge. II. 385. Aen. III. 378. et al. Ov. Fast. I. 55. et saepe. Prop. I. 20. 12.

Ausonius Pelorus, i. e. ad Ausoniam s. Italiam spectans, vel Italiae vicinus. Ov. Met. V. 350.

Ausonius dux, i. e. Tiberius. Ov. Trist. II. 171.

Ausonia urbs, i. e. Roma. Ov. ex Pont. IV. 8. 86.

Autolўcus, -i, Mercurii e Chione filius, Mestrae s. Metrae maritus, Anticleae pater, ex qua Ulysses natus est. Hic furandi artem et res, furto ablatas, ut latérent homines, in varias mutare formas a patre doctus exercuit. Ov. Met. VIII. 738. XI. 313.

Automĕdon, -ntis, Dioris filius, e Scyro insula decem navibus Troiam obsessum venit, fuitque Achillis auriga, et post huius mortem Pyrrhi, Achillis filii, armiger. Virg. Aen. II. 477. Ov. Art. Am. I. 5. II. 738. Trist. V. 6. 10.

Autonŏë, -es, Cadmi ex Harmonia filia, Aristaei uxor, Actaeonis mater, in Pentheo dilaniando sorrores suas adiuvat. Ov. Met. III. 720.

Autonoës soror, i. e. Semele, Cadmi filia. Ov. in Ibin 473.

Autonoëĭus, -a, -um, ab Autonoë, ad Autonoën spectans.

Autonoëius heros, i. e. Actaeon, Autonoës filius. Ov. Met. III. 198.

Aventīnus, -i, Herculis e Rhea filius, formosus heros, qui Turno adversus Aeneam auxilio venit, Virg. Aen. VII. 657. Fuit quoque hoc nomine Albae Longae rex, unde Aventinus mons nomen habet, Ov. Fast. IV. 51. XIV. 620.

Aventīnus, -i, unus e septem montibus, quibus Roma condita fuit, ab Aventino, Albae Longae rege, sic dictus, qui in eo sepultus fertur. Hor. Carm. Saec. 69. Ep. II. 2. 69. Virg. Aen. VII. 659. VIII. 231.

Aventīnus, -a, -um, in vel

Digitized by Google

ex Aventino monte, vel ad Aventinum montem pertinens. Ov. I. 551. III. 295. sqq. Prop. IV. 1, 50.

Aventina Diana, i. e., quae in Aventino monte colitur. Prop. IV. 8. 29,

Avernalis, -e, in vel ex Averno lacu, vel ad Avernum lacum pertinens. Hor. Epod. V. 26. Ov. Met. V. 540.

Avernalis Sibylla, i. e., Cumaea Prop. IV. 1. 49. v. *Sibylla*.

Avernus, -i, et Averna, -orum, Campaniae locus haud procul a Cumis, ubi continuae silvae, et iis inclusus lacus, cuius sulphureis exhalationibus aves supervolitantes enecabantur, hominibus religionis terrorem iniiciebant; unde per colles, qui silva illa inaccessa obsiti erant viasque subterraneas habebant, descensum ad inferos esse credide-runt veteres, vel certe prodiderunt poëtae, quam ob caussam saepe pro ipsis *inferis locis* ponitur. Hodie adhuc Avernus lacus, altissimis cinctus cupressis, et aliquot cavernae, quanquam paene obstructae, supersunt. Virg. Aen. III. 442. IV. 512. et al. Ov. Am. III. 9. 27. Met. XIV. 105. et al. Prop. III. 16. 1.

Avernus, -a, -um, in vel ex Averno lacu, ad Avernum lacum spectans. Virg. Ge. II. 164. Aen. VI. 118. 564. Saepe id. q. *infernus*. Virg. Ge. IV. 493. Ov. Met. X. 51. XIV. 105.

Averna Iuno, i. e. Proserpina, Orci regina. Ov. Met. XIV. 114. v. *Iuno*.

Averni portus, i. e. Cumae. Virg. Aen. V. 813.

Avidiēnus, -i, homo admodum avarus, unde canis cognomen traxit. Hor. Sat. II. 2. 54.

Axŭrus, id. q. Anxurus, q. v.

Digitized by Google

B.

Babȳlon, -ōnis, fuit clara Mesopotamiae urbs, quondam Chaldaeorum princeps, a Semiramide condita, cuius rudera etiam hodie supersunt. Ov. ex Pont. II. 4. 27. Prop. III. 9 21.

Babylonĭus, -a, -um, in vel e Babylone, vel ad Babylonem pertinens. Ov. Met. II. 248. IV. 44. 99. Prop. IV. 1. 79.

Babylonii numeri sunt Astrologorum computationes, [Batave *Het horoskooptrekken*]. Babylonii, Astrologiae peritissimi, hanc artem e Chaldaea Romam advexere, qua ex ephemeridibus s. Astrologicis tabulis, in quibus cursus, coniunctiones planetarum, et positiones stellarum, ad singulos dies descriptae erant, futura divinare conabantur. Hor. Od. I. 11. 2.

Baccha, -ae, s. Bacche, -es, mulier, quae Baccho sacra facit, Bacchi sacerdos. Mulieres autem, Bacchi orgia sacra celebrantes, noctu taedis facibusque accensis, thyrsis armatae et animalium, in primis vulpium, pellibus ad sinistrum latus accinctae, furentium instar per montes, nemoraque praesertim Thraciae discurrere, magnoque cum ululatu evoe clamitare, obvios quae thyrsis caedere solebant. Hor. Od. III. 25. 15. Ov. Her. X. 48. Art. Am. I. 312. 545. et al. Prop. III. 21. 31.

Baccheĭus contr. Bacchēus, -a, -um, (*) a Baccho, vel ad Bacchum pertinens. Ov. Met. III. 691. Fast. II. 313.

Baccheia dona, i. e. vinum, cuius inventor Bacchus habetur. Virg. Ge. II. 454.

Bacchei ululatus, i. e. Baccharum s. mulierum Bacchi sacra celebrantium. Ov. Met. XI. 17.

Bacchiădae, -arum, sunt Bacchidis posteri. Fuit autem *Bacchis*, Prumnidis filius, Corinthi tyrannus; cuius gens, cum Archias, unus e Bacchidis posteris, Actaeonem interfecisset, post CC. annorum tyrannidem Corintho expulsa est, et in Siciliam transvecta, Syracusas condidisse fertur. Ov. Met. V. 407. (†).

Bacchis, -ĭdis, id. q. Baccha. Ov. Trist. IV. I. 41.

Bacchȳcus, et Bacchȳus, -a, -um, a Baccho, vel ad Bacchum pertinens. Ov. Met. III. 518. Trist. I. 7. 72.

(*) Non *Bacchaeus*, est enim Gr. Βακχεῖος.
(†) v. Aelian. Var. Hist. I. I. c. 19. ibique Scheffer intp.

Digitized by Google

Bacchius, nomen gladiatoris nobilis, uti et *Bithus*, Hor. Sat. I. 7. 20.

Bacchus, -i, Iovis e Semele filius, vitis vinique inventor et deus habitus. Hinc Bacchus dicitur ipsa *vitis*, Hor. Od. II. 6. 19 Virg. Ge. II. 2. Prop. III. 15. I. saepissimeque pro ipso *vino* sumitur, Hor. Od. III. 16. 34. et al. Virg. Aen. I. 215. (219.) Ov. Met. IV. 764. Tib IV. 1. 57. Prop. I. 3. 9. Fingitur autem a poëtis formosissimus iuvenis, cornutus, capite pampino hederave circumdato, vectus curru, a leonibus tygribusque tracto, quem Bacchae, Satyri atque senex Silenus, eius praeceptor et custos, sequuntur. Caper ei immolari solebat, (*) Hor. Od. I. 7. 3. I. 18. 6. et al. Virg. Ecl. V. 30. Ge. II. 380. et al. Ov. Her. IV. 47. et al. Tib. I. 9. 34. v. *Semele*.

Bacchi proles, i. e. Priapus. Tib. I. 4 7.

Bactra, -orum, ampla et opulenta urbs in Asia, Bactrianae regionis princeps, et Parthici regni extrema, ita a Bactro flumine dicta, ad quod sita est. Hodie *Balck* in Persiae regione *Korassan*, Virg. Ge. II. 138. Aen. VIII. 688. Ponitur pro Parthorum regno, Hor. Od. III. 29. 28. Prop. III. I. 16.

Bactrĭus, -a, -um, in vel e Bactris, vel ad Bactra pertinens, Ov. Met. V. 135.

Bagōus, -i, est vox Chaldaica, spadonem significans; apponebantur autem hi puellis custodes. Ov. Am. II. 2. 1.

Baiae, -arum, Campaniae urbs, inter Puteolos et Misenum prope mare sita, quae ob calidas aquas earumque salubritatem, amoenissima loca, mitem aëris temperiem, hieme atque vere a Romanis, quorum complures ibi splendidas habebant villas, maxime frequentabatur. Hor. Od. II. 18. 20. III. 4. 24. et al. Virg. Aen. IX. 710. Ov. Art. Am. I. 255. Tib. 3. 5. 3. Prop. I. 11. 1.

Baiānus, -a, -um, a Baiis, vel ad Baias pertinens.

Baianus murex, i. e. qui ad Baias in Baiano sinu, hodie *Golfo di Puzzuoli*, capitur. Hor. Sat. II 4. 32.

Balbus, -i, Romanus quidam, de quo nihil constat. Cat. LXVII. 3.

Balearĭcus, -a, -um, et Baleāris, -e, in vel ex Baleāribus, vel ad Baleares pertinens. Sunt autem *Baleares* s. *Baliares* duae insulae in mari Hispanico, hodie *Maiorca* et *Minorca*.

Balearis s. *Bilearica* dicitur

(*) De Bacchi gestis v. Ovid. IV. Met. f. 1. De eius sacris v. in voce *Baccha*.

Digitized by Google

funda, quia incolae hanc invenisse feruntur, vel potius peritissimi funditores fuere, Virg. Ge. I. 309. Ov. Met. II. 727. IV. 708.

Bandusĭa, alii Blandusĭa, -ae (*), Sabini agri tractus, in quo Horatii villa fuit, unde haud procul fons Bandusius profluxisse, et Digentiae rivo aquam suppeditasse videtur, Hor. Od. III. 13. 1.

Bantīnus, -a, -um, in vel ex Bantia, vel ad Bantiam pertinens. *Bantia* autem fuit urbs, in Apuliae Peucetiae et Lucaniae confinio sita, saltibus pascuisque apud veteres nobilis, Hor. Od. III. 4. 15.

Barbarĭa, -ae, et Barbarĭes, -ei, vocatur a Romanis omnis regio, quae neque ad Romanum imperium, neque ad Graeciam pertinebat Ov. Met. XV. 829. ex Pont. III. 1. 5. Dicitur quoque sic Troia cum eius ex Asia sociis. Hor. Ep. I. 2. 7.

Barbărus et Barbarĭcus, -a, -um, qui neque Romanus, neque Graecus est. Hor. Epod. IX. 6. Ov. Met. V. 675. et al.

Barbarica ope, i. e. barbarorum populorum. Virg. Aen. VIII. 685.

Barbaricum aurum, i. e. Phrygium (†). Virg. Aen. II. 504.

Barcaei, -orum, Barces urbis incolae in Cyrenaica, Africae regione, quae urbs postea, uti nonnullis placet, *Ptolemāis* est dicta; hodie vix eius vestigia exstant. Virg. Aen. IV. 43.

Barīne, -es, insignis formae puella, cuius perfidiam perstringit. Hor. Od. II. 8. 2.

Barĭum, ii, Apuliae Peucetiae oppidum, ad mare situm, hodie *Bari* vocatur, Hor. Sat. I. 5. 97.

Barus s. Barrus, -i, libidinosus, homo, qui patrimonium consumsit, et formosus haberi voluit. Hor. Sat. I. 4. 110. I. 6. 30. I. 7. 8.

Bassăreus, -ĕi, Bacchi cognomen, a voce Thracia vel Africa

(*) De quo tractu cum inter veteres Geographos nemo praeter vet. Schol. ad. h. l. mentionem faciat, nonnulli Bandusiam eandem atque Digentiam dicunt, cuius rivi Hor. Ep. I. 18. 104. meminit; alii vero Digentiae caput. Forsitan autem, si Blandusia vera sit lectio, poëta hoc nomen blandisonum tantummodo finxit, ut fonti, quem in suis Sabinis caneret, nomen daret.

(†) Barbari a Graecis dicti sunt omnes Asiae populi, quippe qui, quamvis Graeca lingua loquentes, ad Graeciam non pertinerent, cf. Athen. XIV. 5. et Dict. Cret. L. II. sqq., a quo Troiani saepissime Barbari audiunt. Homerum tamen Phryges s. Troianos vocasse Barbaros Ernesti ad Hom. II. β. v. 867. negat, Servius l. l. affirmat.

Digitized by Google

Bassaris *vulpes* (*). Bacchae enim in Bacchi sacris etiam vulpium pellibus succingebantur. Hor. Od. I. 18. 11.

Bassarĭcus, -a, -um, i. e. Bacchicus. Prop. III. 15. 30.

Bassus, -i, fuit celeber satyrarum scriptor, cuius scripta perierunt. Ov. Trist. IV. 10. 47. Prop. I. 4. 1. Fortasse idem est, quem insignis bibacitatis fuisse narrat Hor. Od. I. 36. 14.

Basternae, -arum, Europaeae Sarmatiae populus, qui a Vistulae fontibus ad Pontum Euxinum et Istri ostia pertinuit. Ov. Trist. I. 198.

Bathyllus, -i, fuit pulcher iuvenis, e Samo insula, quem Anacreon poëta amavit et carminibus celebravit (†). Hor. Epod. XIV. 9.

Bato, -ōnis, fuit dux Desitiatum Dalmatarum (‡), qui semet ipse Romanis dedidit, et a Tiberio in triumphum ductus est. Ov. ex Pont. II. 1 46.

Battĭades, -ae, i. e. Callimachus, ita dictus, quod Cyrenis natus erat, quam Africae urbem Battus rex condidit, et unde omnes Cyrenenses dicti sunt *Battiadae* (§). Ov. Am. I. 15. 13. Trist. II. 367. et al. Cat. LXV 16. v. *Callimachus*.

Battis, -ĭdis, puella e Coo insula, quam Philetas, elegiarum poëta, amavit, suisque carminibus celebravit. Floruit autem hic Philippi, Macedoniae regis, et Alexandri Magni tempore. Ov. Trist. I. 6. 9.

Battus, -i, Polymnestri filius conditor et rex Cyrenarum, Africae urbis. Fuerunt autem quattuor huius nominis reges Cyrenaeorum, Battus cognomine *Conditor*, Battus *Felix*, *Asper*, et *Claudus*, e quibus unus Melites insulae rex fuisse videtur, qui Annam, Didus sororem, Carthaginem fugiens, benigne hospitio accepit. Post mortem Batti Conditoris sepulcrum sacro honore colebatur. Cat. VII. 6. Ov. Fast. III. 570. Vocatur sic quoque pastor, qui a Mercurio propterea, quod contra datam fidem eius furtum prodiderat, in indicem lapidem commutatus fingitur. Ov. Met II. 688. in Ibin 588.

Batŭlum, -i, Campaniae urbs, cuius incolae Turno contra Aenean auxilio fuerunt. Virg. Aen. VII. 739.

Baucis, -ĭdis, et -ĭdos, fuit

(*) Βασσαρίς Suidas interpretatur ἀλώπηξ, et Hesychius: Βασσάρισα, inquit, τὰ ἀλωπέκεια οἱ Λίβυες λέγουσι. Hinc Bacchae Bessarides sunt dictae. Vid. Vossii Etymol. v. *Bessarides*, et omnino Eurip. Bacch. 24.

(†) Cf. Anacr. Od. XXII. XXIX.

(‡) v. Vell. Pat. II. 114. 4. et ib. Io. Frid. Herel.

(§) v. Sil. Ital. II. 61. III. 252. XI. 592.

Digitized by Google

pauper anus, quae cum Philemone, marito, Iovem Mercuriumque, deos, humanam speciem mentitos, in casa exigua hospitio excepit, quapropter casa in templum, et ambo in sacerdotes uno temporis momento sunt conversi. Ov. Met. VIII. 631. et sqq.

Bavĭus, -ii, malus et maledicus poëta, qui Virgilii tempore vixit, e cuius scriptis nihil ad nostram aetatem pervenit. Virg. Ecl. III. 90.

Bebrycĭus, -a, -um, e Bebrycia, vel ad Bebryciam pertinens. *Bebrycia* autem fuit Asiae minoris regio, ad Propontidem sita, postea *Bithynia* dicta. Virg. Aen. V. 373 v. *Bithynia*.

Belgĭcus, -a, -um, ex Belgica, vel ad Belgicam, vel ad Belgas pertinens. Fuit autem *Belgica* quarta pars Galliae, quae omnes regiones, inter Oceanum, Sequanam, Matronam et Rhenum fluvios sitas, continuit. Prop. IV. 10. 40. Eius bellici currus memorat Virg. Ge. III. 204.

Belgicus color, i. e. flavus, quia Belgae flavam comam habebant, quam Romanae arte imitari solebant mulieres. Prop. II. 14. 30.

Belĭdes, -ae, unus ex Beli posteris. Dicuntur sic a) *Lynceus*, Beli nepos. Ov. Her. XIV. 73. b.) *Palamedes*, quod a Belo originem ducebat (*). Virg. Aen. II. 82.

Belis, -ĭdis, femina ex Beli posteris. *Belides* vocantur quinquaginta Danai filiae, Beli neptes, quae totidem filiis patrui, regis Aegypti, matrimonio iunctae, una nocte omnes maritos patris iussu interfecerunt, una excepta Hypermnestra, quae Lynceum servavit. In criminis poenam apud inferos dolium pertusum frustra aqua implere feruntur. Fuit autem Romae in Apollinis Palatini porticu, singulas inter columnas signum aliquod Belidum collocatum, et Danaus pater, stricto ense quasi filias ad caedem impellens. Ov. Art Am. I. 74. Met. IV. 462. X. 44. Trist. III. 1. 62. et al.

Bellerophon, -tis, et Bellerophontes, -ae, Glauci ex Eurymede filius, qui cum a Sthenoboea, Proeti, regis Argivorum, uxore, frustra ad adulterium esset pellectus, apud Proetum eo crimine accusatus, et a credulo ad Iobaten, Lyciae regem Proetique socerum, cum epistola missus est, qua crimen docens, ut Bellerophon interficeretur, petivit. Post ubi, ab Iobate ad Chimaeram debellandam missus, hanc Pegaso,

(*) Nauplius enim fuit nepos Danai, qui Beli filius dicitur Apoll. II. 1 4. Erravit Servius l. l. Virg., qui ex Apollonii auctoritate eum septimo gradu a Belo originem duxisse scribit.

Digitized by Google

alato equo, quem Neptuni beneficio nactus erat, insidens occiderat, multaque alia vitae discrimina feliciter a se depulerat, Iobates ei Philonoën filiam in matrimonium dedit. Deinde rerum successu elatus, et Pegasi ope in coelum adscendere conatus, ab equo, cui Iupiter oestrum immiserat, excussus, atque in campum Aleium deiectus est, ubi reliquum vitae tempus caecus oberravit, Hor. Od. III. 7. 15. III. 12. 7. IV. 11. 28.

Bellerophontēus, -a, -um, a Bellerophonte, vel ad Bellerophontem pertinens.

Bellerophonteus equus, i. e. Pegasus. Prop. III. 2. 2.

Bellōna, -ae, Martis soror, armorum et belli dea, cuius sacerdotes, quae feminae erant, ut ipsius festum celebrantes furorem simularent, quo haec dea hominum animos in bellum accendit, lacertos humerosque concidere, atque ita sanguine sacrificia facere solebant; habuitque Romae ante portam Carmentalem templum, ab Appio Claudio exstructum, Hor. Sat. II. 3. 223. Virg. Aen. VII. 319. VIII. 703. Ov. Fast. VI. 201. Met. V. 155. Tib. I. 6. 45.

Belus, -i. fuit antiquus Aegypti rex, Neptuni e Libya filius, Anchinoae, Nili filiae, coniux, ex qua Danaum atque Aegyptum procreavit, et a quo Orchamus, Achaemeniorum rex, originem ducebat, Virg. Aen. I. 729. (733.) Ov. Met. IV. 213. Ad hunc quoque eos referre videtur Belus, Phoenices rex, Didus, Annae et Pygmalionis pater, qui Cyprios, Phoenicum litus vastantes, bello subegit, Virg. Aen. I. 621. (625.)

Penācus, -i, Italiae lacus in Veronensi agro, qui, sua magnitudine ventis admodum patens, maris tempestates imitatur, et ex quo Mincius flumen oritur. Hodie *Lago di Garda* vocatur, Virg. Ge. II. 160. Aen. X 205.

Beneventum, -i, antiquitus *Maleventum*, urbs, in Hirpinorum et Samnitium confinio sita, quae Romana colonia fuit. Hodie *Benivento*, Hor. Sat. I. 5. 72.

Berecyntiădes, -ae, quasi Berecynti filius, dicitur *Attys*, qui in Berecynto, Phrygiae monte, venari solebat, Ov. in Ibin 510.

Berecyntĭus, -a, -um, in vel e Berecynto. vel ad Berecyntum pertinens. Fuit autem *Berecyntus* (*) Phrygiae mons,

(*) *Berecyntum* cum derivatis rectius quam *Berecynthum* scribi docuere Spanh. ad. Callim. Hymn. in Dian. 246. Serv. ad Virg. Aen. IX. 87.

Digitized by Google

in quo Cybeles sacra eodem furore, quo Bacchi orgia, peragebantur, unde *Berecyntius* saepe idem significat, quod ad Cybeles et Bacchi sacra, atque adeo ad hilaritatem vel furorem pertinens.

Berecyntius heros, i. e. Midas, quod Cybeles, s. Berecyntiae deae filius habebatur, Ov. Met. XI. 106.

Berecyntia, et *Berecyntia mater* i. e. Cybele, ita dicta, quod in Berecynto monte in primis colebatur. Virg. Aen. VI. 785. IX. 82. 619. Ov. Fast. IV. 355.

Berecyntia tibia, et *Berecyntium cornu*, i. e. quibus in Cybeles et Bacchi sacris cantare solebant sacerdotes, et ad furorem incitari credebantur. Innuitur autem Berecyntia tibia et cornu, tibia Phrygia, quae incurva erat, cum ceterae essent rectae. Hor. Od. I. 18. 13. III. 19. 18. IV. 1. 22. Ov. Fast. IV. 181. Met. XI. 16.

Berŏē, -es, Dorycli uxor, cuius formam Iris, Iunonis iussu, assumsit, cum Troianis feminis Aeneae classem in Sicilia incendere suaderet. Virg. Aen. V. 620. sqq. Vocatur sic etiam Nympha marina, Oceani filia, e Cerenes comitibus. Virg. Ge. IV. 341. Et Epidauria femina, Semeles nutrix, in quam Iuno, Semelen decepturа, se commutavit. Ov. Met. III. 278.

Berenīce, -es, fuit Ptolemaei II. Philadelphi, regis Aegypti, filia, Ptolemaei III. Euergetae uxor, cuius crinem, Veneri dicatum, carmine celebravit Catullus LXVI.

Berenicēus, -a, -um, a Berenice, vel ad Berenicen pertinens, Cat. LXVI. 8.

Bessi, -orum, fuerunt populus, qui Haemum, montem in Thracia, inhabitarunt, omniumque Thracum ferocissimi fuisse dicuntur. Ov. Trist. III. 10. 5. IV. 1. 67.

Bestĭus, -i, avarus Horatii tempore, qui ut genium iure fraudare videretur, temperantiam summis efferebat laudibus, et in nepotes invehebatur. Hor. Ep. I. 15. 37.

Biānor, -ŏris, cognomine Ocnus, Tiberis fluvii et Mantus Nymphae filius, Mantuam condidisse, eique matris nomen dedisse fertur. Virg. Ecl. IX. 60. Vocatur quoque sic unus e Centauris, in Perithoi nuptiis a Theseo occisus. Ov. Met. XII. 345.

Bibŭlus (M. Calpurnius), -i, fuit A. U. DCXCIV. cum C. Iulio Caesare Consul, et bello civili periit. Itaque vinum, quod Horatius, hoc Consule conditum, laudat, triginta vel quadraginta annorum aetatem habuisse potuit. Hor. Od. III. 28. 8. Est quoque hoc nomine unus ex Horatii amicis. Hor. Sat. I. 10. 86.

Digitized by Google

Biōnēus, -a, -um, a Bione, vel ad Bionem pertinens. Fuit autem *Bion*, Borysthene urbe oriundus, Cyrenaicus philosophus mordacissimus.

Bionei sermones sunt satyrae mordaces, quales scripsit Bion. Hor. Ep. II. 2. 60.

Bisaltae, -arum, populus Macedoniae, utramque ripam Strymonis, Macedoniam Thraciamque dividentis, accola, unde a nonnullis ad Macedones, ab aliis ad Thraces refertur. Virg. Ge. III. 461.

Bisaltis, -ĭdis, i. e. *Theophane*, Bisalti filia, cum qua Neptunus, in arietem mutatus, concubuit, unde natus est aries, qui Phrixum Colchos vexit, cuius auream pellem Iason Medeae ope postea abstulit. Ov. Met. VI. 117.

Bistŏnis et Bistōnis, -ĭdis, quae in vel ex Bistonia s. Thracia est, ad Bistoniam s. Thraciam pertinet. *Bistones* autem fuere Thraciae populus, ad Hebrum flumen, a Bistonia urbe, vel Bistone lacu nomen habens; unde a poëtis tota Thracia Bistonis terra est vocata. Ov. Her. XVI. 344. ex Pont. II. 9. 55.

Bistonis, i. e. Bacchans mulier Thraciae. Hor. Od. II. 19. 20. Pseudo-Virg. Cir. 165.

Bistonĭus, -a, -um, in vel e Bistonia, vel ad Bistoniam pertinens, id q. Thracius. Ov. Her. II. 90. Met. XIII. 430. et al. Prop. II. 23. 32.

Bistonius rex, i. e. Tereus, Thraciae rex. Pseudo-Virg. Cul. 251.

Bithȳnis, -ĭdis, Nympha, Inachi uxor. Ov. Am. III. 6. 25. v. *Melie.*

Bithȳnus, -a, -um, vel e Bithynia, vel ad Bithyniam pertinens. Hor. Ep. I. 6. 33. Cat. XXXI. 5.

Bithyna carina, i. e. vel Bithyna merce onusta, vel ex Bithyna materia aedificata. Hor. Od. I. 3. 57.

Bithynia, -ae, Asiae minoris regio, ab una parte Ponto Euxino, ab altera Propontide terminata, mercatura florens. Hodie septemtrionalis Natoliae pars est. Cat. X. 7.

Bitĭas, -ae, unus e Tyriis in Didonis aula. Virg. Aen. I. 738. (742.). Vocatur sic quoque Troianus, Alcanoris filius, qui cum Aenea in Italiam profectus a Rutulis caesus est. Virg. Aen. IX. 672. 703. XI. 396.

Blandusia, v. Bandusia.

Bocchus, Mauretaniae rex, qui cuidam flori nomen dedisse videtur. Pseudo-Virg. Cul. 405.

Boebe, -es, Thessaliae urbs, inter Sepiadem et Pinei ostia sita. Ov. Met. VII. 231.

Boebēis, -idis, dicitur palus, apud Boeben urbem. Prop. II. 2. 63.

Digitized by Google

Boeotĭa, -ae, Graeciae regio maritima, antea *Aonia* dicta, inter Euripum, Atticam, Phocidem et Locridem, cuius incolae propter aëris crassitudinem corpore pingues, ingenio vero hebetes erant. Ov. Met. II. 239.

Boeotĭus, contr. Boētus, -a, -um, in vel e Boeotia, vel ad Boeotiam pertinens. Hor. Ep. II. 1. 144. Ov. Met. III. 13. XII. 9. i. e. Thebanus. Prop. II. 7. 83.

Boeōtos, id. q. Boeotus. Ov. Fast. V. 493.

Boethus, -i, fuit inclytus caelator, cuius fit mentio Pseudo-Virg. Cul. 66.

Bola, s. Vola, -ae, Latii oppidum, in Aequis ad Anienem fluvium non procul a Lavicis urbe situm. Virg. Aen. VI. 776.

Bolānus, -i, fuit quidam, qui quemvis eorum reprehendere, et quod sentiebat, libere dicere solebat. Hor. Sat. I. 9. 11.

Bona Diva s. Dea, alio nomine Fauna s. Fatua dicta, Romanarum mulierum dea, quae dum vivebat, tam pudica fuisse fertur, ut nullum virum praeter maritum unquam viderit, neque a viro sit visa. Eius sacra a matronis in Pontificis Maximi aedibus pro populi Romani salute habebantur, virisque adesse illis nefas credebatur, Ov. Art. Am. III. 637. Fast. V. 148. Tib. I. 6. 22.

Bononiensis, -e, dicitur mulier libidinosa, *Rufa* dicta. Fuit autem *Bononia* urbs Italiae, hodie *Bologna*. Cat. LVIIII. 1.

Bootes, -ae et -is, est sidus septemtrionale, quod etiam dicitur Arctophylax. Virg. Ge. I. 229. Ov. Art. Am. II. 55. et al. Cat. LXVI. 67. Prop. III. 3. 57. v. *Arctophylax*.

Borĕas, -ae, ventus, deus habitus, in Haemo, Thraciae monte, speluncam incolere credebatur. Ex Orithyia Erechthei, Athenarum regis, filia, quam in Thraciam rapuerat, Zeten et Calain procreavit, Ov. Met. VI. 682. et al. Cat. XXVI. 3. Prop. II. 20. 51.

Borysthenĭdae, -arum, Borysthenis accolae. Prop. II. 6. 18.

Borysthenĭus, -a, -um, ad Borysthenem fluvium pertinens. *Borysthenius amnis*, i. e. *Borysthĕnes*, qui erat unus e maximis Scythiae fluminibus. Hodie Russiam ac Poloniam rigans *Nieper* s. *Dnieper* vocatur, Ov. ex Pont. IIII. 10. 53.

Bosporĕus, et Bosporĭus, -a, -um, in vel e Bosporo, vel ad Bosporum pertinens, Ov. Trist. II. 298.

Bosporus, -i, (*) et

(*) Dicitur enim quasi Βοὸς πόρος, i. e. bovis transitus; vel, uti Plinius II N. L. 6., *bobus meabilis* transitus. Male ergo *Bosphorus* cum

Digitized by Google

Bospora, -orum. Duo fuere huius nominis freta; *Bosporus Thracius*, aestuosum fretum iuxta Byzantium, per quod e Propontide in Pontum Euxinum traiicitur, hodie *Constantinopolis* fretum. Hor. Od. II. 13. 14. II. 20. 14. III. 4. 29. Prop. III. 10. 68. Item *Bosporus Cimerius*, quod est fretum, quo Maeotis palus cum Ponto Euxino iungitur, uomenque a Cimmerio, urbe in Chersoneso Taurica, habet, hodie fretum *Caffae*. Utrumque autem *Bosporus* dictum videtur ab Iō, Inachi filia, quam a Iove in iuvencam mutatam, haec freta tranasse finxerunt poëtae. Ov. Trist. III. 4. 49.

Bovillae, -arum. parvum oppidum, ad viam Appiam circa decem millia passuum a Roma sub Albano monte, cuius rudera etiam nunc eo loco conspiciuntur. Ov. Fast. III. 667. Prop. IV I. 33.

Brenni s. Brenni, -orum,(*) erant populus in Rhaeticis Alpibus; hodie iis locis est vallis *Bregna* in comitatu Tyrolensi. Hor. Od. IV. 14. 11.

Brennus, -i, dux Gallorum, qui ad spoliandum templum Apollinis Delphici in Parnasso profectus, unde *sacrilegus* dicitur, cum exercitu a deo vindice punitus periit. Prop. III. 11. 51.

Briăreus, -ĕi, unus ex tribus Gigantibus, qui C. manus et L. capita habuisse narrantur, Gygis et Cotti frater. Virg. Aen. VI. 287. Ov. Fast. III. 805. v. *Aegaeon.*

Brimo, -us, Proserpinae cognomen. Prop. II. 2. 64.

Brisēis, -ĭdis et -ĭdos, i. e. Hippodamia, a Brise patre ita dicta, quae in expugnatione Lyrnessi, Phrygiae urbis, Achilli in praedae sortitione data, huius herois animum amore incendit. Ab Agamemnone autem, Mycenarum rege, vi ei ablata fuit, unde contentio, Graecis perniciosissima, orta est. Hor. Od. II. 4. 3. Ov. Her. III. 1. 137. XX. 69. et saepe. Prop. II. 7. 23. v. *Achilles.*

Britannus, -a, -um, ad Britannos pertinens. Prop II. 1. 86.

Britanni, -orum, hodie Angliae et Scotiae incolae, populus ferus et asper, quem, Romanis antea incognitum, primus Iulius Caesar bello tentavit; Augustus vero superavit, Romanoque imperio adiecit. Eorum insula *Britannia* in Europa maxima est.

adspiratione scribitur. quamquam e nonnullis optimis antiquis Codd. quodammodo defendi potest lectio. v. Duk. ad Flor. III. 5. 25.

(*) Alii legunt *Brenci*, *Breuci*; variat enim lectio, licet *Breuci* rectius Pannoniae populus dicantur, ut ab Alpinis distinguantur. v. Cell. Geogr. Ant. II. 3.

Digitized by Google

Hor. Od. I. 21. 15. I. 35. 10. III. 4. 33. et al. Virg. Ecl. I. 67. Ge. III. 25. Ov. Am. II. 16. 39. Met. XV. 753. Tib. IV, 1. 149. Cat. II. 11. (§). Prop. II. 14. 18.

Britomartis, Nympha, Iovis et Carmes filia, nobilis venatrix, atque adeo Dianae cara, quae a Minoë II., Cretae insulae rege, amata et frustra ad stuprum pellecta, quo huius insidias fugeret, se e rupe in mare praecipitem dedit; retibus autem excepta et servata nomen *Dictynnae* (†) accepit, et in insulam Aeginam deportata ibi sub deae *Aphaeae* nomine culta est. Pseudo-Virg. Cir. 295.

Brixĭa, -ae, urbs Italiae in Transpadana regione olim iuxta Melam fluvium, sed hodie circiter M. passus abest. Hodie *Brescia*, urbs dicitur. Cat. LXVII. 32. Pseudo-Virg. Cat. VIII. 5.

Bromĭus, -i, Bacchi cognomen. Pseudo-Virg. Cop. 20. Ov. Met. IV. 11. v. *Bacchus*.

Brontes, -ae, unus e Cyclopibus. Virg. Aen. VIII. 425. Ov. Fast. IV. 288. v. *Cyclops*.

Brotĕas, -ae, s. Brotheus, -ĕi, Vulcani et Minervae filius, propter oris deformitatem contemtus, se in ignem coniecit, Ov. in Ibin. 519. Vocatur sic quoque nobilis pugil cum Ammone fratre a Phineo caesus. Ov. Met. V. 107. et unus e Lapithis. Ov. Met. XII. 262.

Brundusĭum s. Brundisĭum, -i, urbs maritima Italiae in Calabria, portu in primis nobili ornata, hodie *Brindisi*. Hor. Sat. I. 5. 104. Ep. I. 17. 52. I. 18. 20.

Brutus, i, fuit cognomon Iuniae gentis. Plures autem huius nominis clari fuerunt:

L. Iunius Brutus, (*) e Tarquinii Superbi sorore natus, reges eiecit Romamque in libertatem vindicavit; mox Consul factus, suos ipsius liberos, reges restituere conantes, fecuri percuti iussit. Virg. Aen. VI. 819. Ov. Fast. II. 849. Prop IV. 1. 45.

D. Iunius Brutus in Hispania ulteriore contra Lusitanos feliciter pugnavit, et de Callaicis, Lusitaniae finitimis, triumphum egit, unde et *Callaicus* cognominatus fuit, Ov. Fast. VI. 461.

M. Iunius Brutus, qui C. Iulium Caesarem interfecit; deinde rebus praeclaris in Asia gestis, ibique auxiliis adversus Octavium

(§) DOERING hoc loco legit *ultimosque Britannos*. Quia vero *horribilesque* praecedit, haec lectio durior videtur; quapropter legere malim *Horribilesque vultum — Osque Britannos*.

(†) A Graeco δίκτυον rete.

(*) Hic ob stupiditatem, in Tarquinii Prisci aula simulatam, primus hoc cognomen accepit, v. Liv. I. 56.

Digitized by Google

contractis, in Philippicis campis cum Antonio et Octavio proelium commisit, victusque se ipse interfecit. Scripsit autem lasciva carmina, quae perierunt. Hor. Od. II. 7. 2. Sat. I. 7. 18. sqq. Ov. Pont. I. 1. 24.

Brutus (†) dicitur quidam Horatii conviva, cum Septicio et Sabino, Ep. I. 5. 26. Item Ovidii amicus. Quis vero hic fuerit, non constat. Ov. ex Pont. I. 1. 3. 24. III. 8. 1.

Bubăsis, -ĭdis, femina e Bubaso, Cariae tractu. Ov. Met. IX. 643.

Bubastis, -is, Dianae cognomen, ita dictae a Bubaste, Aegypti urbe ad Bubasticum flumen, in qua praecipue colebatur. Ov. Met IX. 690.

Bullatĭus, -i, Romanus, quem Horatius, cui amicus fuisse videtur, a peregrinatione avocare studet, ad vitae beatitudinem nihil interesse docens, quo quis loco habitet; hanc vero ipsam ab animi tranquillitate pendere. Hor. Ep. I. 11. 1.

Bupălus, -i, fuit statuarius e Chio insula oriundus, ut et Anthermus, qui ambo cum Hipponactis poëtae, statura parvi ac vultu deformis, imaginem sculpsissent, populique ludibrio exposuissent, poëta tam mordaci in eos carmine invectus fuit, ut ad laqueum illos compulisse a nonnullis credatur. Hor. Epod. VI. 14.

Buris, -is, s. Bura, -ae, fuit Achaiae urbs, haud procul a sinu Corinthiaco sita, undis submersa. Ov. Met. XV. 293.

Busīris, -is, et ĭdis, Neptuni filius e Libya, vel Lysianassa, Epaphi filia; fuit crudelissimus Aegypti tyrannus, qui receptos hospites diis suis immolare solebat, tandemque ab Hercule, quem item interficere conabatur, caesus fertur. Virg. Ge. III. 6. Ov. Her. IX. 69. et al.

Butes, -ae, dicitur a) Amyci, Bebryciorum regis, filius, Erycis, Siciliae regis, pater. Virg. Aen. V. 372. b) Troianus quidam, Anchisae armiger et satelles. Virg. Aen. IX. 647. c) Troianus, a Camilla in bello Aeneae cum Turno interfectus, idem forte atque Anchisae armiger. Virg. Aen. XI. 690. d) Pallantis filius, Clyti frater. Ov. Met. VII. 500.

Butra, v. Brutus.

Buthrōtos, Buthrōtus, et Butrōtum, -i, Epiri urbs, ad maris litus, e regione Corcyrae insulae; hodie *Butrinto* vocatur. Virg. Aen. III. 293. Ov. Met. XIII. 721.

Byblis, -ĭdis, Mileti e Cya-

(†) Sed pro eo meliores Codd. legunt *Brutam*, v. Bentl. ad h. l.

Digitized by Google

nees Nymphae filia, quae cum Canni fratris amore flagraret, eumque literis illi indicasset, repulsam passa et assiduo moerore fletuque consumta, a Nymphis, sortem miserantibus, in fontem conversa dicitur. Ov. Met. IX. 452 sqq. Alio autem loco poëta eam laqueo vitam finivisse narrat, Art. Am. I. 283. (†).

, Byrsa, -ae, fuit arx in media Carthagine, dicta, uti nonnullis placet, a Graeco βύρσα, i. e. corio; Dido enim, navi ad Libyam appulsa, tantum soli emtione pacta est, quantum corio complecti posset. Virg. Aen. I. 367. (371).

Byzantĭus, -a, -um, in vel ex Byzantio, vel ad Byzantium pertinens.

Fuit autem *Byzantĭum* antiquissima urbs, ad Thracium Bosporum sita, postea a Constantino Magno amplificata *Constantinopolis* est dicta, hodie *Stambol*. Hor. Sat. II. 4. 66. Ov. Trist. I. 10. 31.

(†) Quod forte sic illustrari possit: Byblis se prius ab ilice suspendit; deinde vero in fontem decidens huic aquae nomen dedit. v. Burm. ad Ov. l. l.

Digitized by Google

C.

Cācus, -i, semihomo, Vulcani filius habitus, qui Euandri regis tempore in Aventino monte speluncam incolens, Herculi, cum ex Hispania, occiso Geryone, Italiam peragraret, boves surripuit furtoque detecto, ab hoc interfectus est. Virg. Aen. VIII. 194. sqq. Ov. Fast. I. 550. sqq.

Cadmēis, -ĭdis, femina e Cadmi posteris. Dicuntur sic 1) Cadmi filiae, a) *Agave*, Pseudo-Virg. Cul. 110. b) *Ino*, Ov. Fast. VI. 553. c) *Semele*, Ov. Met. III. 287. 2) Thebanae feminae, Ov. Met. IV. 561. (*) IX. 304.

Cadmeis domus, i. e. Cadmea s. Cadmi, Ov. Met. IV. 544.

Cadmeis arx, i. e. Thebae, a Cadmo conditae. Ov. Met. VI. 217.

Cadmēus, -a, -um, a Cadmo, vel ad Cadmum pertinens. Pseudo-Virg. Cul. 253.

Cadmea mater, i. e. Agave. cf. v. Tib. III. 6. 24.

Cadmeae Thebae, i. e. a Cadmo conditae. Prop. I. 7. I.

Cadmus, -i, Agenoris, Phoenices regis, ex Telephassa filius, Sydone natus, a patre missus, ut Europen sororem, a Iove raptam, quaereret, ea lege, ne, nisi inventa et secum reducta sorore rediret, diu frustra quaesivit, et cum sociis in Boeotiam venit, ubi ex Oraculi iussu Thebas urbem condidit, et ex Harmonia uxore Agaven, Semelen, Ino et Autonoën, filias procreavit. Tandem in serpentem cum uxore mutatus dicitur. Hor. Ep. II. 3. 187. Ov. Fast. I. 490. Met. III. 3. et al. Est quoque nomen famosi [carnificis] apud Hor. Sat. I. 6. 39.

Cadmi soror, i. e. Europa; poniturque audacius pro terrarum orbis parte, quae ab Europa nomen habet. Ov. ex Pont. IV. 10. 55.

Cadmi nepos, i. e. Actaeon, Autonoës filius. Ov. Met. III. 174.

Caecilĭus Statĭus, -i, Insuber Gallus, fuit vetus poëta comicus, qui Menandri aliorumque Graecorum fabulas feliciter

(*) Heinsius aliique h. l. legere malunt *Ismenides*; nulla vero auctoritate, quapropter *Cadmeides* servandum putem.

Digitized by Google

Latine vertit, ita quidem, ut eius gravitatem Horatius laudet; Cicero vero, male eum loquutum esse dicat. Floruit autem A. U. DLXXV. Ex eius fabulis aliquot sententias Cicero et Gellius adnotarunt. Hor. Ep. II. 1. 59. II. 3. 53. Fuit etiam *Caecilius* quidam poëta ex Catulli amicis, ad quem scripsit carmen XXXV.

Caecŭbus, -a, -um, a Caecubo, vel ad Caecubum pertinens. Fuit autem *Caecubum* tractus Latii, ad viam Appiam prope Fundos urbem, cuius vinum longe celeberrimum habebatur. Hor. Od. I. 20. 9. I. 37. 5. et al.

Caecŭlus, -i, Vulcani filius, Praeneste condita, vicinos populos, ut secum hanc urbem incolerent, invitavit, se Vulcani filium iactans; quia vero id non credebant, Vulcanum, ut signum daret, invocavit, quo eius filius probaretur: tum statim flamma illam multitudinem circumdedit; quo facto Caeculo fidem habentes una cum eo habitasse narrantur. Virg. Aen. VII. 681. X. 544.

Caedĭcus, -i, homo dives, qui Remulo Tiburti egregium balteum misit. Virg. Aen. IX. 362. Item Rutulus, unus e Turni sociis, qui Alcathoum Troianum interfecit. Virg. Aen. X. 747.

Caeneus, -ĕi, Elati filius unus e Lapithis. Ov. Met. VIII. 305. XII. 179. sqq. v. *Caenis*. Item Aeneae socius, qui in Italia a Turno interfectus est. Virg. Aen. IX. 573.

Caenīna, -ae, Sabinorum urbs, in monte sita, quam Romulus in bello cum Sabinis cepit. Ov. Fast. II. 135.

Caenīnus, -a, -um, ex Caenina, vel ad Caeninam urbem pertinens. Prop. IV. 10. 7.

Caenis, -ĭdis, Elati filia (*), formosa puella e Thessalia, quae cum a Neptuno compressa esset, ut in virum mutaretur, neve vulnerari posset, ab eo impetravit, et *Caeneus* vocata est. Hic quum postea in Lapitharum cum Centauris pugna interfici non posset, congestis in eum arboribus oppressus, Neptuni beneficio in avem conversus est. Post mortem vero apud inferos rursus in feminam mutatus narratur. Virg. Aen. VI. 448. Ov. Met. XII. 189. sqq.

Caeratēus, -a, -um, ad Caeratum pertinens. Fuit autem

(*) v. Hyg. fab. XIV. 242. Ov. Met. XII. 189. Ex aliorum autem opinione *Atracis* filia, unde et ab Ov. Met. XII. 209. *Atraciden* dictam putant. Atraciden autem vocatam malim ab Atrace s. Atracia, Thessaliae urbe, quod ibi nata est, cum Elatus Thessaliae rex fuerit, ut Homerus Maeonides a Maeonia appellatus fuit; cur vero Atracis filia ab Antonino Liber. c. XVII. dicatur, docet Verheyk l. l.

Digitized by Google

Caerētus Cretae insulae flumen, Gnosso urbi vicinum. Pseudo-Virg. Cir. 113.

Caere, et Caeres, -ĕtis, et -ētis, opulenta Etruriae urbs, antea *Agylla* dicta; nunc *Cervétere*.

Caeritis amnis, i. e. Caeretanus fluvius, haud procul a Caere fluens, hodie *Vacina*. Virg. Aen. VIII. 597.

Caeres, -ĕtis, et -ētis, in vel e Caere, vel ad Caere pertinens. Virg. Aen. X. 183.

Caerite cera digni, i. e. a Censoribus suffragii iure [privari, s. summa ignominia adfici, merentes. Hi enim, quibus, tribu motis, ius suffragii adimebatur, *referri* dicebantur in] *Caeritum tabulas;* qua poena apud Romanos Censores eos multabant, quos ob notam inter cives aerarios s. capite censos referebant, qui quidem cives erant; non vero militiae adscribi, nec ullam dignitatem obire poterant; fueruntque hae tabulae dictae a [Caere urbe, quae civitatis, non suffragii, ius habebat (*).

Caesar, -ăris, cognomen Iuliae gentis, in qua clarissimi fuerunt 1) *C. Iulius Caesar*, qui ab Aenea Troiano originem ducens, multis bellis praeclare gestis, rempublicam Rom. invasit; quam ob caussam in curia Pompeii a Senatoribus viginti tribus vulneribus confossus est. Post mortem in deorum numerum relatus est. Hor. Od. I. 2. 44. Virg. Ecl. IX. 47. Ge. I. 25. sqq. Ov. Fast. IV. 627. et saepe. Cat. XI. 10 al. 2) *Octavianus*, a C. Iulio Caesare adoptatus, qui vocatur Caesar ab Hor. Od. I. 2. 52. et saepe. Virg. Ge. IV. 560. ab Ovidio centies amplius, v. *Augustus*.

Caesaris horti erant C. Iulii Caesaris, trans Tiberim e regione Aventini] montis siti, quos ille populo legavit. Hor. Sat I. 9. 18.

Caesar ŭterque, i e. Augustus et Tiberius. Ov. Trist. IV. 2. 8 (†).

Caesaris coniux, i. e. Livia Drusilla, altera Augusti uxor. Ov. ex Pont. III. 1. 114.

Caesaris astrum, i. e. cometes s. stella crinita, quae in ludis, Divo Iulio Caesari ab Augusto habitis, per septem dies apparuit, in quam post suam necem a Venere mutatus refertur. Virg. Ecl. IX. 47. Ov. Met. XV. 745. sqq.

Caesarĕus, -a, -um, a Caesare Augusto, vel ad Caesarem Augustum pertinens. Ov. Met. XV. 864. Trist. I. 1. 70. et al.

Caesareus sanguis, i. e. C. Iu-

(*) Cf. A. Gell. Noct. Att. XVI. 13. et Ascon. Paedian. ad. Cicer. divin. III et Heinecc. Ant. Rom. App. I. 1. 6.

(†) Destinati Romani imperii heredes, ut Tiberius h. l., Caesaris cognomen accipiebant.

Digitized by Google

lii Caesaris nex. Ov. Met. I. 210.

Caesareo sub nomine iuvenes, i. e. Drusus, Tiberii e Vipsania Agrippina filius, et Germanicus, Claudii Drusi filius, quem Tiberius adoptavit. Ov. Trist. IV. 2 9.

Caesius, -i, malus poëta Romanus, cuius carmina *venena* dicuntur a Catullo XIV. 18.

Caīcus, -i, Phrygiae fluvius, qui e Mysia regione oriundus, non procul a Pitane urbe in mare defertur, hodie *Girmasti*. Virg. Ge. IV. 370. Ov. Art. Am. III. 196. Met. II. 243. XII. 111. XV. 278. Vocatur sic etiam unus e Troianis ducibus, qui cum Aenea in Italiam profecti sunt. Virg. Aen. I. 183. (187.) IX. 35.

Caiēta, -ae, et Caiēte, -es, nutrix Aeneae, quocum in Italiam profecta in itinere obiit, et in litore sepulta est; in cuius honorem Aeneas Caietam urbem in Latii et Campaniae confinio condidisse traditur. Virg. Aen. VII. 2. Ov. Met. XIV. 443.

Caiēta, -ae, Latii urbs, cum portu prope Formias, nomen a Caieta, Aeneae nutrice, habens; hodie *Gaëta*. Virg. Aen. VI. 901.

Calăber, -bra, -brum, in vel e Calabria, vel ad Calabriam pertinens. Hor. Od. I. 33. 16. et al. Virg. Ge. III. 425. Ov. Art. Am. III. 409. Fast. V. 162.

Calabris Lucana mutat pascua, i. e. ex Calabria in Lucaniam pastum agitur. Hor. Epod. I. 27.

Calabrae Pierides sunt carmina Ennii poetae, Rudiis, Calabriae urbe, nati. Hor. Od. IV. 8, 20.

Calabrĭa, -ae, Italiae inferioris regio; inter Tyrrhenum et Ionium mare, in qua pascua optima erant, cuiusque mel valde laudabatur; hodie idem nomen servat, sed multo latiores fines habet. Hor. Od. I. 3. 15.

Calăis, -is, Boreae et Orithyiae filius, qui cum Zete fratre alatus fuisse fingitur. Uterque autem cum Argonautis profectus et ad Harpyias depellendas missus periisse fertur. Ov. Met. VI. 716. Vocatur sic quoque adolescens quidam pulcherrimus, Ornyti filius. Hor. Od. III. 9. 14. Prop. I. 20. 21.

Calămis, -ĭdis, artificis nomen, qui egregios equos finxit. Ov. ex Pont. IV. 1. 33.

Calaurēa, -ae, maris Aegaei insula prope Peloponnesum e regione Troezenis, Latonae sacra. Ov. Met VII. 384.

Calchas, -ntis, Thestoris filius, peritissimus augur, qui in Troiae obsidione Graecis in magno honore fuit, eosque suis monitis multum adiuvit. Virg. II. 100. 122. Ov. Art. Am. II. 737. Rem. Am. 473.

Calēnus, -a, -um, a Calibus, vel ad Cales pertinens. Hor. Od. I. 20. 9. I. 31. 9.

Digitized by Google

Cales, -is, et Cales, -ĭum, Campaniae urbs mediterranea, hodie *Calvi*, cuius agri vino generoso, quod molle et dulce erat, fertiles laudantur. Virg. Aen. VII. 728.

Callaĭcus s., -a, -um, ad Callaicos s. Callaecos pertinens, qui fuere Callaeciae, regionis in Hispania, incolae, a D. Iunio Bruto devicti, unde hic Callaici cognomen meruit. Hodie eorum regio *Gallicia* dicitur. Ov. Fast. VI. 461.

Callimăchus, -i, fuit insignis Graecus poëta, Cyrenis, Africae urbe, oriundus, qui circa Olymp. CXXV. s. A. CCCCLXXVII. ante U. C. inclaruit. Scripsit autem epigrammata, hymnos, et in primis elegias, e quibus minor pars ad nos pervenit; nam aliquot tantum hymni supersunt. Hor. Ep. II. 2. 100. Ov. Am. II. 4. 19. Art. Am. III. 329. et al. Prop, II. 1. 40.

Calliŏpe, -es, s. Calliopēa, -ae, Iovis e Mnemosyne filia, Oeagro Thraciae regi, nupta, Orpheum peperit. Musarum princeps est habita, quod cantus suavitate ceteras antecedere credebatur, carminisque epici praeses. Hor. Od. III. 4. 2. Virg. Ecl. IV. 57. IX. 525. Ov. Fast. V. 80. Ponitur et pro quavis musa. Ov. Met. V. 339. Trist. II. 586. Prop. I. 2. 28.

Calliopes nurus, i. e. Euridice, Orphei uxor. Ov. in Ibin 484.

Callirhŏë s. Callirrhŏë, -es, Acheloi filia, altera Alcmaeonis uxor, a quo cum aureum monile, Alphesiboeae, Phegei filiae, ante datum, sibi poposcisset, et Alcmaeon eam ob caussam a Phegei filiis occisus esset, Callirhoë a Iove impetravit, ut Amphoterus et Acarnan filii statim viri fierent, qui patris necem ultisunt. Ov. Rem. Am. 456. Met. IX. 414. 431. v. *Amphiaraides*.

Calisto s. Callisto, -us, Lycaonis, Arcadiae regis, filia, una e Dianae comitibus, e Iove adultero suscepit Arcadem, quam ob caussam ab irata Iunone in ursam conversa est, quam cum Arcas in venatione interficere vellet, Iupiter utrumque inter sidera locavit; mater autem Ursa maior, filius Arctophylax s. Bootes vocatus est. Ov. Fast. II. 156. Cat. LXVI. 66.

Calpĕtus, rectius *Capetus*, q. v.

Calvus (C. Lucinĭus), -i, Romanus orator eximius, et lepidi ingenii poëta, Catullo amicus, satyras et amatoria carmina composuit; sed illa ad nostram aetatem non pervenerunt. Hor. Sat. I. 10. 19. Ov. Am. III. 9. 62. Trist. II. 431. Cat. XIIII. 2. Prop. II. 19. 40.

Calydon, -ōnis, Aetoliae urbs princeps, ad Evenum fluvium sita, in qua Oeneus, Ty-

Digitized by Google

dei, Meleagri et Deïanirae pater, regnavit. Virg. Aen. VII. 306. XI. 270. Ov. Her. XX. 101. Am. III. 6. 37. et al.

Calydōnis, -ĭdis, femina ex Calydone. Ov. Met. 8. 527. *Deïanira*, Oenei Calydonis regis, filia. Ov. Met. IX. 112.

Calydonĭus, -a, -um, in vel e Calydone, vel ad Calydonem pertinens. Ov. Met. XV. 769.

Calydonius heros, i. e. Meleager, Oenei Calydonis regis, filius, Ov. Met. VIII. 324.

Calydonius amnis, i. e. Achelous, qui Aetoliam, in qua Calydon, ab Acarnania separat. Ov. Met. VIII. 727. IX. 2.

Calydonia regna, i. e. Apulia; Diomedes enim, Tydei filius, Oenei, Calydonis regis, nepos, primum in Aetolia regnavit, deinde in regni divisione, quam cum Dauno fecit, Apuliae pars ei cessit. Ov. Met. XIV. 512. v. *Diomedes*.

Calymne, -es, insula in mari Aegaeo prope Lebinthum, ubi optimum mel inveniebatur. Ov. Art. Am. II. 81. Met. VIII. 222.

Calypso, -us, Nympha, Oceani ex Tethye, secundum alios Atlantis, filia, (*) in Ogygia, Siculi maris insula, regnavit, ubi errantem Ulyssem naufragum liberaliter excepit, et sex annos apud se retinuit, Ausonemque ex eo peperit, Ov. Am. II. 17. 15. et al. Tib. IV. 1. 77. Prop. I. 15. 9.

Camarīna s. Camerīna, -ae, palus Siciliae iuxta oppidum eiusdem nominis, cuius incolae, cum contra Apollinis responsum, paludem exsiccavissent, hostes per eam partem ingressi urbem ceperunt. Hodie idem nomen servat; ex urbe autem nihil reliquum est praeter pauca rudera, Virg. Aen. III. 701. Ov. Fast. IV. 477.

Camēna, v. Camoena.

Camerīnus, -i, poëta Romanus, de quo praeter nomen nihil superest. Videtur autem carmen composuisse de Troia, ab Hercule capta, quod Laomedon equas, ob filiae salutem huic promissas, tradere negasset, Ov. ex Pont. IV. 16. 19. v. *Laomedon*.

Camers, -tis, Volscentis, Amyclarum in Italia regis, filius, ab Aenea in bello cum Turno fugatus. Virg. Aen X. 562. Item nobilis Rutulus, cuius formam adsimulavit Iuturna, ut Turnum fratrem singulari certamini cum Aenea eriperet. Virg. Aen. XII. 224.

Camerius, -i, unus ex Catulli amicis, ad quem est carmen LV.

(*) Hesiod. Theogn. 659. Alii *Atlantis*, Hyg. fab XII. Tibull. IV. 1. 77. Hom. Od. *n*. 245.

Digitized by Google

Camilla, ae, Metabi, Priverni, Volscorum urbis, regis et Casmillae filia, fortissima virgo, quae, Turno in bello cum Aenea auxilio profecta, postquam multos ex Aeneae sociis interfecerat, tandem ab Arrunte occisa traditur. Virg. VII. 803. et al.

Camillus (M. Furĭus), -i, Romanorum fortissimus dux, qui Romam, a Gallis captam, recuperav, et cuius virtutem atque dure ac parce viyendi rationem Romani maximi fecerunt. Hor. Od. I. 12. 42. Ep. I. 1. 64. Virg. Ge. II. 169. Aen. VI. 826. Pseudo-Virg. Cul. 361. Ov. Am. III 13. 2. Fast. VI. 184. Prop. III. 7. 31. 9 59.

Camoenae s. Camēnae, -arum, eaedem, quae Musae. Hor. Od. III. 4. 21. Carm. Saec. 62. et al. Ov. Fast. III. 275. Met. XIV. 434. Tib. IV. 1. 24. Prop. III. 8. 1. Saepissime autem *Camoena* ipsum carmen vocatur. Hor Od. I. 12. 39. III. 6. 27. v. *Musae.*

Camoenae graves suut carmina lyricorum poëtarum. Hor. Od. IV. 9. 8.

Camoenae Graiae spiritus, i. e. ingenium poëticum, quo lyrica carmina ad Graecorum exempla scribuntur. Hor. Od. II. 16. 38.

Campanĭa, -ae, Italiae fertilissima et amoenissima regio, ad mare inferum, inter Latium, Samnium et Picentinos sita, in primis vino generoso, uti Caleno, Falerno, Formiano, abundans. Hodie *Terra di Lavoro* vocatur. Ov. ex Pont IV. 15. 17. Prop. III. 3. 27.

Campānus et Campanius, -a, -um, in vel ex Campania, vel ad Campaniam pertinens. Hor. Sat. I. 6. 118. II. 3. 144. et al.

Campanus pons, i. e. in Savone, Campaniae flumine, factus, quem, qui a Capua Sinuessam tendebant, transire debebant. Hor. Sat. I. 5. 45.

Campanus morbus fuit Campaniae proprius, et verrucis in facie erumpentibus insignis. Hor. Sat. I. 5. 62.

Campana urbs, i. e. Capua, princeps Campaniae oppidum. Virg. Aen. X. 145.

Campus, id. q. Campus Martius. Hor. Od. III. 1. 11. Ov. Fast. I. 464. Art. Am. III. 385. v. *Martis campus.*

Canăce, -es, Aeoli, ventorum regis, ex Enarete filia, quae postquam e fratre Macareo filium susceperat, pater ei gladium misit, quo se ipsa interficeret. Ov. Her. XI. Trist. II. 384. in Ibin. 359.

Cancer, -cri, unum e duodecim Zodiaci circuli signis, inter Geminos et Leonem, quod cum sol vicesimo Iunii die ingreditur, solstitium efficitur. Virg. Ecl. X. 68. Ge. IV. 48. Ov. Fast. I. 313. Met. II. 83. et al.

Canens, -tis, Iani e Venilia filia, canendi artis peritissima; quae quum Picum maritum, a

Digitized by Google

Circe in avem mutatum, graviter defleret, in auras evanuisse fingitur. Ov. Met. XIV. 338. sqq.

Canicŭla, -ae, stella in Canis maioris capite, uti Sirius est in ore huius sideris, cum quo nonnunquam confunditur. Hor. Od. I. 17. 24. III. 13. 9 Sat. II. 5. 39. Ov. Art. Am. II. 231. v. *Sirius*.

Canidĭa, -ae, mulier libidinosa provectae aetatis, velocia et efficacia venena parandi perita, quae acerbe et contumeliose perstringitur ab Horatio. Epod. III. 8. V. 15. et al.

Canis, -is, fuit duplex coeleste sidus; maius autem *Icarius* s. *Canis maior*, minus *Antecanis*, Graecis *Procyon*, dicitur. Utrumque vero ob summum calorem, cum non diu post solstitium aestivum oriatur, a veteribus pecori noxium et pestiferum habebatur. Fingunt autem, Maeram, Icari canem, in hoc sidus esse mutatum. Hor. Sat. II. 7. 25. Ep. I. 10. 16. Virg. Ge. I. 218. II. 353. et al. Tib. I. 1. 27. et al. v. *Erigonus*.

Cannensis, -e, ad Cannas Apuliae vicum, pertinens, ubi Carthaginienses, Hannibale duce, gravem cladem Romanis intulerunt. Prop. III. 2, 10.

Canopaeus, -a, -um, in vel ex Canopo, ad Canopum pertinens. Cat. LXVI. 58.

Canōpus s. Canōpos, -i, Aegypti urbs celeberrima, non longe ab Alexandria ad Nili ostia sita, hodie *Rosette*, Turcis *Raschid* dicitur. Virg. Ge. IV. 287. Ov. Am. II. 13. 7. Met. XV. 828. Prop. III. 9 39.

Cantăber, -bra, -brum, in vel e Cantabria, ad Cantabriam pertinens. Erant autem *Cantabri* Hispaniae Tarraconensis bellicosissimus populus, ab Augusto et Agrippa bello subacti. Hodie eorum regio *Biscaya* vocatur. Hor. Od. II. 6. 2. II. 11. 1. III. 8. 22. et al.

Cantabrĭcus, -a, -um, a Cantabris, vel ad Cantabros pertinens.

Cantabricum bellum, i. e. ab Augusto cum Cantabris gestum. Hor. Ep I. 8. 55.

Canusīnus, -a, -um, in vel e Canusio, vel ad Canusium pertinens.

Canusinus bilinguis, i. e. Latinam linguam cum Graeca mixtam loquens. Erant enim primi Canusii, utpote Magnae Graeciae incolae, Graeci genere; a Romanis vero victi et Romano imperio adiecti etiam horum lingua utebantur. Hor. Sat. I. 10. 30.

Canusĭum, -i, Apuliae oppidum, non procul a Cannis, ad Aufidum amnem, a Diomede conditum, hodie *Canosa*. Hor. Sat. I. 5. 91. II. 3. 168.

Capăneus, -ĕi, Hipponoi ex Astynome filius, Evadnes coniux, fuit unus e septem ducibus,

Digitized by Google

qui Thebas oppugnarunt. Quum se, vel invito Iove, Thebas capturum gloriatus esset, iamque scalas muro admovisset, a Iove fulmine ictus occubuit. Ov. Art. Am. III. 21. Met. IX. 404. Trist. IV. 3. 63. ex Pont. III. 1. 5. Prop. II. 25. 48. v. *Adrastus*.

Capella, -ae, fuit poëta, qui elegiaca carmina scripsisse videtur. Eius meminit Ov. ex. Pont. IV. 16. 36.

Capēnus, -a, -um, in vel e Capena, ad Capenam pertinens. Fuit autem *Capena* Etruriae urbs, in Tiberis ripa sita. In huius urbis agro lucus Feroniae deae fuit. Virg. Aen. VII. 697.

Capena porta fuit una e portis Romae, a qua Appia via incipiebat. Hodie vulgo *Divi Sebastiani porta* vocatur. Ov. Fast. IV. 345. V. 673. VI. 192. Prop. IV. 3. 71.

Capĕtus, -i, unus ex Albae regibus, Capyos filius (*). Ov. Fast. IV. 46.

Caphāreus, vel Caphēreus, -ĕi, Euboeae insulae promontorium, in Hellespontum prominens ob vortices et latentia saxa navigantibus periculosum. Huc cum Graeci, Troia redeuntes, venissent, et gravi tempestate, ab irata Minerva concitata, laborarent, Nauplius, Euboeae rex, Palamedis filii necem dolens, facem, quae portus signum esse solebat, sustulit, et in monte posuit; quo facto Graeci inter scopulos naufragium fecerunt. Virg. Aen. II. 260. Pseudo-Virg. Cul. 353. Ov. Met. XIV. 472. 481. Trist. I. 1. 83. et al.

Capharēus et Capharĕus, -a, -um, ad Caphareum promontorium pertinens. Ov. Trist. V. 7. 36. Prop. III. 5. 55.

Capĭto (Fonteius), -ōnis, fuit amicus et legatus Antonii ad Augustum, vir eximiis dotibus praeditus. Hor. Sat. I. 5. 32. 38. v. *Antonius*.

Capitolīnus, -a, -um, in vel e Capitolio, vel ad Capitolium pertinens. Hor. Sat. I. 4. 94. 96. Est quoque Iovis cognomen a templo, quod in Tarpeio s. Capitolino monte habuit. Ov. Fast. II. 69. IV. 186.

Capitolĭum, -i, fuit arx cum templo splendidissimo, Romae in monte Tarpeio, postea Capitolino, quod a Tarquinio Prisco Iovi ex voto fieri coeptum et a Tarquinio Superbo perfectum fuit, unde Iupiter Capitolinus cognominatus est. Victores triumphantes Capitolium adscendebant, ibique diis gratias agentes spolia, ab hostibus relata, consecrabant. Hor. Od. III. 3. 42. III. 24. 45 et al. Virg. Aen. VI. 837. VIII. 347. sqq. Ov. Art. Am. III. 115. et al. Prop. IV. 4. 25. Ponitur nonnunquam pro Romano imperio. Hor. Od. I. 37. 6. v. *Manlius*.

(*) Nonnulli legunt *Calpetus*, quod improbat Drakenb. ad Liv. I. 3.

Digitized by Google

Cappădox, -ŏcis, qui, quae ex Cappadocia est, vel ad Cappadociam pertinet; quae fuit Asiae Minoris iuxta Ciliciam regio, cuius rex suos cives vendere poterat. Quia vero sine sensu, sine sapore, stupidi et tardi erant ingenii, nemo eos emebat, quapropter eorum rex nihilominus inde pauper manebat. Hor. Ep. I. 6. 39.

Capra, -ae, dicitur stella in sinistro Aurigae humero, quae, XXIX. Septembris die oriens et I. Ianuarii occidens, tempestates excitare credebatur, fuitque, uti fingunt, Iovis nutrix, a deo post mortem cum duobus hoedis, quos pepererat, inter sidera relata. Hor. Od. III. 7. 6. Ov. Fast. III. 443.

Capréa, -ae, palus prope Romam, ubi Romulus, cum exercitum lustraret, hominum oculis, ut ferunt, subductus est. Ov. Fast. II. 491.

Capréae, -arum, insula in mari Etrusco, ex adverso Minervae promontorii, cuius prisci incolae Teleboae fuerunt. Hodie vulgo *Capri* vocatur. Virg. Aen. VII. 735. Ov. Met. XV. 709.

Capricornus, -i, coeleste sidus, unum e duodecim Zodiaci circuli signis, quod ortu suo, qui die XVII. Decembris incidit, et occasu, ad diem XV. Ianuarii, in mari occidentali maximas procellas excitare putabatur. Hor. Od. II. 17. 20. Ov. Fast. I. 651. Prop. IV. 1. 108.

Caprius, -i, fuit causidicus, et latronum accusator acerrimus. Hor. Sat. I. 4. 66. 70.

Capŭa, -ae, Campaniae urbs antiquissima et princeps, ad Vulturnum flumen, quae post Cannensem cladem, a Carthaginiensibus, Annibale duce, Romanis illatam, cum Roma de totius Italiae imperio contendit (*); postea autem a Romanis vi expugnata est. Hodie tantum rudera eo loco visuntur. Hor. Epod. XVI. 5. Sat. I. 547. Ep. I. 11. 11. Virg. Ge. II. 224.

Capys, -ўos, sic dicitur a) Assaraci ex Hieromneme filius, Anchisae e Themide, Ili regis filia, pater. Ov. Fast. IV. 34. b) Albae rex, Capeti pater. Virg. Aen. VI. 768. Ov. Met. XIV. 614. c) Troianus, qui Graecorum equum ad Troiam in mare coniiciendum, aut comburendum, censuit, deinde cum Aenea in Italiam venit, atque Capuae urbi nomen dedisse creditur Virg. Aen. I. 183. (187.) II. 35. X. 145.

Car, -is, Cariae incola; quae est regio Asiae Minoris ad mare. Virg. Aen. VIII. 725. Ov. Met. IV. 297. IX. 644.

Carīnae, -arum, vicus Romae, ad Tiberim, navis ad instar, unde nomen habet, ubi Ci-

(*) Cf. Liv. XXIII. 6. Cic. I. Agrar. I. 6. II. 32.

Digitized by Google

ero, Pompeius, Antonius aliique principes Romani, magnificas habuerunt domus. Hor. Ep. I. 7. 48. Virg. Aen. VIII. 361.

Caristeus, v. Carysteus.

Carme, -es, (*) Nympha, Ogygii Phoenicis filia, quae, a Iove compressa Britomartin peperit. Pseudo-Virg. Cir. 220.

Carmentālis, -e, a Carmenti, vel ad Carmentim pertinens.

Carmentalis et Carmentis porta fuit Romae ad radices Capitolini montis Tiberim versus, dicta a Carmentis Nymphae templo, quod ibi fuit. Virg. Aen. VIII. 338. Ov. Fast. II. 201.

Carmentis, -is, et Carmenta, -ae, Nympha, mulier fatidica, quae cum Euandro filio ex Arcadia in Italiam venit, et post mortem inter deas habita est. Eiusque festa, quae Carmentalia dicebantur, XI. die Ian. a Romanis celebrabantur, et XV. repetebantur, quamquam haec sacra magis Porrimae, et Postvertae, Carmentis sororibus, facta videntur. Virg. Aen. VIII. 336. 339. Ov. Fast. I. 499. II. 201. et al. v. *Porrima*, *Postverta*.

Carna, -ae, Nympha, v. *Grane*.

Carpathĭus, -a, -um, ad Carpathum insulam spectans; quae fuit inter Rhodum et Cretam ex adverso Aegypti. Mare autem, quod Carpathum alluit, Carpathium dictum, propter procellas, uti universum mare Mediterraneum, navigantibus periculosissimum fuit. Hodie *Scarpanto* vocatur. Hor. Od. I. 3. 58. IV. 5. 10. Virg. Ge. IV. 387. Aen. V. 595. Pseudo-Virg. Cir. 113. Ov. Am. II. 8. 20. Prop. II. 4. 11. III. 5. 28.

Carpathius senex et vates, i. e. Proteus, quia in mari Carpathio sedem habere credebatur. Ov. Am. II. 15. 10. Met. XI. 249. v. *Proteus*.

Carseolānus, -a, -um, in vel e Carseolis, vel ad Carseolos pertinens. Ov. Fast. IV. 710.

Carsĕŏli, -orum, Aequorum urbs in Latio, ad Anienem fluvium, quae hodie *Arsuli* s. *Carsoli* vocatur. Ov. Fast. IV. 683.

Carthĕĭus et Carthaeus, -a, -um, ad Carthaeam urbem pertinens, quae sita fuit in insula Cea. Ov. Met. VII. 368. X. 109.

Carthāgo, -ĭnis, magna et potens Africae urbs ex adverso Italiae, a Didone condita et inhabitata, Iunonique sacra, postea diu cum Roma de imperio terrarum orbis contendit, unde gravissima bella exorta sunt, a quibus

(*) Male *Charme* vocatur; est enim Graece Κάρμη, Paus. autem Coriath. c. 30. eam Eubuli filiam dicit.

Digitized by Google

non ante cessarunt, quam haec urbs a P. Corn. Scipione Aemiliano Africano capta et incendio deleta sit. Hor. Od. III. 5. 39. VI. 4. 69. et al. Virg. Aen. I. 13. 17. et al. Ov. Her. VII. 11. 19. Fast. VI. 45. Prop. II. 1. 23.

Carus, -i, Poëta, ex Ovidii amicis, qui de Hercule carmen scripsisse videtur. Ov. ex Pont. IV. 13. 2. 39. IV. 16. 7.

Carystĕus, -a, -um (*), a Carysto, vel ad Carystum pertinens. Ov. Fast. IV. 282.

Carystus, -i, Euboeae urbs, ad Myrtoum mare sita, ubi pretiosum viridis coloris marmor effodiebatur. Tib. III. 3. 14.

Cascellĭus (A.), -i, fuit iureconsultus nobilissimus, praesertim praediatorii iuris peritus. Hor. Ep. II. 3. 371.

Casmilla, -ae, Camillae mater. Virg. Aen. XI. 543. v. *Camilla.*

Casperĭa, -ae, Sabinorum urbs, ad Himellae fluminis fontes sita, hodie *Aspra.* Virg. Aen. VII. 714.

Caspĭus, -a, -um, e Caspia gente, vel ad Caspiam gentem pertinens; quae in Asia maiori ad Caspium s. Hyrcanum mare sedem habuit, quod mare hodie vulgo *Mare di Sala* vocatur. Hor. Od. II. 9. 2. Virg. Aen. VI. 799. Ov. ex Pont. I. 8. 13.

Cassandra, -ae, Priami Troiae regis, ex Hecuba filia, ab Apolline ob formae praestantiam amata, et vaticinandi artem docta est. Cum autem, quae pollicita erat, ei non praestaret, Apollo ut ne eius vaticiniis ulla fides haberetur, effecisse fertur: Troia autem capta, e Minervae templo, cuius sacerdos erat, ab Aiace, Oïlei filio, tracta, Agamemnoni, in praedae divisione obtigit, quocum Mycenas profecta, a Clytaemnestra interfecta est. Virg. Aen. II. 246. V. 536. Ov. Her. XVI. 119. Am. I. 7. 17. et al.

Cassandreus, -i, i. e. Apollodorus, Cassandrae, Macedoniae urbis, crudelissimus tyrannus, qui tandem a civibus suis necatus est, Ov. ex Pont. II. 9. 43. in Ibin. 461.

Cassiŏpe, -es, s. Cassiopēa, -ae, Cephei, Aethiopiae regis, uxor; quum se Nereides formae praestantia superare gloriata esset, Neptunus, tantam superbiam indignatus, marinam belluam in Cephei regnum misit, et ut Andromeda, eius filia, huic monstro obiiceretur, postulavit, quae a Perseo liberata est. Post mortem

(*) Male, uti videtur, habet Burmanni editio eo loco *Caristeus*; est enim Graece Κάρυστος, v. Steph. Byzant. in voce, et Paus. Phoc. I. 10. fere medio.

Digitized by Google

inter sidera relata fertur. Pseudo-Virg. Cat. XI. 28. Ov. Met. IV. 737 Prop. I. 17. 3. v. *Andromeda.*

Cassĭus, -i, cognomine Etruscus, poëta mediocris, qui multa scripsit, quae periere. Hor. Sat. I. 10. 61. (*).

Cassĭus, -i, cognominatus Parmensis, unus ex Iulii Caesaris percussoribus, fuit Tribunus militum. in Bruti et Cassii exercitu. Post horum mortem Antonii partes secutus, et, ad Actium re male gesta, Athenas profugit, ubi Q. Varus, ab Augusto, quem scriptis laeserat, huc missus, eum interfecit. Fuit autem insignis poëta, qui non minore ferebatur laude, quam Catullus, aut Tibullus; cuius vero carmina non ad nostram aetatem pervenere. Hor. Ep. I. 4. 3.

Castalĭa, -ae, fons ad Parnasi montis radices, in nemore, Apollini Musisque sacer. Hor. III 4. 61. Virg. Ge. III. 293. Pseudo-Virg. Cul. 17.

Castalĭus, -a, -um, in vel e Castalio fonte, vel ad Castalium fontem pertinens. Ov. Am. I. 15. 36. Prop. III. 2. 13.

Castalia umbra, i. e. umbra nemoris Castalii fontis in Parnaso. Tib. III. 1. 16.

Castalium antrum, i. e. Apollinis Oraculi, quod in Parnaso monte prope Castalium fontem fuit. Ov. Met III. 14.

Castor, -ŏris, Tyndarei e Leda filius, Pollucis, Helenae et Clytaemnestrae frater, insignis eques, uti Pollux nobilis pugil. Quum hi fratres in bello cum Atheniensibus Phoeben et Ilairam, Leucippi filias, Lynceo et Idae eripuissent, Lynceus Castorem interfecit. Pollux autem a Iove inter deos receptus est, sed immortalitatem, nisi hanc cum Castore communicaret, recusavit; quapropter Iupiter utrique, ut alternis diebus unus apud Superos, alter apud Inferos, degeret, concessit. Amborum fuit in mari periclitantibus opem ferre; hinc eorum sidus, quod olim *Dioscuri*, hodie *Gemini* dicitur, si nautis appareret, faustum habebatur. Hor. Od. IV. 5. 35. Epod. XVII. 42. Pseudo-Virg. Cat. VII. 25. Ov. Her. VIII. 71. et al. Cat. IV. 27. Prop I. 2. 15 et al. v. *Leda.* Fuit etiam gladiatoris cuiusdam nomen, qui cum Dolicho, item eius temporis gladiatore, comparatur. Hor. Ep. I. 18. 19. Vocatur tandem sic Troianus, qui Aenean in Italiam comitatus est. Virg. Aen. X. 124.

(*) A multis idem habetur, qui *Parmensis*, s. Iulii Caesaris interfector, sed minus recte; Parma enim, a qua alter Cassius cognomen habuit, non ad Etruriam, sed ad Galliam Cispadanam pertinuit.

Digitized by Google

Castrum, -i. Ov. Met. XV. 727. v. *Inuus*.

Catĭa, -ae, adultera mulier, lascive vestita, cuius meminit Hor. Sat I. 2. 95.

Catĭcnus, -i, histrio, qui in Iliona, Pacuvii poëtae tragoedia, Polydori personam agere solĕbat. Hor. Sat. II. 3. 61.

Catilīna (L. Sergĭus), -ae, nobilis Romanus, homo seditiosus, audax et facinorosus, qui rempublicam Rom. evertere studuit, quam ob causam apud Inferos poenas dare refertur a Virg. Aen. VIII. 668. (*).

Catillus s. Catĭlus, -i, Amphiarai filius, qui, colonia in Italiam deducta, cum fratribus Tiburte et Cora Tibur urbem condidit. Postea cum Cora Turno in bello contra Aenean auxillium tulisse fertur. Hor. Od. I. 18. 2. Virg. Aen. VII. 672. XI. 640. v. *Tibur*.

Catĭus, -i, vocatur quidam, qui artis coquinariae praecepta tradit, cuius nomen fictum videtur. Allusit forte Horatius ad Catium, Epicureum philosophum, qui, non diu ante mortuus, de rerum natura et summo bono scripserat. Sat. II. 4. 1. (†).

Cato, -ōnis, Romanum Porciae gentis cognomen, quo primus nobilitatus est *M. Porcius Cato Maior*, imperator et orator optimus, qui Censor factus, unde *Censorius* dictus est, severe ei potestati praefuit, luxuriamque, quae pullulare incipiebat, reprimere, et disciplinam veterem, quam ipse moribus asperis, parco corporis habitu, barbaque intonsa exhibebat (†), restituere studuit. Multa scripsit, ex quibus liber de Re Rustica adhuc superest, locupletavitque Latinum sermonem multis novis verbis. Hor Od. II. 15. 11. Sat. I. 2. 32. Ep. III. 2. 56. Virg. Aen. VI. 842. (§).

M. Porcius Cato, pronepos Catonis maioris, Stoicus, et priscorum morum severitatis adeo tenax, ut Virgilius eum apud inferos iura dare dixerit (††), tristis vultu et vilis habitu, ita ut saepe nudis pedibus et breviore toga in publicum prodiret. Fuit autem tanta animi constantia, ut quum Uticam urbem, unde *Uticensis* est dictus, a Caesare se defendere posse dubitaret, sibi mortem consciscere, quam se

(*) De eo v. Sallust. de bel. Catil. et Cic. in Oratt. in Catil.
(†) Cf. Quinct. X. I.
(†) Romani iam A. U. CCCCLIV. barbam tondere coeperunt. Cato autem natus est A. U. DXIX. cf. Plin. H. N. VII. 59.
(§) Cf. eius vita ap. Nepot.
(††) Aen. VIII. 670. Alii vero haec ad Catonem Censorium s. Maiorem referunt.

Digitized by Google

Caesari victori tradere maluerit. Senex cum esset, largius vino indulsisse culpatur. Hor. Od. I. 12. 35. II. 1. 24. III. 21. 11. Ep. I. 19. 13.

M. Valerius Cato fuit Grammaticus, qui Syllae tempore floruit, et levia carmina scripsit. Ov. Trist. II. 436.

Cato, quidam ex Catulli amicis, ad quem est Carm. LVI.

Catullus (C. Valerĭus), -i, Veronensis, Romanus poeta eximius, lascivus tamen, qui A. U. DCXC. floruit, cuius acuta epigrammata etiam nunc supersunt. Hor. Sat. I. 10. 19. Ov. Am. III. 9. 62. III. 15. 7. Trist. II. 427. Tib. III. 6. 41. Cat. VII. 10. et al. Prop. II. 19. 40.

Caucasĕus et Caucasĭus, -a, -um, e Caucaso monte, ad Caucasum montem pertinens. Virg. Ge. II. 440. Ov. Art. Am. III. 195. Met. V. 86.

Caucasiae volucres, i. e. aquila, quae Promethei iecur, in Caucaso ad saxum religati, arrosisse fertur. Virg. Ecl. VI. 42.

Caucăsus et Caucăsos, -i, altissimus mons Asiae inter mare Caspium et Euxinum, pars Tauri montis, op solitudines ac feras inhabitabilis. Hor. Od. I. 22. 7. Epod. I. 12. Virg. Aen. IV. 367. Ov. Met. II. 224. VIII. 798. Prop. I. 14. 6.

Caudĭum, -i (*), oppidum Samnii in via Appia inter Calatiam et Beneventum; hodie *Aerola* dicitur. Hor. Sat. I. 5. 51.

Caulon, -ōnis, Italiae urbs in Bruttiis inter Sagram flumen et Consilinum castrum, a Campanis vastata. Virg. Aen. III. 553. Ov. Met. XV. 705.

Caunus, -i, Mileti e Cyanee filius, a Byblide sorore amatus. Ov. Met. IX. 452. sqq. v. *Byblis*.

Caȳcus, rectius Caicus, q. v.

Caystrĭus, -a, -um, ad Caystrum fluvium pertinens.

Caystrius ales, i. e. Cygnus. Ov. Trist. V. 1. 11.

Caystrus et Caystros, -i, Asiae Minoris fluvius, qui e Lydia oriundus per Ioniam defluit, et apud Ephesum urbem in Aegaeum mare exoneratur. In eius ripis cygnorum multitudo inveniebatur. Hodie *Chiai*, vel *Kitcheck Meinder*, vocatur. Virg. Ge. I. 383. Ov. Met. II. 253. V. 386.

Cea, -ae, et Ceos, -i, insula in mari Aegaeo, non procul ab Euboea, fuitque una e Cycladibus; hodie *Zia*. Virg. Ge. I. 14. Ov. Her. XX. 222. Met. VII. 368.

Cebren, -ēnis, Troadis flu-

(*) Male *Claudium* legitur in nonnullis edd. Hor. Cf. Intpp. ad Steph. Byzant. h. v. et Cluver. Ital. Ant. p. 1196.

Digitized by Google

men sub Ida monte, Asteropes pater. Sab. ap. Ov. III. 89.

Cebrēnis, -ĭdis, i. e. Asterope(*), Cebrenis fluvii filia. Ov. Met. XI. 769.

Cecropĭdes, -ae, unus ex Cecropis posteris, id. q. Atheniensis. Virg. Aen. VI. 21. Ov. Fast. III. 81. IV. 504. et al.

Cecropides, i. e. Theseus. Ov. Met. VIII. 556.

Cecrŏpis, -ĭdis, una e Cecropis posteris, id. q. Atheniensis, Ov. Her. X. 100. Am. III. 12. 32. et al.

Cecropis, i. e. Agraulos, Cecropis filia. Ov. Met. II. 806.

Cecropis ales, i. e. Procne, Pandionis, Athenarum regis, filia, in hirundinem mutata. Ov. Am. III. 12. 32.

Cecropĭus, -a, -um, id. q. Atheniensis, Atticus. Virg. Ge. IV. 177. et al. Ov. Her. X. 125. et al. Cat. LXIIII. 79. et 172. Prop. II. 16. 6.

Cecropius cothurnus, i. e. Attica gravitas, qualis in Thespis, Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, Atheniensium, tragoediis est conspicua. Hor. Od. II. 1. 12.

Cecropius hortulus, i. e. Epicuri Atheniensis disciplina. Pseudo-Virg. Cir. 3.

Cecropia arx, i. e. Athenae. Ov. Met. VI. 70. Sab. ap. Ov. II. 74.

Cecropiae domus opprobrium, i. e. Atheniensium. Hor. Od. IV. 12. 6.

Cecrops, -ŏpis, Aegyptius, qui ab Arabibus patria expulsus in Graeciam venit, unde geminus dicitur (†) et Athenas circa CCCC. annos ante Troiam captam condidit, ibique primus regnavit; procreavit autem ex Agraulo uxore tres filias, Agraulon, Hersen et Pandrosum. Ov. Met. II. 555.

Cecrops nata, i. e. Aglauros s. Agraulos, Ov. Met. II. 797.

Celaenae, -arum, Phrygiae Maioris urbs, quondam eius regionis caput, ad Marsyan fluvium et Menandri fontes in monte eiusdem nominis sita. Ov. Fast. IV. 363.

Celaeno, -us, una ex Harpyiis. Virg. Aen. III. 211. sqq. Est quoque hoc nomine Atlantis e Pleione filia, una ex Pleiadibus, a Neptuno amata. Ov. Her. XIX. 135. Fast. IV. 173.

Celenna, -ae, Campaniae oppidum, Iunoni sacrum, de quo praeter nomen nil constat. Virg. Aen. VII. 739.

Celer, -ĕris, vir, a quo Re-

(*) In Ovid. loco legitur *Hesperien*; sed nihil obstat, quominus Apollodori sententiam, III. 12. 5., amplectentes, pro eo *Asteropen* restituamus; variat enim admodum lectio, et de Hesperie nusquam nisi h. l. fit mentio.

(†) Graecis Διφυής. Ut alii volunt, ob utriusque linguae peritiam. v. intpp. ad. Ovid. l. l.

Digitized by Google

mus, Romae moenia cum transiliisset, est interfectus. Ov. Fast. IV. 837. sq.

Celeus, -i, Phari filius, fuit Eleusinis in Attica rex, a quo Ceres, Proserpinam filiam quaerens, hospitio excepta est, quam ob caussam Triptolemum, Celei e Metanira filium, frumenti sationem docuit. Rex autem ipse rustici operis instrumenta invenisse fertur. Virg. Ge. I. 165. Ov. Fast. IV. 508.

Celmis, -is, unus e Dactylis, Cybeles sacerdotibus, qui quum Iovem mortalem divulgasset, a deo in adamantem mutatus refertur. Ov. Met. IV. 282.

Celsus, -i, poëta plagiarius; forsitan Celsus Albinovanus, comes et scriba Caesaris Tiberii. Hor. Ep. I. 3. 15. v. *Albinovanus*. Vocatur sic etiam unus ex fidelissimis Ovidii amicis, quem deflet, ex Pont. I. 9. 1. 41. 44.

Cenaeus, -i, Iovis cognomen a Cenaeo, promontorio Euboeae insulae, ubi Hercules ei aram constituit. Ov. Met. IX. 136.

Cenchrĕae, -arum, urbs cum portu in Isthmo Corinthi, ad sinum Saronicum. Ov. Trist. I. 10. 9.

Cenchrēis, -ĭdis, Cinyrae, Assyriorum regis, uxor, quae quum Myrrham s. Smyrnam filiam Veneri forma excellere gloriata esset, Myrrhae deae ira illicitum amorem in patrem suscepit, cuius dolore Cenchreis periit. Ov. Met. X. 435. v. *Myrrha*.

Censorīnus (C. Marcĭus), -i, Romanus, Horatio amicus, filius L. Marcii Censorini, qui A. U. DCCXLVI. sive eodem anno, quo Horatius mortuus est, cum C. Asinio Gallo Cos. fuit. Ad hunc est Hor. Od. 8. IIII.

Centaurĕus, -a, -um, a Centauris, vel ad Centauros pertinens. Hor. Od. I. 18. 8. Pseudo-Virg. Cul. 28.

Centaurus, -i, unus e Centauris. Fuerunt autem *Centauri*, uti fabulantur, Ixionis e (Iunone sub) Nube filii, superiore corporis parte homines, inferiore equi. Hi ad Perithoi, Lapitharum regis, cum Hippodamia nuptias celebrandas invitati, animis vino incensis, Hippodamiam ceterasque mulieres rapere conati sunt, quam ob caussam a Lapithis, Hercule Theseoque adiuvantibus, maxima parte caesi traduntur. Centauri autem re vera fera et agrestis gens fuisse videntur, qui altissimos Thessaliae montes inhabitarunt, et primi equos conscenderunt, ex iisque pugnarunt. Hor. Od. IV. 2. 15. Epod. XIII. 11. Virg. Ge. II. 456. Aen. VII. 675. Ov. Her. XVII. 247. Met. IX. 191. XII. 219. et al. Prop. II. 2. 62. et al. Est quoque navis nomen, ab insigni, quod in prora Centauri speciem referebat. Virg. Aen. V. 122. X. 195.

Digitized by Google

Centaurus. i. e. Nessus. Ov. Fast V. 405.

Ceos. v. Cea.

Cephălus, -i, Deïonis s. Deïonei e Diomede filius, Procridis maritus, qui in Hymetto, Atticae monte, venans, ab Aurora, ob formositatem eius amore capta, raptus est; cum autem Procris ei semper in ore esset, Aurora hoc aegre ferens, Cephalum in suspicionem, ac si minus pudica esset uxor, adduxit. Itaque hic quum uxoris pudicitiam tentasset et labefactasset, illa, pudore suffusa, in silvam, vel, ut aliis placet, in Cretam ad Minoëm confugit (*), unde tamen postea reversa cum Cephalo in gratiam rediit, et ei canem ac iaculum donavit, quo telo deinde a marito inscio interfecta est. Ov. Her. IV. 93. XV. 87. et al. v. *Laelaps*.

Cephēis, -ĭdis, i. e. Andromeda, Cephei filia. Ov. Art. Am. III. 191.

Cepheĭus, contr. Cephēus, -a, -um, a Cepheo, vel ad Cepheum pertinens. Ov. Met. IV. 668. Prop. IV. 6. 78.

Cepheia virgo, i. e. Andromeda, Cephei filia. Ov. Am. III 3. 17. cf. Her. XV. 35. Prop. I. 3. 3.

Cephēnes, -um, Aethiopiae populus, ita a Cepheo rege dictus. Ov. Met. V. 1. in Ibin 556.

Cepheus, -ĕi, Phoenicis filius, Aethiopiae rex, e Cassiopea uxore Andromedam suscepit, quae Perseo nupsit; post mortem autem a Minerva inter sidera relatus est. Ov. Met. IV. 737. V. 12. 44. v. *Andromeda*, *Perseus*.

Cephisĭas s. Cephisĭăs, -ădis, quae ad Cephisum fluvium pertinet. Ov. Met. VII. 438.

Cephīsis s. Cephissis, id. q. Cephisias. Ov. Met. I. 369.

Cephisĭus s. Cephissĭus, -a, -um, a Cephiso originem ducens, vel ad Cephisum pertinens.

Cephisius, i. e. Narcissus, Cephisi filius. Ov. Met. III. 351.

Cephīsos s. Cephissos, -i, fluvius in Phocide, qui e Liriope Nympha Narcissum procreavit, et cuius nepos ab Apolline in Phocen mutatus fertur. Ov. Met. III. 19. 343. VII. 388.

Cerambus, -i, Othryos montis incola; qui Deucalionis tempore vixit, et a Nymphis, cum deluvium venisset, alas accepit, quibus aufugit. Ov. Met. VII. 353.

Cerastae, -arum, Cypri insulae cornuti incolae, qui quod hospites immolare solebant, ab irata Venere in boves mutati narrantur. Ov. Met. X. 223.

(*) Ovidius Rem. Am. 453. alios secutus Minoëm hanc amasse dixit; eam vero in silvas aufugisse Met. VII. 746. sqq. affirmat.

Digitized by Google

Ceratĕus, -a, -um (*), ex Cerato, vel ad Ceratum pertinens, quae fuit Cretae insula, apud Gnossum flumen sita. Pseudo-Virg. Cir. 113.

Ceraunĭa, -orum, Epiri montes, iidem, qui et *Acroceraunia* dicuntur. Virg. Ge. I. 332. Aen. III. 506. Ov. Am. II. 11. 19. Met. XV. 704. et al. Prop. I. 8, 19. v. *Acroceraunia*.

Ceraunius, -a, -um, a Ceraunĭis, vel ad Ceraunios montes pertinens. Prop. II, 13. 3.

Cerberĕus, -a, -um, a Cerbero, vel ad Cerberum pertinens. Ov. Met. IV. 500. XIV. 65.

Cerbĕros, et Cerbĕrus, -i, ingens canis, e Typhaone et Echidna natus, ad Orci ostia cubans, umbrisque reditum ex inferis locis negans; monstrum horrendum, triceps (†), cuius capita centum angues, uti finxerunt Veteres, cingunt, et ex cuius spuma, quam ab Hercule ex inferis extractus evomuit, aconitum venenum ortum dicitur. Hor. Od. II. 19. 29. III. 11. 17. Virg. Ge. IV. 483. Aen. VI. 417. Pseudo-Virg. Cul. 219. 269. Ov. Her. IX. 94. Met. IV. 449. et al. Tib. I. 3. 71. et al. Prop. III. 3. 66. et al.

Cercōpes, -um, Pithecusarum insulae incolae. Hi quum Iovem decipere tentarent, in simias conversi traduntur. Ov. Met. XIV. 92.

Cercўon, -ŏnis, Vulcani filius (§), crudelis rex in Attica, qui hospites ad certamen provocans victos interficiebat. A Theseo tandem occisus est. Ov. Met. VIII. 438.

Cercyonĕus, -a, -um, a Cercyone, vel ad Cercyonem pertinens. Ov. in Ibin 414.

Cereālis, -e, a Cerere, ad Cererem pertinens, Cereri sacer. Virg. Ge. I. 212. II. 517. Ov. Her. IV. 67. Fast. IV. 507 et al.

Cereale solum, i. e. liba adorea, s. placentae, quae mensae loco subiectae erant, ut iis ceterae epulae imponerentur. Virg. Aen. VII. 111.

Cerealia arma sunt instrumenta ad panem conficiendum, Virg. Aen. I. 177. (181.)

Cerealia semina et *munera* sunt frumentum. Ov. Am. III. 6. 15. Rem. Am. 173. Met. I. 124. XIII. 639. ex Pont. III. 8. 11.

Cerealia dona s. *munera* sunt panis. Fast. VI. 391. Met. XI. 121. 122.

Ceres, -ĕris, Saturni ex Ope s. Rhea filia, homines, antea

(*) Alii *Caerateus* legere malunt.
(†) Hor. autem Od. II. 13. 34. Graecos secutus, ei centum capita tribuit. cf. Tzetza ad Lycophr. 678.
(§) Hyg. fab. 38. Alii Neptuni filium dicunt. A. Gell. N. Att. XV. 21.

Digitized by Google

glandibus vescentes, agrorum cultum docuisse fertur, quam ob caussam frugum et in primis frumenti dea est habita, unde saepe pro *ipso frumento*, Hor. Od. III. 24. 13. Virg. Ge. I. 397. Aen. I. 177. (181.) vel *pane*, inde confecto, a poëtis ponitur. Virg. Aen. I. 701. (705.) VII. 113. Quod autem post inventa frumenta et fruges, agri primo discreti, et jura inde enata sunt, propterea *legifera* vocatur. (*). E Jove fratre peperit Proserpinam, quam cum Pluto rapuisset, mater, hoc ignorans, ad investigandam filiam ignibus, qui ex Aetnae vertice erumpunt, duas inflammavit taedas, quas sibi ipsa praeferens, vecta currui, ab anguibus junctis tracto, totum terrarum orbem peragravit, et ab Arethusa, Siciliae Nympha, de filiae raptore certior facta, dolens Jovem adiit, qui Proserpinae, ut alteram anni partem cum matre, alteram in inferis apud maritum esset, ei concessisse traditur (†). Eius ludi, *Cerealia* dicti, die XII. Aprilis a Romanis matronis, quae per novem dies nullam cum maritis consuetudinem habuerant, faces praeferentibus, albisque vestibus indutis, magna pompa per octo dies celebrabantur. Varie autem fingitur: Plerumque eius caput spicis et papaveribus est circumdatum, dum altera manu accensam facem, altera spicas tenet. Hor. Od. IV. 5. 18. Epod. XVI. 43. et al. Virg. Ecl. V. 97. Ge. I. 7. et al. Ov. Am. I. 1. 9. et saepe. Tib. I. 1. 15. et al.

Ceres elaborata, i. e. panis. Virg. Aen. VIII. 181.

Cereris arcanae sacrum, i. e. Eleusinia sacra. Hor. Od. III. 2. 26. v. *Eleusis*.

Sine Cerere, i. e. incoenatus. Cat LXIII. 36.

Cerĭnthus, -i, homo libertinus, egregia forma puer, a Romanis matronis amatus. Hor. Sat. I. 2. 81. Tib. II. 2. 9. et al.

Cervĭus, -i, alii Servĭus, calumniator, Ascanii libertus, accusavit Cn. Calvinum Lege de Sicariis. Hor. Sat. II. 1. 47. Fuit etiam hoc nomine vir probus, Horatii amicus, et in Sabinis eius vicinus. Hor. Sat II. 6. 77.

Cethēgus (M. Cornelĭus), -i, rhetor summus, qui primus Romae eloquens habitus est, vixitque secundi belli Punici tempore, et A. U. DLXXXIV. Consul fuit. Hor. Ep. II. 2. 117. II. 3. 50. Item unus ex Rutulis, quem Aeneas in Italia interfecit. Virg. Aen. XII. 513.

(*) Virg. Aen. IV. 58. cf. Spanh. ad. Callim. Hymn. in. Cer. v. 19.
(†) Late fabulam tractat Ov. Met. V. 341. sqq.

Digitized by Google

Ceus, -a, -um, ex Cea insula, vel ad Ceam insulam pertinens. Ov. Met. X. 120.

Ceae naeniae munera sunt carmina lugubria Simonidis, Iulide, splendida Ceae urbe, nati. Hor. Od. II. 1. 38. v. *Leoprepides.*

Ceae Camoenae sunt Simonidis Cei carmina lyrica. Hor. Od. IV. 9. 8.

Ceyx, -ycis, Luciferi et Philonidis filius, Trachinis rex, in Ioniam Clarium Apollinem consultum profectus, in Aegaeo mari naufragium fecit: quum ergo dicto die non rediisset, Alcyone uxor, somno monita, ad litus venit, et mariti cadaver in fluctibus videns se in mare praecipitavit; sed deorum misericordia in Alcyonem avem versa ad mariti os advolavit, qui, uxoris oscula sentiens, et ipse in avem mutatus est. Ov. Her. XVIII. 81. Met. IX. 272. sqq.

Chalcidĭcus, -a, -um, e Chalcide, Euboeae urbe, vel ad Chalcidem pertinens.

Chalcidicus versus, i. e. Euphorionis Chalcidensis; cuius carmen Gallus poëta vel in Latinum sermonem vertisse, vel Latine imitatus esse creditur. Fuit autem *Euphorĭon* insignis Graecus poëta, qui Antiochi Magni, Syriae regis, bibliothecae praefectus fuit, cuius tamen scripta perierunt. Virg. Ecl. X. 50.

Chalcidica arx, i. e. Cumae, a Chalcidensibus conditae. Virg. Aen. VI. 17.

Chalciŏpe, -es, Aeetae filia, Medeae soror, Phrixi coniux. Ov. Her. XVII. 232.

Chalўbes, -um, fuerunt populus, Chalybem, fluvium Hispaniae inter Anam et Tagum, accolens, ubi optimum invenitur ferrum, quod cum Chalybis aqua tinguatur, durius redditur. Virg. Ge. I. 58. Aen. VIII. 421. Cat. LXVI. 48.

Chalybum metallum, i. e. praestantissimum ferrum, quale apud Chalybes invenitur. Virg. Aen. X. 174.

Chaon, -ŏnis, Troianus, Priami filius, qui ab Heleno fratre in venatione incaute occisus est, a quo Helenus Epiri partem Chaoniam vocavit. Virg. Aen. III. 335.

Chaonĭa, -ae, Epiri regio, quercubus abundans; hodie *Camina*. Aliquando autem pro tota Epiro ponitur. Virg. Aen. III. 335.

Chaŏnis, -ĭdis, quae in vel ex Chaonia est, ad Chaoniam pertinet.

Chaonis ales, i. e. Columba. Ov. Art. Am. II. 150. v. *Chaonius.*

Chaonis arbor, i. e. quercus. Ov. Met. X. 90.

Chaonĭus, -a, -um, in vel ex Chaonia, vel ad Chaoniam per-

Digitized by Google

tinens. Virg. Ge. I. 8. Aen. III. 293. Ov. Met. V. 163. sqq.

Chaonii patris glandes, i. e. quercus, Iovi Dodonaeo sacra. Virg. Ge. II. 67.

Chaoniae columbae sunt palumbes Dodonaei luci: Iovis enim Oraculum Dodonae per columbas edi credebatur. Virg. Ecl. IX. 13. Prop. I. 9. 5. v. *Dodona*.

Chaos, -us, vocarunt Veteres quoddam principium, quod omnium rerum, quae nunc universum mundum componunt, semina inter se confusa continuit, unde cuncta orta sunt, et in quod omnia postea recasura finguntur. Ov. Fast. I. 103. V. 11. Met. I. 7. in Ibin 84. Habebatur inter deos et invocabatur. Virg. Ge. IV. 347. Aen. IV. 510. VI. 265. Ov. Met. XIV. 404. Ut autem Chaos se omnibus rebus exoneravit, in suas partes cessit, et in Orcum delapsum illum locum continet, ubi animae luce carentes degunt, unde pro ipsis inferis locis ponitur. Ov. Fast. IV. 600. Met. X. 30. (*).

Charaxus, i, Sapphus poëtriae frater, qui, Rhodopes meretricis amore captus et huius opera pauper factus piraticam exercuit. Ov. Her. XV. 117. Dicitur sic etiam unus e Lapithis, qui in Perithoi nuptiis a Rhoeto Centauro interfectus est. Ov. Met. XII. 272.

Charȳtes, -um. Ov. Fast. V. 219. Prop. IV. 1. 75. v. *Gratiae*.

Charistȳa, -orum, erant festum, quod Romani XXII. die Februarii celebrabant, quo die omnes cognati et affines conveniebant, mortuis amicis sacra faciebant, mutuaque dona dare solebant, et si qua inter necessarios querela esset orta, concordiae fautores eam inter animorum hilaritatem tollere conabantur. Ov. Fast. II. 617. sqq.

Charon, -ontis, portitor apud inferos, qui mortuorum animos per Acherontem, Cocytum et Stygiam paludem, cymba transvehebat. Virg. Aen. VI. 299. sqq.

Charops, -ŏpis, Troianus, Hippasi filius, bello Troiano ab Ulysse interfectus. Ov. Met. XIII. 260.

Charybdis, -is, fuit ex Veterum opinione periculosus vortex, in Siculo freto prope Messanam, ex adverso Scyllae scopuli, quo omnia absorberi putabant. Est autem nihil aliud, quam mare, cuius fluctus, si quando vehementiores venti ab austro exoriantur, in illo angusto freto compressi atque adeo inter se collisi, sublime vehuntur. Quia

(*) Cf. Ov. Art. Am. II. 470., ex Pont. IV. 8. 57.

Digitized by Google

autem prius, quam h desidunt fluctus, rursus alii eadem vi tolluntur, naves inter eos conclusae demerguntur, et quasi absorbentur; hodie *Calofaro* (*). Hor. Ep. II. 3. 145. Virg. Aen. III. 420. et al. Ov. Am. II. 11. 18. Fast. IV. 499. et al. Cat. LXIV. 156. Tib. IV. 1. 73. Prop. II. 20. 54. III. 10. 28. Vocatur sic quoque Graecis puella rapax et vino nimium indulgens, quod imitatus est Hor. Od. I. 27. 19.

Chelae, - arum, vocantur Scorpii sideris brachia, quo loco hodie Libra est; quod coeleste signum cum Scorpio pro uno habuerunt veteres Chaldaei. Virg. Ge. I. 33.

Chimaera, - ae, fingitur monstrum, e Typhaone et Echidna ortum, Lyciam vastans, caput pedesque leonis, corpus caprae, et caudam serpentis habens; media autem pars ignem efflabat. Bellerophon, Pegaso equo vectus, quem Minervae ope domuit, id sagittis transfixit. Fuit autem nihil aliud, quam Lyciae mons, cuius vertex et hodie ardet, prope quem leones inveniuntur; media pars habet pascua, quae capris abundant; ima vero montis serpentibus est plena (†). Hor. Od. I. 27. 24. II. 17. 13. Virg. Aen. VI. 288. Ov. Trist. II. 397. et al. Tib. III. 4. 86. Est quoque navis nomen, a Chimaerae signo in puppi. Virg. Aen. V. 118. 223.

Chimaerēus, - a, - um, a Chimaera, ad Chimaeram pertinens.

Chimaereus liquor, i. e. Xanthus flumen, quod e Chimaera, Lyciae monte, oritur. Pseudo-Virg. Cul. 14.

Chimaerĭfer, - a, - um, id q. Chimaeram ferens. Sic dicitur Lycia, quod ibi Chimaera fuit. Ov. Met. VI. 339.

Chinaeus. v. *Cycnaeus*.

Chiŏne, - es, Daedalionis filia, eadem nocte a Mercurio et Apolline compressa, ex illo Antolycum, infamen furem, ex hoc Philammona, cantandi peritissimum, peperit. Cum autem formae pulchritudine se Dianae praetulisset, ab irata dea telo interemta fertur. Ov. Met. XI. 301. v. *Daedalion*.

Chionĭdes, - ae, i. e. Eumolpus, filius Neptuni e Chione, Boreae et Orithyiae filia. Ov. ex Pont. III. 3. 41.

Chios s. Chius, - i, insula maris Aegaei, inter Lesbum et Samum, cuius vinum, in primis Ariusium (§), inter transmarina optimum habebatur. Erat autem dulce et cum Falerno austero commistum suavissimum habe-

(*) Cf. Cluver. Sic. Ant. p. 62. sqq.
(†) Variis modis hanc fabulam persecuti sunt poëtae, de quo v. Heyne ad Apoll. II. 3. 1. Serv. ad Virg. Aen. VI. 288.
(§) Virg. Ecl. V. 71.

Digitized by Google

bat saporem. Hodie vulgo *Scio*. Hor. Ep. I. 11. 1. 21.

Chiron, -ōnis, Centaurus, Saturni e Philyra filius, qui, praestantissimus medicus, musicus et venator, Achillisque, Aesculapii aliorumque heroum praeceptor, ad pedem montis Pelii in Thessalia habitavit. Apud quem quum Hercules devertisset, sagitta, hydrae Lernaeae sanguine tincta, eius pedem forte laesit, quod vulnus cum nulla ope sanari posset, a Iove mortalitatem precatus, inter sidera collocatus est, dicturque *Sagittarius*, unum e Zodiaci circuli signis. Virg. Ge. III. 550. Ov. Art. Am. I. 17. Fast. V. 379. et al. Cat. LXIV. 280. Prop. II. 1. 62.

Chius, -a, -um, e Chio insula, vel ad Chium pertinens. Hor. Od. III. 9. 5. Epod. IX. 3. 4. Sat. I. 10. 24. et al. v. *Chios*.

Chia, pulchra puella, e Chio fortasse oriunda, cuius meminit Hor. Od. IV. 13. 7.

Chlide, -es, nomen formosae puellae, cuius fit mentio ab Ov. Am. III. 7. 23.

Chloë, -es, nomen puellae Thessalae timidae, de qua Hor. Od. I. 23. 1. III. 7. 11. III. 9. 6.

Chloreus, -i, Troianus, Cybeles sacerdos, unus ex Aeneae sociis, a Turno interfectus. Virg. Aen. XI. 768. XII. 363.

Chloris, -ĭdis, pulcherrima puella. Hor. II. 5. 18. Item vetula, iuvenili lascivia procax, quam perstringit Hor. Od. III. 15. Est quoque hoc nomine Nymphа, Zephyro nupta, quae florum dea est facta, et Latinis *Flora* dicitur. Ov. Fast. V. 195.

Choaspes, -is, Susianae flumen, quod in Media ortum in Pasitigrim exoneratur, cuius aquam Persarum reges solam bibebant. Hodie *Kerah*. Tib. IV. 1. 140.

Choerĭlus, -i, malus carminum scriptor, quem Alexander Magnus pro incultis versibus liberaliter donavit. Hor. Ep. II. 1. 233. II. 3. 357 (*).

Choroebus. v Coroebus.

Chremes, -is et -ētis, persona e Menandri comoedia, homo avarus, qui divitias in sepulcro abscondidit. Hor. Epod II. 33. (†). Sat. I. 10. 40. Ep. II. 3. 94.

Chromis, -is, Satyrus, uti et Mnasylos. Virg. Ecl. VI. 13. Unus ex Aeneae sociis, a Camilla interfectus. Virg. Aen. XI. 675. Unus e Phinei sociis. Ov. Met. V. 103. Item Centaurus, a Pe-

(*) Cf. Curt. VIII. 5.

(†) V. Terent. Prol. ad Eun. 10., ibique Donatus: ad Terentii enim Chremetem vix h. l. respicere potuit poëta, quanquam cetera Horatii loca e Terenti comoediis explicari possunt.

Digitized by Google

rithoo caesus. Ov. Met. XII. 333.

Chromĭus, -i, Troianus, ab Ulysse ad Troiam interfectus, Ov. Met. XIII. 257.

Chryse, -es, oppidum Mysiae, ad mare situm, ab Ulysse Troiani belli tempore captum, Ov. Met. XIII. 174.

Chrysēis, -ĭdos, i. e. Astynome, Chrysae, Apollinis sacerdotis, filia, a Graecis, cum Thebas, Lyrnessum aliasque, Troiae finitimas, urbes expugnassent, capta et Agamemnoni in praedae divisione donata est, a quo cum Chrysei pater, filiam redimere volens, repulsam tulisset, Apollo eam ob caussam magnam Graecorum militum partem pestilentia absumsit, donec Graeci patri filiam remiserint. Ov. Rem. Am. 469. Trist. II. 373.

Chryses, -ae, Apollinis sacerdos, Astynomes s. Chryseidis pater. Ov. Art. Am. II. 402.

Chrysippus, -i, Solis, Ciliciae urbe, oriundus, Stoicus acerrimo ingenio, qui porticum Stoicorum, i. e. Stoicam disciplinam, fulcire in primis putabatur, unde pater est dictus. Hor. Sat. II. 3. 44. Ep. I. 2. 4.

Cibyratĭcus, -a, -um, ad Cibyram urbem pertinens. Fuit autem *Cibyra* celebris urbs, mercatura admodum florens, in Pamphyliae et Ciliciae confinio, Romanis praesertim equitibus, qui vectigalia ibi exigebant, quaestuosissima; hodie *Burun* vocatur. Hor. Ep I. 6. 33.

Cĭcŏnes, -um, Thraciae ad Hebrum fluvium populus, cuius feminae Orpheum dilaniarunt. Quum Ulysses, huc appulsus, Ismarum urbem ad Ismarum montem expugnatam diripuisset, Cicones, auxiliis accitis, manus cum eo conseruerunt, sed victi recesserunt. Virg. Ge. IV. 520. Pseudo-Virg. Cul. 329. Cir. 165. Ov. Met. VI. 710. sqq. Tib. IV. 1. 54. Prop. III. 10. 25.

Cicūta (Perillĭus), -ae, foenerator callidissimus, cuius meminit Hor. Sat. II. 3. 69, 75. 175.

Cilissa, -ae, quae est e Cilicia, vel ad Ciliciam pertinet. Ov. in Ibin 200.

Cilissa spica, i. e. crocus, qui in Coryco, Ciliciae monte, passim crescebat. Utebantur Romani croco etiam ad sacrificia, et ad unguentum conficiendum, quo se suavis odoris caussa unguebant. Ov. Fast. I. 76. Prop. IV. 6. 74.

Cilix, -ĭcis, qui in vel e Cilicia est, vel ad Ciliciam pertinet. Erant autem *Cilices* gens bellicosa et Romanis difficilis domitu. Pseudo-Virg. Cul. 400. Ov. Am. II. 16. 39. Met. II. 217. Tib. I. 2. 69. I. 7. 16.

Cimber, -bra, -brum, a Cimbris, vel ad Cimbros pertinens. Fuerunt *Cimbri* Germaniae populus, qui in peninsula, ab Albis

Digitized by Google

fluminis ostio in septemtriones procurrente. hodie *Cimbrica Chersoneso* s. *Iutlandia* dicta, habitarunt. Hi deinde sedem mutantes per maiorem Europae partem victricia arma circumtulere, et tandem a C. Mario et Q. Catulo Coss. in Italia deleti sunt (*). Ov. ex Pont. IV. 3. 45. Prop. II. 1. 24.

Cimĭnus, -i, Etruriae lacus, ad montis eiusdem nominis radices; hodie *Lago di Vico* s. *di Ronciglione* vocatur. Virg. Aen. VII. 679.

Cimmerĭi, -orum, fuerunt populus, qui Cimmerium urbem in Taurica Chersoneso inhabitarunt, et Cimmerio Bosporo nomen dederunt. Alii Cimmerios ad Italiam referunt, illosque inter Baias et Cumas habitasse putant in convalle, undique montibus circumsepta, cui neque oriens, neque occidens sol in conspectum venire potuit: hinc fabula a poëtis recepta videtur, Cimmerios, subterranea aedificia incolentes, perpetuis tenebris premi, et per ea introitum ad inferos patere (†). Ov. Met. XI. 529. Tib. IV. 1. 64.

Cimmerĭus, -a, -um, a Cimmeriis, ad Cimmerios pertinens. Pseudo-Virg. Cul. 231. Ov. ex Pont. IV. 10. 1.

Cimmerii lacus sunt inferorum paludes. Tib. III. 5. 24.

Cimōlus, -i, insula in Aegaeo mari prope Cretam, ubi terra creta effodiebatur, quae ad vestes a fullonibus purgandas inserviebat; hodie vulgo *Argenteria*. Ov. Met. VII. 463.

Cinăra, -ae, pulchra puella, quae, Horatio in iuventute amica, immatura morte obiit. Hor. Od. IV. 1. 4. IV. 13. 21. et al.

Cinna (C. Helvĭus), -ae, Romanus poëta, Catulli amicus, qui carmen, Myrrham s. Smyrnam inscriptum, composuit, et in eo elaborando decem annos consumsit. Carmen autem Myrrhae s. Smyrnae illicitum in patrem amorem continuisse videtur. Virg. Ecl. IX. 35. Cat. CXIII. 1. v. *Myrrha*.

Cinyphĭus, -a, -um, ad Cinypem pertinens, vel iuxta habitans, saepe id. q. Africanus. Ov. Met. V. 124. VII. 272. XV. 755. in Ibin 224.

Cinўpĭus, -i, s. Cinyps, -is, Libyae flumen, quod e Charitum monte oriens in sinum Syrticum exoneratur. Ibi autem hirci erant insignis magnitudinis. Hodie vulgo *Magra* vocatur. Virg. Ge. III. 312.

(*) Cf. Cluv. Germ. Ant. III. 22.
(†) Cf. Hom. Od. λ. 13., et Cluv. Ital. Ant. p. 1131. sqq. Cellar. Geogr. Ant. II. 9.

Digitized by Google

Cinȳras, -ae, (*) Paphi filius, Pygmalionis nepos, Assyriorum, deinde Cypri rex, cum Myrrha s. Smyrna filia inscius concubuit, e qua Adonin suscepit, ob quod moerens se ipse interfecit. Ov. Met. X. 299. sqq. v. *Myrrha.*

Cinyra creatus, i. e. Adonis. Ov. Her. IV. 97. Fast. V. 227.

Cinyras fuit etiam rex quidam (†), cuius filiae cum se Iunoni forma praetulissent, ab irata dea in sui templi lapideos gradus mutatae narrantur. Ov. Met. VI. 98. Item Ligurum dux, qui in Italia Aeneae adversum Turnum auxilium tulit. Virg. Aen. X. 186.

Cinyreĭus -a, -um, a Cinyra, vel ad Cinyran pertinens.

Cinyreïus iuvenis s. heros, i. e. Adonis, Cinyrae filius. Ov. Met. X. 712. 730.

Cinyreïa virgo, i. e. Myrrha, Cinyrae filia. Ov. Met. X. 369.

Cipus et Cippus, -i, nobilis Romanus, qui quum ab hoste victor rediret, et cornutum se esse factum animadvertisset, ab haruspicibus, in consilium adhibitis, responsum est, eum, si urbem intrasset, regnaturum; quod quum facere nollet, a Senatu tantum agrorum ei extra urbem concessum fuit, quantum uno die aratro circumdare posset. Ov. Met. XV. 565. sqq.

Circaeus, -a, -um, a Circe, vel ad Circen, item ad Circeios urbem vel promontorium pertinens. Ov. Met. XIV. 248. 253. 348.

Circaea tellus et *terra*, i. e. Circeii. Ov. Met. XV. 718. Virg. Aen. VII. 10. cf. 799.

Circaeum gramen, i. e. venenatum. Prop. II. 1. 55.

Circaea moenia Tusculi, i. e. a Telegono, Circes et Ulyssis filio, condita. Hor. Epod. I. 30.

Circaea pocula sunt venata. Hor. Ep. I. 2. 23.

Circe, -es, s. Circa, -ae, Solis et Perses s. Perseidis, marinae Nymphae, filia, Aeetae, Colchorum regis, soror, mulier veneficiis dedita, maritum, Sarmatarum regem, veneno interfecit, regnoque potita tam crudeliter regnavit, ut a civibus pulsa in Italiam profugerit, ibique Aeaeam insulam, ab Aea, Colchidis urbe, nominatam, incoluerit, quae a Romanis *Circeii* dicta est. Ad quam cum Ulysses post captam Troiam oberrans venisset, eius socios in porcos mutavit, quos tamen, ab

(*) Male *Cynaras* et *Cyniras* vocatur; est enim Graece Κινύρας. cf. Anton. Liber. c. XXXIV., et ibi Verheyk. Burm. ad Ov. Met. X. 299.
(†) Num idem, atque Cypri rex sit, nec ne, dubitant, neque in magna fabulae enarrandae varietate certi quid statuere licet.

Digitized by Google

Ulysse coacta, in pristinam restituit formam. Ulyssem autem annum secum detinuit, et Telegonum ex eo suscepit. Hor. Epod. XVII. 17. Ep. I. 2. 23. Virg. Ecl. VIII. 70. Aen. III. 386. et al. Ov. Art. Am. II. 103. Tib. II. 4. 55. et al. Prop. III. 10. 27.

Circe vitrea, i. e. inconstans, instabilis; quippe cuius amor in Ulyssem tantummodo breve tempus duravit; opponiturque ita constanti ameri. Hor. Od. I. 17. 20.

Circes Aeaeae genitrix, i. e. Perse s. Perseis. Ov. Met. IV. 205.

Circēii, -orum, veteris Latii ad mare Tyrrhenum urbs cum promontorio, quod dicitur *Circaeum*. Fuit autem olim insula, quum nondum paludes, eam ambientes, siccatae essent, ubi Circe habitasse, eique nomen dedisse fertur. Capiebantur hic ostrea, quibus nec dulciora nec teneriora ulla essent. Hor. Sat. II. 4. 33.

Cissēis, -ĭdis, i. e. Hecuba, Cissei filia, Priamo, Troiae regi, nupta. Virg. Aen. VII. 320. X. 705.

Cisseus, -i, fuit Thraciae rex, Hecubae pater. Virg. Aen. V. 537. Vocatur sic etiam Melampodis filius, unus e Turni sociis, ab Aenea in Italia occisus. Virg. Aen. X. 317.

Cithaeron, -ōnis, Boeotiae mons, Thebis vicinus, frietericis Bacchi sacris, quae in eo fiebant, clarus. Virg. Ge. III. 43. Aen. IV. 303. Ov. Met. II. 223. Prop. III. 1. 43.

Clanĭus, -i, Campaniae fluvius, qui apud Liternum oppidum, unde etiam *Liternus* vocatur, in mare effunditur; hodie *Il Lagno* (*). Virg. Ge. II. 225.

Clarĭus, -a, -um, ad Claron urbem pertinens.

Clarius poëta, i. e. Antimachus, Colophone natus. Claros autem in Colophoniorum finibus fuit; nomine, uti a poëtis assolet, a vicinis locis sumto. Ov. Trist. I. 6. 1.

Clarius et *Clarius deus*, i. e. Apollo. Virg. Aen. III. 360. Ov. Art. Am. II. 80. Fast. I. 20. Met. XI. 413. v. *Claros*.

Clario marmore templum, i. e. Apollinis, marmore Clari exstructum. Prop. II. 23. 9.

Claros, -i, urbs Ioniae in Colophoniorum ditione, prope quam lucus cum fano et Oraculo Apollinis fuit, unde hic *Clarius* audit. Ov. Met. I. 516.

Claudĭum. Hor. Sat. I. 5. 51. Rectius *Caudium*, q. v.

Claudĭus, -a, -um, fuit nomen gentis et tribus Romanae. Virg. Aen. VII. 708. Vocatur sic *Tib. Claudius Nero*, filius Liviae Drusillae, quae altera Augusti

(*) v. Cluv. Ital. Ant. p. 1098. et infra *Liternum*.

Digitized by Google

coniux fuit, post quem summa crudelitate regnavit. Hor. Od. IV. 14. 29. Ep. I. 3. 2. I. 9. 1. et al. v. *Nero*.

M. Claudius Marcellus, vir bellica virtute clarus, qui de Viridomaro, Gallorum rege, occiso tertia spolia opima Iovi Feretrio tulit et triumphum egit. Postea Syracusas, Archimedis artibus defensas, triennium obsessas, expugnavit; sed tandem ab Annibale insidiis circumventus interfectus est. Ov. Fast. IV. 874. Prop. III. 16. 31.

Claudiae manus, i. e. bellica virtus gentis Claudiae, in primisque Drusi et Tiberii Neronis, privignorum Augusti. Hor. Od. IV. 4. 73.

Claudia quinta, Romana virgo, quae quum dubia pudicitiae fama esset, Matri deorum, cuius simulacrum tunc Romam advehebatur, obviam iit, eaque pudicitiae teste invocata, navim, in qua dea erat, forte vado inhaerentem, cingulo alligatam, sola adverso flumine traxit, qua re pudicitiae famam recuperavit. Ov. Fast. IV. 305. 343. ex Pont. I. 2. 144. Prop. IV. 11. 52.

Claudia s. Clodia via a Flaminia via ad Tiberim incipiebat, et ad Sextum ducebat, ibique Caesia via, ex illa exorta, per Veios ad Clusium tendebat, ubi rursus cum Claudia iungebatur. Ov. ex. Pont. I. 844.

Clausus, -i, Sabinorum dux, qui Turno adversus Aeneam in Italia opem tulit, a quo gens tribusque Claudia Romae originem duxit. Virg. Aen. VII. 707. X. 345. Ov. Fast. IV. 305. V. 155.

Clazomĕnae, -arum, Ioniae urbs maritima, inter Smyrnam et Erytharas, mercatura adhuc florens; hodie *Voursa*. Hor. Sat. I. 7. 5.

Cleonaeus, -a, -um, ia vel e Cleonis, ad Cleonas pertinens. Sab. ap. Ov. III. 46.

Cleōnae, -arum, parva Peloponnesi urbs prope Nemeaeam silvam, cuius leonem Hercules interfecit, Ov. Met. VI. 417.

Cleopātra et Cleopātra. v. Aegyptia coniux.

Clio, -us, Iovis et Mnemosynes filia, una e Musis, quae historiae praeest, adeoque, res a diis, heroibus et fortibus viris gestas, lyra vel acri tibia celebrare dicitur. Hor. Od. I. 12. 2. Ov. Art. Am. I. 27. Fast. V. 54. VI. 801. et al. Est quoque hoc nomine Nympha marina, Oceani filia, e Cyrenes comitibus. Virg. Ge. IV. 341.

Clitorĭus, -a, -um, ia vel e Clitorio, fonte Arcadiae iuxta Clitorem oppidum, cuius aqua vini fastidium referre narratur. Ov. Met. XV. 322.

Clitumnus, -i, Umbriae fluvius, qui apud Mevaniam urbem Tiniae flumini influit, et dein-

Digitized by Google

de cum hoc infra Perusiam Tiberi miscetur. Eius aqua, ab armentis pota, albos foetus creare credebatur; hodie *Il Clitonno*. Virg. Ge. II. 146. Prop. II. 15. 25. III. 21. 23.

Cloanthus, -i, fortis Troianus, qui cum Aenea in Italiam profectus in ludicro navali certamine, ab hoc in Anchisae mortui honorem in Sicilia inito, primo loco victor fuit. Virg. Aen. I. 222. (226.) et al.

Clodĭus, -a, -um, id. q. Claudius, q. v.

Cloelĭa, -ae, Virgo e Cloelia gente Romana, quae quum Porsenae, Etruscorum regi, obses esset data, custodes frustrata est, et cum ceteris virginibus inter hostium tela incolumis ad suos Tiberim tranavit. Virg Aen. VIII. 651.

Clotho, -us, una e tribus Parcis. Ov. Fast. VI. 757. in Ibin 245. Albin. ad Liv. ap. Ov. 239. v. *Parcae*.

Cluentĭus, Romanus, a Cloantho Troiano, qui cum Aenea in Italiam profectus est, originem ducens. Virg. Aen. V. 123.

Clusīnus, -a, -um, in vel e Clusia, vel ad Clusium pertinens. Hor Ep. I. 15. 9. Virg. Aen. X. 655.

Clusĭum, -i, antiquum Etruriae oppidum, olim caput et sedes Porsenae regis; hodie *Chiusi*. Antonius Musa medicus frigidis Clusinis aquis, morborum curationi adhibitis, sibi primus famam conciliavit. Virg. Aen. X. 167.

Clusĭus, -i, fuit Iani dei cognomen, eo quod eius templi fores pacis tempore clausae erant; uti et *Patulcius* cognominatur belli tempore, quum templi fores patebant. Ov. Fast. I. 129.

Clymĕne, -es, Nympha, Oceani ex Tethye filia. Forma quum excelleret, Soli placuit, et ex hoc Phaëthontem et tres filias peperit. Virg. Ge. IV. 345. Ov. Met. I. 756. II. 37. et al. v. *Heliades*. Item Menelai, Spartae regis, amica, quam Paris una cum Aethra et Helena Troiam abduxit. Ov. Her. XVI. 257. XVII. 267.

Clymenēis, -ĭdis, Clymenes filia, Phaëthontis soror, Albin. ad Liv. ap. Ov. 111. v. *Heliades*.

Clymeneĭus, -a, -um, a Clymene, vel ad Clymenen pertinens.

Clymeneia proles, i. e. Phaëthon, Clymenes filius. Ov. Met. II. 19.

Clymĕnus, -i, unus e Phinei sociis, qui in Persei nuptiis Oditen interfecit. Ov. Met. V. 98. Est quoque Plutonis cognomen. Ov. Fast. VI. 757. (*).

(*) Cf. Suidas in voce Κλύμενος.

Digitized by Google

Clytaemnestra, -ae, Tyndarei regis e Leda filia, Castoris, Pollucis et Helenae soror, Agamemnonis uxor, cui Orestem et Electram peperit, et quem, ex Troiano bello domum reversum, Aegisthi adulteri ope occidit, quam ob caussam postea ab Oreste interemta est. Ov. in Nuc. 26. Prop. III. 17. 19. IV. 7. 57. v. *Agamemnon*, *Orestes*.

Clytĭe, -es, Oceani e Tethye filia, a Sole amata; quum vero huius furta cum Leucothee ferre non posset, filiae cum Sole amorem patri prodidit; qua quidem re a Sole deserta, ac dolore in heliotropium florem conversa fertur. Ov. Met. IV. 206. sqq.

Clytĭus, -i, Aeneae socius, Aeolia oriundus, a Turno in Italia occisus. Virg. Aen. IX. 774. Acmonis et Menesthei pater, Lyrneso, Troadis urbe, oriundus. Virg. Aen. X. 129. Iuvenis, Turni partibus addictus, a Cydone amatus. Virg. Aen. X. 325. Item Troianus, cuius filius Eunaeus a Camilla interfectus narratur. Virg. Aen. XI. 666. Tandem Phinei socius, qui cum Clani fratre a Perseo interemtus est. Ov. Met. V. 140.

Clytus, -i, unus e legatis, qui cum Cephalo ab Atheniensibus ad Aeacum auxilium adversus Minoa rogatum missi sunt. Ov. Met. VII. 500. Item unus e Phinei sociis, a Perseo caesus. Ov. Met. V. 87.

Cnidĭus. v. Gnidius.

Cnidus, Cnidos. v. Gnidos.

Cnossĭus, s. Cnosĭus, v. Gnossius.

Cocălus, -i, fuit Siciliae rex, a quo Daedalus iratum Minoa, Cretae regem, fugiens receptus est. Minos deinde quum Daedalum persequens huc appulisset classem, a Cocali filiabus aqua fervida in balneo perfusus, interfectus traditur. Ov. Met. VIII. 261.

Coccēius Nerva, -i, proavus Nervae Imperatoris, fuit nobilis iureconsultus, Octavio pariter atque Antonio gratus, quam ob caussam ab hoc cum Fonteio Capitone ad lites inter utrumque dirimendas Brundisium missus est. Hor. Sat. I. 5. 28. 32.

Cocles (Horatĭus), -ĭtis, fuit Romanus, qui quum Porsena rex, Romam obsidens, Sublicium pontem transire conaretur, solus hostium impetum sustinuit, donec pons a tergo esset interscissus; quo facto armatus in Tiberim desiluit, et incolumis ad suos tranavit. Virg. Aen. VIII. 650.

Cocytĭus, -a, -um, ad Cocytum flumen pertinens.

Cocytia virgo, i. e. Alecto, una e tribus Furiis. Virg. Aen. VIII. 479.

Cocȳtus, -i, unus e fluviis inferis, qui Tartarum ambire fer-

Digitized by Google

tur (*). Hor. Od. II. 14. 18. Virg. Ge. III. 38. et al.

Coelius (M. Rufus), -i, amicus Catulli, ad quem est carmen LVIII. etc.

Codrus, -i, fuit ultimus Athenarum rex, qui quum, bello cum Lacedaemoniis orto, sua morte patriam conservatum iri ab Oraculo didicisset, vili habitu hostem adiit, et iurgii caussam inferens militem, ut se interficeret, irritavit. Hor. Od. III. 19. 2. Vocatur sic quoque pastor, qui cum aliis pastoribus carmine certasse videtur. Virg. Ecl. V. 11. VII. 22.

Coelus et Birras duo famosi latrones fuisse videntur, quorum meminit Hor. Sat. I. 4. 69.

Coeus, -i, Titan, Coeli e Tellure filius, Enceladi et Famae frater, qui e Phoebe Asteriam atque Latonam procreavit. Virg. Ge. I. 279. Aen. IV. 179. Ov. Met. VI. 185. Prop. III. 7. 48.

Coei filia, i. e. Latona. Ov. Met. VI. 366.

Colchi, -orum, Asiae populus, Colchidem incolens. Huius pars Medeam fugientem persecuti cum prehendere eam non potuissent, haud procul a Tomide urbe consedere. Hor. Od. IV. 4. 63. Ov. Her. VI. 136. XII. 1. 9. Trist. II. 191. Cat. LXIV. 5.

Colchĭcus, contr. Colchus, -a, -um, in vel e Colchide, vel ad Colchidem pertinens, Colchidis incola. Fuit autem *Colchis*, Asiae regio, ad extrema Ponti Euxini ad Phasim, Medeae patria; hodie *Mengrelia* dicitur. Fuit ibi terribilis draco, qui aureum arietis vellus custodiens ab Iasone Medeae ope interfectus est. Hor. Od. II. 13. 8. II. 20. 17. Ov Her. VI. 130. XVI. 346. et al. Prop. III. 21. 11.

Colchicae flammae, i. e. ignis, quali Medea Colchis usa est sterili e ligno, uti caprifici, cupressi, ceterarumque arborum, quae ad rem magicam adhiberi solebant. Hor. Epod. V. 25.

Colchis, -ĭdis, femina e Colchide, i. e. Medea, Hor. Epod. XVI. 58. Pseudo-Virg. Cul. 248. Ov. Am. II. 14. 29. Rem. Am. 262. et al. Prop. II. 1. 56. 25. 8. et al.

Collatĭa, -ae, fuit Latii urbs prope Romam, ad Anienem fluvium sita, cuius praeter memoriam hodie nihil superest. Ov. Fast. II. 733. 785.

Collatīnus, -a, -um, ad Collatiam urbem pertinens, Collatiae incola. Virg. Aen. VI. 774.

Collatina penetralia sunt aedes L. Tarquinii Collatini, qui L.

(*) Cf. Heine ad Aen. Virg. L. VI. Exc. 9.

Digitized by Google

Iunii Bruti in Romanorum regibus Urbe expellendis socius fuit, eiusque primi Romanorum Consulis collega. Ov. Fast. II. 787.

Collīna Porta, postea etiam *Quirinalis* et *Salaris* dicta, fuit Romae inter duos colles, Viminalem et Quirinalem, iuxta quam Veneris Erycinae templum fuit. Ov. Fast. IV. 871. ex Pont. I. 8. 38.

Collina herba, i. e. in Campo scelerato ex sepulcris propeCollinam portam collecta. Prop. IV. 5. 11.

Colonia, -ae, locus, de quo nihil certi constat. Cat. XVII.

Colŏphon, -ōnis, Ioniae urbs maritima inter Smyrnam et Ephesum, hodie *Altobosco;* fuitque una e septem urbibus, quae Homerum suum civem dixerunt. Hor. Ep. I. 3. 11.

Colophoniăcus et Colophonĭus, -a, -um, in vel e Colophone, vel ad Colophonem pertinens. Pseudo-Virg. 65. Ov. Met. VI. 8.

Combe, -es, Ophii filia, cuius filii cum matrem interficere vellent, haec a diis in avem mutata fingitur. Ov. Met. VII. 383.

Cominius, -i, senex impuris moribus, cuius meminit Cat. CVIII.

Concăni, -orum, fuit fera gens Cantabriae in Hispania Tarraconensi, a Concana urbe nomen habens, quae equorum sanguine, lacte permixto, delectata fertur. Hor. Od. III. 4. 34.

Conon, -ōnis, Samius, celeberrimus Mathematicus et Astronomus, qui circa Ptolemaei Philadelphi tempora vixit, et libros de astrologia scripsit, qui periere. Virg. Ecl. III. 40. Cat. LXVI. 7. Prop. IV. 1. 80.

Consus, -i, Romanorum deus, quem nonnulli consiliorum deum, alii eundem ac Neptunum equestrem dicunt, cuius festa, *Consualia* dicta, medio fere Augusto mense, sacrificiis et equorum certaminibus celebrabantur. Ov. Fast. III. 199.

Cora, -ae, Volscorum urbs (*) in Latii finibus, a Cora, Amphiarai filio, nomen habens; hodie adhuc castellum eo loco idem nomen servat. Virg. Aen. VI. 776. Prop. IV. 10. 24.

Coralli, -orum, fuerant Sarmatiae populus immanis, ad Istri ostia in Ponti Euxini ora. Ov. ex Pont. IV. 2. 37. IV. 8. 83.

Corānus, -i, homo quidam e Quinqueviro scriba factus, cui Nasica avarus, cum debitum solvere nollet, filiam in matrimonium tradit, se vel filiam Corani heredem futurum, aut certe sibi debitum remissum iri, sperans; Coranus

(*) Hanc veteri Latio adscribit Virg. l. l. Cf. Cluv. Ital. Ant. p. 1018.

Digitized by Google

vero Nasicam deludit. Hor. Sat. II. 5. 57. 64.

Coras, -ae, Amphiarai filius, Tiburti et Catilli frater, qui Turno adversus Aenean auxilia tulit. Virg. Aen. VII. 672. XI. 465. 604.

Corcyraeus, -a, -um, e Corcyra, vel ad Corcyram pertinens. Fuit autem *Corcȳra* insula maris Ionii prope Epirum. Hodie *Corfu* vocatur. Ov. in Ibin 512.

Corinna, -ae, poëtria Thebana, lyrica poësi nobilis. Prop. II. 2. 31. Fictum puellae poëtriae nomen, quam Ovidius amavit atque carmine celebravit. Ov. Am. I. 5. 9.

Corinthiăcus, -a, -um, (in vel e Corintho, ad Corinthum pertinens. Ov. Met. XV. 507. Trist. I. 10. 9.

Corinthos et Corinthus, -i, Achaiae urbs ad Peloponnesi Isthmum, mercatura admodum florens, utpote quae duobus maribus, Ionio et Aegaeo, allueretur, a L. Mummio, Romano Imperatore, A. U. DCVIII. expugnata et deleta, deinde a C. Iulio Dictatore restituta est. Hodie illic vicus est, *Corentho* vocatus. Hor. Od. I. 7. 2. Ep. I. 17. 36. et al. Virg. Aen. VI. 837. Ov. Fast. IV. 501. et al. Prop. III. 3. 28.

Cornelia, -ae, fuit filia Scipionis et Scriboniae, alterius uxoris Augusti, coniux Aemilii Pauli. Haec, immatura morte Paulo erepta, maritum ex inferis consolari fingitur in pulcherrima Propertii elegia IV. 11.

Cornelius Nepos praeter imperatorum vitas, scripsit chronicorum libros tres, quos Catullus, qui ei carmina dedicat, *Chartas* appellat. Cat. I. 3.

Corniculānus, -a, -um, in vel e Corniculo, vel ad Corniculum pertinens. Fuit autem *Corniculum* Latii urbs, in qua Ocresia, Servii Tullii regis mater, habitavit. Ov. Fast. VI. 628.

Cornificĭus, -i, Romanus poëta lascivus, de quo non constat. Eius meminit Ov. Trist. II. 436. et Cat. XXXVIII.

Coroebus, -i, (*) Mygdonis ex Anaximene filius, qui, cum Cassandrae amore captus Priamo in bello cum Graecis opem tulisset, a Peneleo in Minervae templo occisus est. Virg. Aen. II. 341. sqq. Ov. in Ibin 577.

Corōneus, -i, fuit Phocidis rex, et pater Coronidis, in quam, in litore ambulantem, quum Neptunus stupri iniuriam inferre moliretur, a Minerva in cornicem mutata fertur. Ov. Met. II. 569.

Coronīdes, -ae, i. e. Aesculapius, Coronidis et Apollinis filius, Podalirii et Machaonis

(*) Male *Choroebus*; est enim Graece Κόροιβος. Cf. Heins. l. l.

Digitized by Google

pater, qui medicina arte, a Chirone Centauro edoctus, inclaruit, quapropter et huius praeses est habitus. Quum vero multos sua arte in vitam revocasset, a Iove fulmine percussus fingitur. Romani huic sub serpentis specie Epidauro, Peloponnesi urbe, A. U. CCCCLXII., Q. Fabio Gurgite et D. Iunio Bruto Coss., Romam advecto, in Tiberis insula templum exstruxerunt. Ov. Fast. VI. 746. Met. XV. 624. in Ibin. 408.

Corōnis, -ĭdis, Phlegyae filia, ab Apolline amata; cui cum corvus Coronidis cum Ischye furta indicasset, Apollo Coronida sagitta transfixit. Aesculapium autem, quem utero gerebat, excisum Chironi Centauro educandum tradidit, corvumque, mali nuntii delatorem, ex albo in nigrum mutavit. Ov. Met. II. 542. *Coronide natus*, i. e. Aesculapius. Ov. Fast. I. 291.

Corsĭcus, contr. Corsus, -a, -um, in vel e Corsica, vel ad Corsicam pertinens. *Corsica* autem insula est in mari Etrusco, cuius mel, quod apes e taxo, venenata arbore, colligebant, amarum erat; hodie idem nomen servat. Ov. Am. I. 12. 10. Fast. VI. 194.

Corvīnus, -i, Valeriae gentis cognomen a corvo, qui in M. Valerii Tribuni militum, singulari certamine cum Gallo pugnantis, galea consedit (*). Innuitur autem M. Valerius Messala Corvinus. Hor. Od. III. 21. 7. Sat. I. 10. 29. v. *Messala*.

Corybantĭus, -a, -um, a Corybantibus, vel ad Corybantes pertinens. Virg. Aen. III. 111.

Corybantes, -um, Cybeles sacerdotes fuerunt in Creta insula, qui, armati saltantes, aeneis cymbalis et clamore ingentem faciebant strepitum, ne Iovis occulti vagitus ad Saturni aures pervenirent. Sunt autem dicti, uti nonnullis placet, a Corybante, Cybeles filio, fuitque ille cultus e Creta in Phrygiam translatus. Hor. Od. I. 16. 8. Ov. Fast. IV. 210.

Coryctĭdes, -um, fuerunt Nymphae, Plisti, Delphorum fluvii, filiae, qui Corycium antrum, ad Parnasi montis radices situm, incoluerunt. Ov. Met. I. 320.

Corycĭus, -a, -um, in vel e Coryco, vel ad Corycum pertinens. Fuit autem *Coryci* oppidum et mons Ciliciae, in cuius agris crocus passim crescebat. Hor. Sat. II. 4. 68. Virg. Ge. IV. 127.

Corycium lutum, i. e. Crocus, Pseudo-Virg. Cir. 317.

Coryciae Nymphae dicuntur

(*) Ov. Fast. I. 602. cf. Liv. Hist. VII. 26.

Digitized by Google

Musae, nomen habentes ab antro Corycio, in Parnaso monte. Ov. Her. XX. 221.

Corydon, nomen pastoris in Virgilii eclogis, ut etiam *Alexis*. Virg. Ecl. II. Prop. II. 25. 73.

Corynaeus, -i, ex Troianis unus, qui cremati Miseni ossa in urnam collegit, deinde ab Asyla Rutulo in Italia caesus est. Virg. Aen. VI. 228. IX. 571. Item Troianus, qui torre ambusto, ab ara correpto, Ebuso, e Mezentii militibus uni, barbam incendit, eumque interemit. Virg. Aen. XII. 298.

Corȳthus, -i, Etruriae oppidum, quod et *Cortōna* dicitur, ita vocatum a Corytho, eius conditore, quem Etruscorum regem nonnulli fingunt (*). Hodie *Cortona*. Virg. Aen. III. 170. VII. 209.

Corythi urbes s. *fines*, i. e. Etruriae. Virg. Aen. IX. 10. X. 19.

Corȳthus, -i, sic vocatur *a.*) Persei socius, e Marmarica, Africae regione, oriundus, qui Pelaten ense transfixit. Ov. Met. V. 125. *b.*) Paridis et Oenones filius, qui cum Troiam venisset, et Helenae amore captus esset, a patre deprehensus, interemtus fertur. Ov. Met. VII. 361. *c.*) unus e Lapithis, a Rhoeto Centauro in Perithoi nuptiis interfectus. Ov. Met. XII. 290.

Cosae, -arum, Etruriae urbs ad mare, quo loco hodie est *Alsidonia*. Virg. Aen. X. 168.

Cossus (A. Cornelĭus), -i, Tribunus militum, Tolumnium, Veientum regem, hasta transfixit, spoliaque ei detraxit; fuitque hic secundus, qui Iovi Feretrio opima spolia obtulit. Virg. Aen. VI. 842. Prop. IV. 10. 25.

Cosȳra, -ae, sterilis insula inter Siciliam et Africam, non procul a Melite; hodie *Pantalarea*. Ov. Fast. III. 567.

Cotĭso, -ōnis, Dacorum s. Getarum rex, qui Romanum imperium continuis excursionibus infestans tandem a Lentulo A. U. DCCXXXIV. gravissima clade affectus est (†). Hor. Od. III. 8. 18.

Cotta (L. Aurelius Messalinus) -ae, fuit M. Valerii Messalae Corvini Oratoris filius, M. Valerii Messalini frater, qui adoptione in Aureliam gentem Cottarum, quae a Numa, secundo Romanorum rege, originem ducebat, transiit, et hinc Cottae nomen sibi adscivit. Post fratris mortem hic quoque Messalinus dictus fuit. Ov. ex Pont. II. 8. 2. III. 2. 1. III. 5. 6. IV. 16. 41.

(*) Cf. Cl. Heyne ad Virg. Aen. III. Exc. 6., et Cluv. Ital. Ant. L. II. C. 3. extr.

(†) Cf. Suet. in vit. Aug. XXI. Flor. IV. 12. 8.

Digitized by Google

Coty s, -ўos, Thracum rex, ad quem est Ovidii Ep. IX. ex Pont. L. II.

Cotyttĭus, -a, -um, a Cottytto, vel ad Cotytto pertinens. Fuit autem *Cotytto* Thracum dea libidinis impudicae, cuius sacra, quae e Thracia in Graeciam translata erant, noctu magna cum licentia peragi solebant. Hor. Epod. XVII. 56. Pseudo-Virg. Cat. V. 19.

Cous, -a, -um, in vel e Coo, vel ad Coum insulam pertinens. Fuit autem *Coos* s. *Cous* insula maris Aegaei ex adverso Cariae cum urbe eiusdem nominis, Hippocratis, Appellis et Philetae poëtae, patria, cui hodie *Stanchio* s. *Stinchio* nomen est. Hor. Epod. XII. 18. Ov. Art. Am. II. 298. et al. Prop. III. 1. 1.

Cous et *Cous poëta*, i. e. Philetas, qui Battidis puellae amorem carmine celebravit. Floruit autem Alexandri Magni tempore. Ov. Art. Am. III. 329. Rem. Am. 760. Trist. I. 6. 2.

Cous artifex, i. e. Apelles, Coo oriundus, qui praeter multa egregia quoque Venerem, quum ex mari emergit, pinxisse dicitur. Ov. ex Pont. IV. 1. 29.

Coa vestis, *Coae purpurae* et *Coa*, sunt vestes Coae, purpura tinctae. Conficiebantur enim in Coo insula, vestes tenuissimae ex bombycum lanugine, quae tam pellucidae erant, ut corporis partes per eas conspicerentur. Hor. Od. IV. 13. 13. Sat. I. 2. 101. Ov. Art. Am. II. 298. Sab. ap. Ov. III. 45. Tib. II. 3. 53. 4. 29. Prop. I. 2. 2. II. 1. 6.

Coa faecula, i. e. condimentum e faece Coi vini albi et aqua marina, quod alvum leniter movebat solvebatque. Hor. Sat. II. 8. 9. cf. Sat. II. 4. 29.

Coae textura Minervae i. e. vestes, in Coo insula textae. Prop. IV. 5. 23.

Cragus, -i, magnus Lyciae mons silvis consitus, et hinc Dianae sacer. Hodie *Monte di Gorante*. Hor. Od. I. 21. 8. Ov. Met. IX. 645.

Cranon, -ōnis, urbs Thessaliae Palasgiotidis, in locis, Tempe dictis, sita. Cat. LXIV. 36.

Crantor, -ōris, philosophus e veteri Academia admodum egregius, Xenocratis discipulus, Solis, Ciliciae urbe, oriundus. Hor. Ep. I. 2. 4. Vocatur sic etiam Amyntoris, Dolopum regis, filius, Pelei armiger, in Perithoi nuptiis a Demoleonte Centauro occisus. Ov. Met. XII. 361.

Crassus (M.) -i, Triumvir, qui cum Syriae Proconsul ad bellum Parthicum profectus esset, viginti millia Romanorum caesa, decem capta dicuntur: ipse autem dux turpiter periit. Hanc cladem Augustus postea rerum gestarum fama abolevit. Hor. Od. III. 5. 5. Ov. Art. Am. I. 179. Fast. V.

Digitized by Google

583. et al. Prop. II. 8. 18. III. 3. 9. et al.

Crataeis, -ĭdis, vocatur Nympha, Scyllae mater, Pseudo-Virg. Cir. 66.

Crataeide nata est Scylla. Est autem *Crataeis* proprie Siciliae fluvius, qui sub ipso Scyllae scopulo in mare exoneratur. Ov. Met. XIII. 749. v. *Scylla.*

Cratĕrus, -i, medicus, Ciceronis tempore nobilis. Hor. Sat. II. 3. 161.

Crates, -is, flumen, quod in Pontum Euxinum effunditur, de quo tamen hodie non constat. Ov. ex Pont. IV. 10. 47.

Crathis, -ĭdis, Lucaniae flumen, quod haud procul supra Consentiam exortum iuxta Sybarin in Tarentinum sinum effunditur, et hodie *Crati* incolis dicitur. Ov. Fast. III. 581. Met. XV. 315.

Cratīnus, -i, Atheniensis, veteris comoediae poëta, vini potor insignis, sine quo carmina fieri non posse affirmabat. Floruit autem circa Olymp. LXXXI. 2. s. A. U. CCXCIX. Ex multis eius comoediis pauca tantum fragmenta supersunt. Hor. Sat. I. 4. 1. Ep. I. 19. 1.

Cremĕra, -ae, parvus Etruriae fluvius, qui Veientum agros perfluit et in Tiberim effunditur. Ad hunc trecenti sex Fabii a Veientibus caesi sunt; hodie vulgo *La Valca*, s. *La Varca*. Ov. Fast. II. 205.

Cremōna, -ae, Italiae urbs, ad Padum, inter Ticinum et Mantuam iacens, quae civilis belli calamitatibus misere adflicta fuit. Octavianus enim victor Cremonensium agros, quod ab Antonii partibus steterant, inter veteranos milites distribuit. Hodie idem nomen servat. Virg. Ecl. IX. 28. Pseudo-Virg. Cat. VIII. 12. X. 6.

Creon, -tis, fuit Corinthi rex, cuius filiam Glaucen Iason, Medea repudiata, uxorem duxit; qua re Medea, in furorem acta, novae nuptae pallam, veneno unctam, muneri misit, quam cum Glauce induisset, palla ignem concepit; quo facto una cum patris domo conflagravit. Hor. Epod. V. 64. Ov. Her. XII. 54.

Cres, -etis, Cretae incola. Virg. Aen. IV. 146. Ov. Her. XVI. 348. Am. III. 10. 19. et al. Tib. IV. 1. 9.

Cretum custos, i. e. Talos, homo aereo corpore a Iove Europae donatus, ut, ad custodiendam Cretam, ter singulis diebus eam circumiret; a Medea autem, cum Argonautis huc advecta, veneno interfectus est. Cat. LV. 23.

Cressĭus s. Cresĭus, contr. Cressus, -a, -um, in vel e Creta, ad Cretam pertinens, Cretensis. Virg. Ge. III. 345. Aen. IV. 70. Ov. Her. XVI. 299. et al. Prop. I. 1. 63.

Cressa bos, i. e. Pasiphaë. Prop. IV. 7. 57.

Digitized by Google

Cressa nota, i. e. creta terra, sic dicta, quod e Creta insula Romam advehebatur. Romani ea faustos dies signare solebant, uti infaustos nigro carbone notabant (*). Hor. Od. I. 36. 10.

Cressa corona, i. e. Ariadnes coeleste sidus. Ov. Her. II. 76, Art. Am. I. 558. Trist. V. 3. 42. v. *Ariadne*.

Cressa, i. e. *a*) *Phaedra*, Ov. Her. IV. 2. *b*) *Ariadne*, ambae Minois e Pasiphaë filiae, Ov. Am. I. 7. 16. *c*) *Aërope*, filia Cretei, Minois e Pasiphaë filii, Ov. Art. Am. I. 327. *d*) *Thelethusa*, Ligdi Cretensis coniux. Ov. Met. IX. 702.

Cresia prodigia, i. e. Cretensis taurus, cui Neptunus, Minoi, Cretae regi, iratus, furorem immisit, et quem Hercules vivum ad Eurystheum perduxit. Virg. Aen. VIII. 294. v. *Marathon*.

Crete, -es, et Creta, -ae, insula maris mediterranei, centum urbibus olim nobilis; hodie *Candia*. Hor. Od. III. 27. 34. Epod. IX. 29. Virg. Ecl. I. 66. Aen. III. 104. et al. Ov. Her. IV. 163. et al. Cat. LXIV. 82.

Cretaeus et Crĕtĭcus, -a, -um, id q. Cressus. Hor. Od. I. 26. 2. Virg. Aen. III. 117. et al. Ov. Her. X. 106. Met. IX. 665. Prop. III. 17. 11. 26.

Cretaeus taurus, Ov. Met. VII. 434. v. *Marathon*.

Cretheus, -ĕi, Troianus, lyricus poëta, qui cum Aenea in Italiam profectus a Turno caesus est. Virg. Aen. IX. 774. Item Arcas, etiam a Turno occisus. Virg. Aen. XII. 538.

Cretis, -ĭdis, quae est e Creta, ad Cretam pertinet. Ov. Fast. III. 444.

Creūsa, -ae, Priami ex Hecuba filia, Aeneae nupta Ascanium peperit. Quum vero e Troiae incendio fugeret, ex mariti oculis erepta est. Virg. Aen. II. 562. 597. sqq. Vocatur sic etiam Creontis, Corinthi regis, filia, aliis *Glauce* dicta, quae Iasoni, postquam Medeam repudiavit, nupsit. Hor. Epod. V. 65. Ov. Her. XII. 53. Art. Am. I. 335. in Ibin 606. Prop. II. 13. 30. v. *Creon*. Item Erechthei filia, quae Xutho nupta Achaeum et Ionem peperit. Ov. Am. III. 6. 31. (†).

Crimīsus s. Crimissus, -i, magnum Siciliae flumen, quod, in Panormitano agro ad Casale urbem exortum, in Hypsam fluvium effunditur. Hodie *Belice dextro*. Acestae e Troiana femina pater fingitur. Virg. Aen. V. 38.

Crispīnus, -i, lippus, homo garrulus, qui de Stoica disciplina insulsa scripsit carmina.

(*) Cf Hor. Sat. II. 3. 246.

(†) Est enim *Creüsa* nomen appellativum, qua regis filia indicatur, v. Hyg. f. 25., ibique interpp. Burm. ad Ov. Met. VII. 394.

Digitized by Google

Hor. Sat. I. 1. 120. I. 3. 139. et al.

Crispus, v. Sallustius.

Crocăle, -es, Nympha e Dianae comitibus. Ov. Met. III. 169.

Crocos, -i, formosus iuvenis, qui cum Smilacem puellam amaret, ambo in sui nominis flores permutati finguntur. Ov. Fast. V. 227. Met. IV. 283.

Croesus, -i, fuit Lydiae rex ditissimus, Alyattei filius, qui quum se omnium felicissimum putaret, a Solone monitus est, humanis rebus non esse fidendum; neminem enim ante mortem beatum esse. Postea a Cyro victus ac captus, cum pyrae impositus in eo esset, ut combureretur, Solonis nomen ter exclamavit; quod admiratus Cyrus, remque omnem edoctus, eius vitae pepercit, Croesumque maximi fecit. Hor. Ep I. 11. 2. Ov. ex Pont. IV. 3. 37. Cat. CXV. 3. Prop. III. 3. 39. Ponitur pro quocunque ditissimo. Ov. Trist. III. 7. 42.

Crοesi flumina sunt maximae divitiae. Prop. II. 20. 23.

Crομўon, -ōnis, fuit vicus in agro Corinthiaco, ubi Theseus suem Phaeam, agros vastantem hominesque interficientem, occidit. Ov. Met. VII. 435.

Croton, -ōnis, Italus, apud quem quum Hercules devertisset, eumque ex improviso interfecisset, in eius honorem Crotonem s. Crotonam, urbem maritimam in Bruttiis, aedificari iussit. Ov. Met. XV. 15.

Crotopiădes, -ae, i. e. Linus, Apollinis e Psamathe filius, Crotopi nepos, a canibus dilaceratus. Ov in Ibin 482. v. *Psamathe.*

Crustumĭus, -a, -um, in vel e Crustumio, vel ad Crustumium pertinens. Fuit autem *Crustumĭum s. Crustumĕrum* Sabinorum urbs, trans Anienem, haud procul a Fidenis. Hodie huius urbis praeter memoriam nihil superest. Virg. Ge. II. 88.

Crustumĕri, -orum, incolae Crustumii urbis. Virg. Aen. VII. 631.

Cumae, -arum, antiquum Campaniae oppidum maritimum, a Chalcidensibus, Euboeae populo, conditum, aquis salubribus, quae ibi inveniebantur, nobile, uti et Apollinis templo in monte non procul ab urbe, denique antro, in quo Sibylla vaticinia dabat. Hodie urbis ruinae idem nomen habent. Hor. Ep. I. 15. 11. Virg. Aen. VI. 2. Ov. Met. XIV. 104.

Cumaeus et Cumanus, -a, -um, in vel ex Cumis, vel ad Cumas urbem pertinens. Virg. Aen. III. 441.

Cumaea dux, virgo et *vates* i. e. Sibylla Cumaea. Ov. Met. XIV. 121. 135. cf. Virg. Aen. VI. 98. Ov. Met. XV. 712. Prop. II. 2. 68. v. *Sibylla.*

Digitized by Google

Cumaeum carmen, i. e. Sibyllae Cumaeae. Virg. Ecl. IV. 4.

Cumaei anni, i. e. Cumaeae Sibyllae, quae, ab Apolline amata, arenam manibus hausisse, et ut tot annos, quot arenas teneret, vivere sibi liceret, a deo impetrasse fertur. Ov. ex Pont. II. 8. 41.

Cumana rota, i. e. rota, qua figili Cumani utuntur ad vasa conficienda; sunt autem fictilia Cumana vasa apud Veteres nobiliora, et eadem, quae *Campana*, nunc vulgo *Etrusca* vocantur. Tib. II. 3. 48.

Cupāvo, -ōnis, Cycni filius, qui Aeneae auxilio profectus in memoriam patris, in cycnum avem mutati, cristam ex olorinis pennis in galea habebat. Virg. Aen. X. 186.

Cupidinĕus, -a, -um, a Cupidine, vel ad Cupidinem, amoris deum, pertinens. Pseudo-Virg. Cul. 308. Ov. Rem. Am. 157. Trist. IV. 10. 65.

Cupīdo, -ĭnis, amoris deus, Veneris filius, et comes perpetuus, qui et *Amor* vocatur: fingitur nudus puer, alatus, arcum ac sagittas tenens, quibus imperium in deos atque homines exercet saevum atque arbitrarium. Hor. Od. I. 2. 34. II. 8. 14. et al. Virg. Aen. I. 658. (662.) et al. Ov. Her. XV. 215. XVI. 113. et saepe. Tib. II. 3. 33. et al. Prop. II. 14. 5. *Cupidines* autem s. *Amores* duo a poëtis referuntur, alter coelestis s. honestus, alter terrestris s. turpis Amor, pro moderato aut immoderato amoris affectu; potest vero *Cupidinibus* etiam simpliciter *amor* significari. Hor. Od. I. 19. 1. IV. 1. 5. cf. Fast. IV. 1. Cat. III. 1. XIII. 12. Prop. I. 1. 2.

Cupiennĭus (Libo), -i, fuit Augusto familiaris, corporis sui cultor diligentissimus, et matronarum sectator acerrimus. Hor. Sat. I. 2. 36.

Curensis, -e, et Cures, -etis, ex Curibus, ad Cures pertinens, Curium incola. Ov. Fast. III. 94.

Cures Iupiter, i. e. T. Tatius, rex Sabinorum. Prop. IV. 4. 9.

Cures -ĭum, Italiae urbs, ad Himellam flumen sita, Sabinorum quondam caput et regis Tatii sedes; hodie eodem loco est *Coréze*. Virg. Aen. VI. 812. VII. 638. X. 345. Ov. Fast. II. 135. 480. Met. XV. 7. Prop. IV. 9. 74.

Curibus sati sunt Sabini. Ov. Met. XIV. 778.

Curētes, -um, (Sing. Cures, -ētis) fuerunt Cybeles sacerdotes, qui ab imbre orti finguntur, et Iovem infantem, a matre in Creta insula occultum, educarunt, et clamore, armata saltatione atque cymbalorum pulsatione, prohibuere, quo minus Saturnus Iovis vagitum audire posset. Virg. Ge. IV. 151. Ov. Fast. IV. 210. Met. IV. 282.

Curetum orae, i. e. Creta in-

Digitized by Google

sula; Cūretes enim vetustissimi insulae huius incolae fuerunt, eique nomen dedisse creduntur. Virg. Aen. III. 131.

Cūrētis, -ĭdis, quae est e Creta, vel ad Cretam pertinet.

Curetis terra, i. e. Creta insula. Ov. Met. VIII. 153.

Curii, -orum, sunt tres Curatii fratres Albani, qui cum tribus Horatiis, fratibus Romanis, de imperio utriusque urbis inter se certarunt. Prop. III. 2. 7.

Curĭus (M.) Dentatus, -i, Romanus civis egregiae fortitudinis, de Samnitibus, Sabinis, et Pyrro, Epirotarum rege, triumphavit; cui, ad focum sedenti, magnum auri pondus Samnites cum obtulissent, ab eo repudiati sunt; non enim aurum habere, praeclarum sibi videri dixit, sed iis, qui haberent aurum, imperare. Fuit autem perfectum antiquae morum severitatis et continentiae exemplum, et quum eius aetate Romani tonderi atque comi coepissent, hic veterem morem, quo intonsos et incomtos capillos habebant, retinuit. Hor. Od. I. 12. 41. Ep. I. 1. 64. Pseudo-Virg. Cul. 366. Ov. Fast. V. 131.

Curtĭus (M.), -i, Romanus eques, qui cum Romae medio foro terra in immensam hisceret altitudinem, nec illa vorago ex Oraculi responso ulla re expleri posset, nisi qua populus Romanus plurimum valeret, equo insidens armatum se in specum immisit; quo facto terra coiisse fertur, unde ille lacus *Curtius* dictus est. Pseudo-Virg. in Cul. 362. Ov. Fast. VI. 403. (*).

Cyăne, -es, Siciliae fons, cuius aqua non longe a mari in Anapum fluvium defluit; hodie *Pisma* vocatur. Fast. IV. 469. Met. V. 409. et al. *Cyanen* autem Nympham Proserpinaeque sociam fuisse, fabulantur, quae cum Plutoni, Proserpinam rapienti, frustra obsistere tentasset, dolore in sui nominis fontem est mutata. Ov. Met. V. 412. sqq.

Cyanĕe, -es, Maeandri fluminis filia, quae e Mileto Cretensi Caunum et Byblidem peperit. Ov. Met. IX. 451.

Cyanĕae, -arum, etiam *Symplegades* dictae, sunt duae parvo distantes spatio insulae, tanquam scopuli in Ponti Euxini ostio ad Thracium Bosporum, quae aliquando inter se collidi, rursusque discedere credebantur, unde *instabiles* vocantur. Earum nomen est hodie *Pavonare*. Ov. Trist. I. 10. 34.

Cybēbe et Cybĕle, -es, quae et *Rhea*, *Ops*, *Magna deorum mater*, rell., Coeli e Terra filia, Saturni soror et uxor, sic dicta a Cybele, monte in Phrygia, ubi primum huius sacra instituta

(*) Cf. Liv. Hist. VII. 6. Val. Max. V. 6. 2.

Digitized by Google

fiere. Eius simulacrum A. U. DXVII. sub lapidis specie Pessinunte, Phrygiae Maioris urbe, magna cum pompa Romam advectum, et in Victoriae Palatinae templum perlatum fuit. Sacra vero, quae in Phrygia atque Graecia a Corybantibus, Curetibus, Dactylis Idaeis, et Romae a Gallis, sacerdotibus, fiebant, saltatione et discursu inter tympanorum, cymbalorum tibiarumque, sonos, quibus antistites ad furorem redigi solerent, celebrabantur. Pingitur femina, curru, a leonibus tracto, vecta, coronam turritam capite gerens, et vulgo dextra sceptrum, sinistra tympanum tenens, Virg. Aen III. 111. X. 220. XI. 768. Cat. LXIII. 9. ubi *Cybelle* pro *Cybele* legitur. Prop. III. 15. 35. et al.

Cybĕle, -es, mons in Phrygia non procul a Celaenis monte, unde Rhea, Saturni uxor, Cybele dicta est a sacris, quae ibi ei instituta fuere. Ov. Fast. IV. 249.

Cybeleĭus, -a, -um, a Cybele, vel ad Cybelen pertinens. Ov. Met. X. 704.

Cybeleius Attis, i. e. a Cybele amatus. Ov. Met. X. 104.

Cybeleia mater et *dea*, i. e. Cybele, in Cybele monte culta. Ov. Art. Am. I. 507. Fast. IV. 191. et al.

Cyclădes, -um, vocantur insulae, quae in Aegaeo mari circum Delum in orbem quodammodo dispositae sunt, unde et nomen habent. Harum candidum marmor, quo cinctae sunt, e longinquo conspicitur, unde *nitentes fulgentesque* dicuntur. Hor. Od. I. 14. 20. III. 28. 14. Virg. Aen. III. 127. VIII. 692. Pseudo-Virg. Cir. 471. Ov. Met. II. 264. Fast. IV. 281. Trist. I. 11. 8. Cat. IV. 7.

Cyclopĕus, s. Cyclopīus, -a, -um, a Cyclopibus, vel ad Cyclopes pertinens.

Cyclopia saxa sunt saxosum Cyclopum litus in Sicilia, quod olim Cyclopes incoluisse feruntur. Virg. Aen. I. 201. (205.)

Cyclōpes, -um, fuerunt Gigantes, e Coelo et Tellure nati, qui in Siciliae litore haud procul ab Aetna monte antra inhabitasse creduntur. Unum oculum medio capite habebant, et tres ex iis, Brontes, Steropes et Pyracmon(*), in Iovis fulminibus atque deorum heroumque armis in Aetna fabricandis Vulcani ministri fuisse finguntur. Hor. Od. I. 4. 8. Virg. Ge. I. 471. et al. Ov. Fast. IV. 473. Met. I. 259.

Cyclops, i e. Polyphemus, unus e Cyclopibus, ab Ulysse excaecatus. Hor. Ep. II. 3. 145. Virg.

(*) v. Virg. Aen. VIII. 425., vel *Acmonides*, uti refert Ov. Fast. IV. 289.

Digitized by Google

Aen. III. 617. Pseudo-Virg. Cul. 331. Ov. Met. XIII. 744. sqq.

Cyclopa saltare et *moveri*, i. e. more Polyphemi Cyclopis; quae saltatio, levi Satyrorum motui opposita, ad delectamenta sceuica pertinebat, et qua forsitan Polyphemum, ab Ulysse vino ebrium factum, imitabantur pantomimi. Hor. Sat. I. 5. 63. Ep. II. 2. 125.

Cycnaeus, -a, -um, ad Cycnum, Ligurum ducem, pertinens. Cat. LXVII. 32.

Cycneĭus, -a, -um, ad Cycnum, Hyries filium, pertinens.

Cycneius heros, i. e. Tenes, Cycni filius, a patre in arca clausus et in mare deiectus. Ov. in Ibin 465.

Cycneia Tempe, i. e. in Boeotia, ad Teumesum montem et lacum Hyries, ubi Cycnus, Apollinis ex Hyrie filius, in Cycnum avem mutatus, et iis hoc cognomen dedisse fertur. Ov. Met. VII. 371. v. *Phylius*.

Cycnus, -i, dicitur Sthenelei filius, Tenae pater, Ligurum dux, Phaëthonti materno sanguine iunctus eiusque amantissimus; quem quum mortuum defleret Cycnus, nimio luctu in sui nominis avem mutatus traditur. Ov. Met. II. 367. Virg. Aen. X. 189. Item Neptuni e Calyce filius, rex in Troade agro, quem Achilles Troiano bello, genibus collo innixus, interfecit; Neptunus vero eum in cycnum avem permutavit. Ov. Met. XII. 72. sqq.

Cydippe, -es, puella, ab Acontio amata. Ov. Her. XX. 107. 172. sqq. v. *Acontius*. Una e Nereidibus, Cyrenes Nymphae socia. Virg. Ge. IV. 339.

Cydno, -us, vocatur una e tribus puellis, quas Sappho poëtria amavit. Ov. Her. XV. 17.

Cydnus, -i, Ciliciae fluvius, leniter et placide fluens, qui, ex Tauro monte exortus, per mediam Tarsum defluit et in mare exoneratur; hodie *Carasii* vocatur. Ov. Art. Am III. 204. Tib. I. 7. 13.

Cydon, -ŏnis, Phorci filius, Clytii amator, ab Aenea in Italia caesus. Virg. Aen. X. 325. Item Cydonis incola. Fuit autem *Cydon* Cretae insulae urbs, hodie *Canea* dicta, cuius incolae, sicuti omnes Cretes, sagittandi peritissimi fuerunt. Virg. Aen. XII. 858.

Cydoniŭs s. Cydonĕus, -a, -um, in vel ex Cydone, vel ad Cydonem, Cretae urbem, pertinens, id. q. Cretensis. Hor. Od. IV. 9. 17. Virg. Ecl. X. 59. Ov. Art. Am. I. 293. Met. VIII. 22. Prop. III. 11. 27.

Cygnus, v. Cycnus.

Cylla, -ae, Phrygiae Minoris urbs in Troade, quam Graeci Achille duce expugnaverunt. Ov. Met. XIII. 174.

Cyllărus, -i, Centaurus praestanti forma, qui in Perithoi nuptiis interfectus est. Ov. Met.

Digitized by Google

XII. 393. 408. Vocatur sic quoque egregius equus, quem Mercurius Castori atque Polluci dono dedit. Virg. Ge. III. 90.

Cyllēne, -es, et Cyllēnus, -i, maximus Arcadiae mons, Mercurii natale solum. Virg. Aen. VIII. 139. Ov. Fast. II. 275. V. 87. 607. Met. I. 317. et al.

Cyllenĭus s. Cyllenēus, -a, -um, in vel e Cyllene, vel ad Cyllenen pertinens. Ov. Met. XII. 304. Cat. LXVIII. 109.

Cyllenius est Mercurii cognomen, quod in Cyllene monte natus fingitur. Virg. Aen. IV. 252. 276. Ov. Met. I. 713. II. 720. et saepe.

Cyllenius ignis, i. e. Mercurius planeta. Virg. Ge. I. 337.

Cyllenia proles i. e. Mercurius. Virg. Aen. IV. 258.; vel Cephalus, Mercurii ex Herse filius (*). Ov. Art. Am. III. 725.

Cyllenia fides, i. e. Mercurii lyra. Hor. Epod. XIII. 9.

Cyllenea testudine ornari, i. e. capillis in formam Mercurii lyrae comtis. Ov. Art. Am. III. 147.

Cyllenia munera, i. e. lyra, a Mercurio inventa, Pseudo-Virg. Cir. 108.

Cyllēnis, -ĭdis, quae a Mercurio est, vel ad Mercurium pertinet. Ov. Met. V. 176.

Cyllēnus, v. Cyllene.

Cymodŏce, -es, Nympha marina, Nerei e Doride filia, Cyrenes comes. Virg. Ge. IV. 338.

Cymodocēa, -ae, una eNymphis, in quas Aeneae naves, quum Rutuli eas incendere vellent, Cybeles opera sunt mutatae. Virg. Aen. X. 225.

Cymothŏe, -es, Nympha marina, Nerei et Doridis filia, e Cyrenes consortio. Virg. Aen. I. 144. (148.) Prop. II 20. 16.

Cynăpes, -is, flumen, quod in Euxinum Pontum effunditur, de cuius tamen ortu cursuque apud Veteres nil occurrit. Ov. ex Pont. IV. 10. 49.

Cynĭcus, -i, dicitur *Diogenes*, Antisthenis discipulus, qui Cynicae philosophiae auctor fuit. Fuerunt autem dicti *Cynici* a canina mordacitate, qua in hominum mores invehebantur; irridebant enim et reprehendebant eos, qui re non turpia nominibus ac verbis flagitiosa dicerent, turpia vero suis appellarent nominibus. Hor. Ep. I. 17. 18. Ov. ex Pont. I. 3. 67.

Cynosūra, -ae, s. Cynosūris, -ĭdis, (†) est extrema stella in cauda Ursae minoris, quae etiam *Polaris* vocatur, quia polo proxima est. Hinc ponitur pro ipsa *Ursa minore*, cujus sidus Phoenices in navigationibus obser-

(*) Cf. Heyne ad Apoll. III. 14. 3. p. 821. sqq.
(†) Est enim quasi Κυνὸς οὐρά canis cauda.

Digitized by Google

vabant, sicuti Graeci *Helicen* s. *Ursam maiorem*. Ov. Fast. III. 107. Trist. V. 3. 7.

Cynthia, nomen puellae, quam Propertius suis elegiis celebravit. Ov. Rem. Am. 764. Prop. I. 1. 1. et saepe.

Cynthĭus, -a, -um, ad Cynthum montem pertinens. Est autem Apollinis cognomen, uti *Cynthia* Dianae, propterea quod uterque in eo monte natus dicitur. Hor. Od. I. 21. 2. III. 28. 12. Virg. Ecl. VI. 3. Ge. III. 36. Pseudo-Virg. Cat. XI. 60. Ov. Her. XVIII. 74. Art. Am. II. 239. al. Tib. III. 4. 50. Prop. II. 25. 80.

Cynthus, -i, altus mons in Delo insula, ubi Latona Apollinem atque Dianam peperit. Virg. Aen. I. 498. (502.) IV. 147. Ov. Met. II. 221. IV. 204.

Cyparissus, -i, Amyclei filius, e Cea insula, qui quum imprudens cervum, a se mansuefactum, interfecisset, vitamque sibi eripere vellet, ab Apolline, qui eum dilexerat, in cupressum arborem mutatus fertur, quamque inde in funeribus adhibitam fabulantur. Ov. Met. X. 121. 130.

Cypassis, -ĭdis, puella, ab Ovidio amata. Ov. Am. II. 7. 17. sqq.

Cyprĭus, -a, -um, in vel e Cypro, vel ad Cyprum pertinens, Hor. Od. I. 1. 13. III. 29. 60.

Cypria, i. e. Venus. Tib. III. 3, 34.

Cyprus s. Cypros, -i, insula maris mediterranei e regione Ciliciae, mercatura olim florens, et hinc dives. Erat autem Veneri sacra; hodie idem nomen servat. Hor. Od. I. 3. 1. I. 19. 10. et al. Virg. Aen. I. 624. (626.) Ov. Met. X. 270.

Cypselĭdes, -ae, i. e. Periander, rex Corinthi, Cypseli filius, qui septem Sapientum numero est habitus. Pseudo-Virg. Cir. 464.

Cyrenae, -arum, una ex quinque urbibus regionis Cyrenaicae in Africa ad mare mediterraneum, laserpitio (i. e. silphio s. Asa foetida) nobilis. Cat. VII. 4.

Cyrenaeus, -a, -um, ex Cyrenis, ad Cyrenas pertinens.

Cyrenaea aqua, i. e. qua Callimachus poëta, Cyrenis natus, in sacrificiis usus est. Prop. IV. 6. 4.

Cyrēne, -es, Nympha, Penei fluminis filia, Aristaei, quem ex Apolline suscepit, mater. Virg. Ge. IV. 321. 354. et al.

Cyrnēus, -a, -um, ad Cyrnum s. Corsicam (*) insulam pertinens. Virg. Ecl. IX. 30. v. *Corsicus*.

(*) Corsica enim Graece est Κύρνος.

Digitized by Google

Cyrrha, Ov. in Ibin. 541. alii Myrrha, q. v.

Cyrus Maior, -i, Cambysis filius, Persici regni conditor, deinde totius Orientis rex. Hor. Od. II. 2. 17. III. 29. 27. Tib. IV. 1. 141. v. *Phraates*. Dicitur quoque *Cyrus* iuvenis formosus, sed prótervus, Maratho, Phoenicum urbe, oriundus, unde a Tibullo *Marathus* dicitur; cum a Tyndaride atque Lycoride puellis amaretur, his neglectis, Pholoës amore flagravit, quae eum fastidit; quam vero Tibullus ei conciliare studet. Hor. Od. I. 17. 25. I. 33. 6. Tib. I. 4. 81. et al.

Cytaeaeus, -a, -um, in vel ex Cyta, ad Cytam pertinens, i. q. magicus. Fuit autem *Cyta* urbs Colchidis, ubi Medea nata dicitur. Prop. I. 1. 24.

Cytaeis, -ĭdis, quae est ex Cyta, i. e. Medea. Prop. II. 1. 73.

Cythēra, -orum, insula cum eiusdem nominis urbe, in mari Aegaeo, haud procul a Malea, Laconiae promontorio, Veneri, quae ibi nutrita fingitur, et templum habebat, sacra; hodie *Cerigo*. Virg. Aen. I. 680. (684.) X. 51. 86. Ov. Am. II. 17. 4. Fast. IV. 286.

Cythereĭas, -ădis, quae a Venere est, vel ad Venerem pertinet.

Cythereïades Columbae, i. e. quae Veneris currui iunctae finguntur. Ov. Met. XV. 386.

Cytherēis, -ĭdis, et Cytherēa, -ae, quae e Cytheris insula est, i. e. Venus.

Cythereïde natus, i. e. Hermaphroditus, Veneris filius. Ov. Met. IV. 288. Prop. II. 11. 25.

Cythereĭus, contr. Cytherēus et Cytheriăcus, -a, -um, in vel e Cytheris, vel ad Cythera pertinens. Hor. Od. I. 4. 5. Ov. Her. VII. 60. Fast. IV. 15. Met. X. 529.

Cythereïus heros, i. e. Aeneas, Veneris filius. Ov. Fast. III. 611. Met. XIII. 625. XIV. 584.

Cythereïus mensis, i. e. Aprilis, qui mensis Veneri sacer erat. Ov. Fast. IV. 195.

Cythereïa et *Cytherēa*, i. e. Venus. Virg. Aen. I. 257. (261.) Pseudo-Virg. Cat. VI. 11. et al. Ov. Her. XVI. 20. Met. X. 640. v. *Cythera*.

Cythereae puer, i. e. Amor, Veneris filius. Hor. Od. III. 12. 3.

Cythnos, -i, insula maris Aegaei, una e Cycladibus, haud procul a Cea; hodie *Thermia*, Pseudo-Virg. Cir. 475. Ov. Met. V. 252. VII. 464.

Cytōrus, -i, Paphlagoniae mons, ad mare situs, buxis abundans et nobilis. Virg. Ge. II. 437. Cat. IV. 13.

Cytoriăcus, s. Cytorius,

Digitized by Google

-a, -um, in vel e Cytoro, vel ad Cytorum pertinens. Ov. Met. IV. 311. Cat. IV. 11.

Cytoriacus mons, i. e. Cytorus. Ov. Met. VI. 132.

Cyzĭcos, -i, antiqua Asiae urbs, in Mysia ad Propontidem sita, et ab Argonautis exstructa; hodie tantum eius rudera supersunt. Ov. Trist. I. 10. 29. Prop. III. 21. I.

Digitized by Google

D.

Daae, v. Dahae.

Dacĭus, contr. Dacus, -a, -um, a Dacis, ad Dacos pertinens, unus e Dacis. Fuerunt autem *Daci* populi bellicosissimi, sagittandique artis peritissimi, qui Getis vicini ulteriorem Istri fluminis regionem, ubi hodie Transsilvania, Moldavia et Wallachia, incolebant et, crebris in Romanorum fines incursionibus, his admodum timendi erant. Ab Antonio contra Octavianum sollicitati, eius partes secuti sunt. Postea vero Lentulus A. U. DCCXXXIII., Cotisonis regis exercitu caeso, ipsum trans Istrum repulit, nec diu post Tiberius Dacos perdomuit. Hor. Od. I. 35. 9. II. 20. 18. et al. Virg. Ge. II. 497. Alb. ad Liv. ap. Ov. 387.

Daedalēus, -a, -um, a Daedalo, vel ad Daedalum pertinens. Hor. Od. II. 20. 13. IV. 2. 2. *Daedaleum iter* i. e. via in labyrintho. Prop. II. 11. 8.

Daedalĭon, -ōnis, Luciferi filius, qui quum Chionen filiam a Diana interfectam cognovisset, de Parnaso monte se praecipitavit, et ab Apolline in accipitrem mutatus fingitur. Ov. Met. XI, 295. 340.

Daedălus, Eupalami filius, Atheniensis, fuit summus artifex, qui, in Cretam ad Minoëm aufugiens, Pasiphaae reginae ligneam fecit vaccam, ut inclusa ei cum tauro consuesceret, unde Minotaurus est natus; ad quem abscondendum Minois iussu labyrinthum artificiose construxit, in quo monstrum conclusum fuit. Minos autem, omni re cognita, iratus Daedalum interficere studuit, qui, sibi atque Icaro filio ceratis alis fabricatis, e Creta avolavit. Icarus vero, alis nimio solis calore dissolutis, in mare decidit; Daedalus contra Cumas delatus Apollini templum exstruxit, alasque deo consecravit; deinde se in Siciliam conferens a Cocalo rege benigne hospitio exceptus ibique mortuus est. Hor. Od. I. 3. 34. Virg. Aen. VI. 14. 29. Ov. Her. XVIII. 49. Art. Am. II. 33. et al. v. *Cocalus, Icarus.*

Daedălus, -a, -um, a Daedalo, vel ad Daedalum pertinens, id. q. artificiosus (*).

(*) Est enim Δαίδαλος artificiose factus, Hom. Il. s. 60. et al. cf. Fest. in v. *Daedalus.*

Digitized by Google

Virg. Ge. IV. 179. Aen. VII. 282.

Dahae s. Daae, -arum, fuerunt Scythiae Asiaticae gens, quae haud longe a Caspio mari inter regiones Hyrcaniam et Bactrianam Oxum versus habitavit. Virg. Aen. VIII. 728.

Dalmatĭa, -ae, Europae regio, Illyrici pars, Liburniae, Moesiae ac Macedoniae confinis, quae longo tractu iuxta Hadriaticum mare protenditur, quam Pollio, ab Antonio missus, A. U. DCCXIV. domuit, et de ea anno post triumphum egit. Hodie idem nomen servat. Ov. ex Pont. II. 2. 78.

Dalmatĭcus, -a, -um, in vel e Dalmatia, vel ad Dalmatiam pertinens. Hor. Od. II. 1. 16.

Dalmăta, -ae, Dalmatiae regionis incola. Alb. ad Liv. ap. Ov. 389.

Dama, -ae, nomen servi, comicis usitatum. Hor. Sat. I. 6. 38. II. 5. 18. 101. II. 7. 54.

Damasichthon, -ŏnis, Amphionis e Niobe filius, cum fratribus ab Apolline occisus. Ov. Met. VI. 254. in Ibin 583.

Damasippus, -i, fuit Romanus, qui cum aliquamdiu signorum, vasorum hortorumque mercaturam fecisset, ad inopiam redactus, se ad philosophiae studium contulit, usus doctore Stertinio, homine, qui CCXX. Stoicorum libros scripsisse dicitur. Horatius eum de philosophia Stoica ridicule disserentem inducit. L. II. Sat. 3.

Danăë, -es Acrisii, Argivorum regis, filia, a patre monitu Oraculi, se a nepote interfectum iri, turri inclusa, a Iove vero, in aureum imbrem mutato, compressa Perseum peperit, quam ob causam pater eam, cum filio arcae inclusam, in mare proiecit; sed ad Seriphum insulam delata a piscatore reti aquis extracta narratur. Hor. Od. III. 16. 1. Ov. Am. II. 19. 27. III. 4. 21. et al. Prop. II. 16. 10. et al. Alii vero illam in Italiae litore a praedonibus repertam tradunt, unde Virgilius eam aufugisse, et cum Argivis, fugae sociis, ad Rutulorum litus appulsam, ibi Ardeam urbem condidisse finxit. Aen. VII. 410.

Danaës nurus, i. e. Andromeda, Persei uxor. Ov. Trist. II. 401.

Danaëĭus, -a, -um, a Danaë, vel ad Danaën pertinens.

Danaëius heros, i. e. Perseus, Danaës filius. Ov. Am. III. 6. 13. Met. V. 1.

Danaëia dicitur Persis, quia Perses, filius Persei, Danai filii, huic Asiae regioni nomen dedisse fingitur. Ov. Art. Am. I. 225.

Danăus, -i, Beli, Aegypti regis, filius, Libyam incoluit; post patris vero mortem, lite de

Digitized by Google

regno cum Aegypto fratre orta, Argos secessit, ubi regnum post Helanorem adeptus est, et Argivis *Danaorum* nomen indidit. Quum autem huc Aegyptus cum quinquaginta filiis eum insecutus esset, fratrem quinquaginta filias suis filiis nuptum dare coëgit; quapropter omnes prima nocte patris iussu ab uxoribus necati sunt, Lynceo excepto, cui Hypermnestra pepercit. Ob quod scelus in inferis locis dolium pertusum inutiliter aqua implere coguntur. Hor. Od. II. 14. 18. III. 11. 23. Ov. Her. XIV. 15. 79.

Danai agmen, i. e. Danai filiae. Romae autem in Apollinis Palatini porticu, ab Augusto exstructa, inter unamquamque columnam statua unius e Danai filiabus erat posita. Ov. Am. II. 2. 4.

Danai proles, i. e. Danai filiae. Tib. I. 3. 79.

Danăus, -a, -um, a Danao, vel ad Danaum pertinens, id. q. Graecus. Virg. Aen. I. 30. (34.) et saepe. Ov. Her. I. 3. et al. Prop. II. 20. 38. III. 21. 34.

Danubius, -i, nobilissimus Europae fluvius, qui in Germania in Abnobae montis iugis exoritur et, maiorem Europae partem ab occasu orientem solem versus percurrens, in Moesia Inferiore per complura ostia in Pontum Euxinum effunditur. ¶ Dicitur etiam *Ister*, quamquam proprie a fonte suo usque ad cataractas Danubius; ab Illyrico vero ad mare Ister vocatus fuit; hodie *Donau*. Ov. Trist. II. 192. ex Pont. IV. 9. 80. et al. Alb. ad Liv. ap. Ov. 3.

Danubium qui bibunt sunt Rhaeti, Pannonii et Daci, Danubii accolae. Hor. Od. IV. 15. 21.

Daphne, -es, Penei fluminis filia, cui cum Apollo vim adferre tentaret, illa fugiens a patre auxilium petiit, qui filiam in laurum arborem mutavit, quae inde Apollini sacra est. Ov. Her. XV. 25. Ov. Met. I. 452. sqq.

Daphnis, -ĭdis, Mercurii e Sicula Nympha filius, formosus iuvenis, cantu nobilis, qui pastor bucolici carminis inventor fuit; hinc inter pastores herois loco habitus est. Hunc quum Nomia Nympha amaret, ipse vero, alius amore captus, hane sperneret, ab irata Nomia in lapidem conversus fingitur. Virg. Ecl. II. 26. V. 20. sqq. Ov, Art. Am. I. 732. Prop. II. 25. 68. Ov. Met. IV. 277. ubi ex Ida monte pastor dicitur.

Dardanĭa, -ae, quae etiam Dardănus (*), vocatur tractus Troadis cum urbe ei cognomine, a Dardano condita. Ov. Trist. I. 10. 25.

(*) Cf. Hyg. fab. 275., et ibi intpp.

Digitized by Google

Dardanĭdes, -ae, unus e Dardani posteris. Vocatur sic *Ilus*, Dardani pronepos. Ov. Fast. VI. 419., vel *Aeneas*, qui genus a Dardano ducebat. Virg. Aen. X. 545. XII. 775., vel *Troiani*, quod Dardanus Troianae gentis auctor erat. Virg. Aen. I. 560. (564.) sqq.

Dardănis, -ĭdis, una e Dardani posteris, i. e. femina Troiana. Virg. Aen. II. 787. Ov. Her. XVI. 194.

Dardanĭus, contr. Dardănus, -a, -um, a Dardano, vel ad Dardanum pertinens, id. q. Troianus. Hor. Od. I. 15. 10. IV. 6. 7. Virg. Aen. I. 494 (498.) et al. Ov. Her. VII. 158. Fast. I. 519. et al. Prop. I. 19. 14. II. 11. 1.

Dardanius senex, i. e. Priamus, Troiae rex. Ov. Trist. III. 5. 38.

Dardanius adulter et advena, i. e. Paris, Priami, Troiae regis, filius. Virg. Aen. X. 92. Ov. Her. VIII. 42. cf. Virg. Ecl. II. 61.

Dardanus et *Dardanius iuvenis*, vel *senex*, i. e. Aeneas, Troiae natus. Virg. Aen. IV. 224. 662. IX. 88. 100. Ov. Fast. II. 680.

Dardanius nepos Veneris et *Dardanius puer*, i. e. Ascanius, Aeneae filius. Virg. Aen. IV. 163. X. 133.

Dardanius vates, i. e. Helenus, Priami filius, vaticinandi peritus. Ov. Met. XIII. 335.

Dardania (*urbs*), i. e. Troia, Virg. Aen. II. 281. 325. III. 156. et al. Ov. Her. XVI. 57. 331. et al. Cat. LXIV. 368.

Dardania Roma, i. e. a Troiana stirpe condita. Ov. Met. XV. 431.

Dardanium caput, i. e. Aeneae effigies. Virg. Aen. IV. 640.

Dardănus s. Dardănos, -i, Iovis adulteri filius ex Electra, Corythi regis uxore, Erichthonii pater, cum Iasio fratre, Italia relicta, in Samothracen abiit; fratre vero ibi a Iove fulmine percusso, in Phrygiam traiecit, ductaque in matrimonium Batia, Teucri regis filia, postea Troiani regni heres exstitit; a quo Troia *Dardania*, Troianique *Dardanidae* dicti sunt. Virg. Aen. III. 167. 503. IV. 365. et al. Ov. Fast. IV. 31.

Dares, -ētis, et -is, Troianus, qui cum Entello Siculo pugilatu pugnans victus est. Virg. Aen. V. 369. sqq. Forsitan idem, qui a Turno postea interfectus narratur. Virg. Aen. XII. 363.

Darēus Secundus, -ēi, Ochus, Persarum rex, fuisse videtur, postea Darius Nothus dictus, qui, iureiurando obstrictus, ne quem ex coniuratione, quae septem Magos cum eo oppresserat, aut veneno, aut ferro, aut ulla vi, aut alimentorum inopia necaret, crudeliorem mortis ra-

Digitized by Google

tionem, qua hos interficeret, excogitavit; locum enim, altis parietibus septum, cinere complevit, superpositoque tigno prominente, benigne cibo et potione exceptos in eo collocavit, e quo somno sopiti, in illam insidiosam cineris congeriem decidebant. Ov. in Ibin 317.

Daucĭus, -a, -um, ad Daucum Rutulum pertinens.

Daucia proles, i. e. Larides et Thymber, Dauci Rutuli filii, quorum alter alteri tam similis fuit, ut a parentibus discerni non possent. Virg. Aen. X. 391.

Daulĭas, -ădis, femina e Daulide. Dicuntur sic *Procne* atque *Philomela*, quarum prior Terei, Daulidis regis, uxor fuit. Fuit autem *Daulis*, Phocidis urbs, haud procul a Parnaso monte, ubi Tereus, Thracum coloniae rex, sedem habuit. Pseudo-Virg. Cir. 200.

Daulias, et *Daulias avis*, i. e. *hirundo*, in quam Procne mutata est. Ov. Her. XV. 154. Alb. ad Liv. ap. Ov. 106. Vel *luscinia*, in quam alii Procnen (*) mutatam fingunt. Cat. LXV. 14.

Daulĭus, -a, -um, in vel e Daulide, vel ad Daulidem pertinens. Ov. Met. V. 276.

Daunĭa; -ae, s. Daunĭas, -ădis, Apuliae pars, ita appellata a Dauno, Illyricae gentis claro viro, qui propter domesticam seditionem patria excedens eam occupavit. Ponitur autem pro *universa Italia*. Hor. Od. I. 22. 13. IV. 6. 27.

Dauniae caedes, i. e. Romanorum. Hor. Od. II. 1. 34.

Daunĭus, -a, -um, a Dauno, vel ad Daunum pertinens, nonnunquam id. q. Apulus. Ov. Rem. Am. 797.

Daunius heros, i. e. Turnus. Virg. Aen. XII. 723.

Daunia gens, i. e. Rutuli. Virg. Aen. VIII. 146.

Daunia dea, i. e. Iuturna Nympha, Turni soror. Virg. Aen. XII. 785.

Daunia camoena, i. e. Apula s. Romana; Horatius autem de se ipso loquitur, utpote in Apulia Daunia natus. Hor. Od. IV. 6. 27.

Daunus, -i, fuit antiquissimus Apuliae rex. Hic Illyrica gente oriundus in Italiam venit, pulsisque Ausonibus, regionis partem occupatam a se Dauniam appellavit ibique regnavit; bello autem deinde cum Messapiis exorto, a Diomede adiutus, huic filiam in matrimonium dedit, partemque regni concessit (†). Dicitur *pauper aquae*, quod aridae regionis rex erat. Hor. Od. III.

(*) Cf. *Heyne* ad Virg. Ecl. VI. 79.
(†) De hoc vid. Anton. Lib. C. 31. 37. ibique interpp.

Digitized by Google

30. 11. IV. 14. 26. Ov. Fast. IV. 76. Met. XIV. 458. 510. Vocatur sic etiam unus e Dauni, Apuliae regis, posteris, rex Rutulorum, qui ex Venilia Turnum procreavit. Virg. Aen. X. 616. XII. 22. 934.

Dauni urbs, i. e. Ardea, Virg. Aen. X. 688.

Davus, -i, callidi servi nomen est in Menandri et Terentii comoediis. Hor. Sat. I. 10. 40. II. 5. 91. II. 7. 2. et. al.

Decĭus, -ă, -um, Romanae gentis nomen. Fuerunt autem huius nominis tres insignes: namque *P. Decius Mus* primus e sua gente Consul fuit, et hinc homo novus dicitur (*). Hic vero in bello cum Latinis concitato equo in mediam Latinorum aciem irruit. Prop. III. 9. 64. Filius cum Etruscis, nepos in bello, quod Phyrrhus pro Tarentinis gessit, se pro patria devoverunt. Virg. Ge. II. 169. Aen. VI. 825. Prop. IV. 1. 45.

Deïanīra, -ae, Oenei, Calydoniae regis, ex Althaea filia, de qua Hercules cum Acheloo certamen iniit; ille autem victor eam uxorem duxit. Cum vero Nessus Centaurus aliquando illam Evenum fluvium transveheret et comprimere tentaret, ab Hercule sagittis confossus, mortemque ulturus, sanguinem suum amoris irritamentum Deïanirae indicavit; quod quum illa crederet, postea Herculi, Iŏles amore capto, tunicam, Nessi sanguine tinctam, misit, qua indutus Hercules miserrime periit. Deïanira autem, re audita, ipsa se interfecit. Ov. Her. XI. 131. 146. sqq. Am. III. 6. 38. Met. IX. 9. v. *Hercules*.

Deidamia, -ae, Lycomedis, Scyri insulae regis, filia, ex qua Achilles Pyrrhum procreavit. Ov. Art. Am. I. 704. Prop. II. 7, 54. v. *Achilles*.

Deïonĭdes, -ae, dicitur Miletus, Apollinis e Deïone filius, qui e Cyanee Nympha Caunum et Byblida procreavit. Ov. Met. IX. 442.

Deïopēa, -ae, Nympha marina, Nerei e Doride filia, Cyrenes socia. Virg. Ge. IV. 343. Item pulcherrima e Iunonis Nymphis. Virg. Aen. I. 72. (76.)

Deiphŏbe, -es, Sibylla, Glauci filia, Apollinis atque Dianae sacerdos, Cumis in antro vaticinia dedisse, et Aenean ad inferos duxisse fertur. Virg. Aen. VI. 36 500. v. *Sibylla*.

Deiphŏbus, -i, Priami ex Hecuba filius, omnium Troianorum, Hectore excepto, fortissimus, qui post Paridis mortem Helenam uxorem duxit, et eam ob caussam, Troia capta,

(*) Hor. Sat. I. 6. 20.

Digitized by Google

a Menelao, primo Helenae marito, occisus est. Hor. Od. IV. 9. 22. Virg. Aen. II. 310. VI. 495. sqq. Ov. Her. V. 94. XVI. 360. Fast. V. 537. et al. Prop III. 1. 29.

Delĭa, -ae, fuit Dianae cognomen, v. *Delius*. Tib. IV. 3. 5. Vocatur sic quoque liberta, egregia forma, a Tibullo amata. Tib. II. 57. et saepe. Dicitur sic quoque puella rustica. Virg. Ecl. III. 67. VII. 29. Pseudo-Virg. Cat. I. 1. Ov. Her. IV. 40. Am. III. 9. 31.

Delĭus, -a, -um, in vel ex Delo, vel ad Delum pertinens. Hor. Od. III. 4 64. Virg. Aen. III. 162. Ov. ex Pont. IV. 14. 57. Cat. XXXIV. 14.

Delius vates et *Delius*, i. e. Apollo. Virg. Aen. VI. 12. Ov. Met. V. 329. Tib. III. 4, 78. Et sol sive dies. Tib. III. 6. 8. Vocatur etiam *Delius* unus e Niobes filiis. Ov. Met. VI. 250.

Delia dea s. *diva*, i. e. Diana, cum Apolline in Delo insula nata ibique in primis culta. Hor. Od. IV. 6. 33. Pseudo-Virg. Cul. 109.

Delia folia, i. e. laurea corona; laurus enim Apollini sacra est. Hor. Od. IV. 3. 6.

Dellĭus (Q), -i, varius homo, qui primum Bruti et Cassii, deinde Antonii, partium fuit, et tandem ab hoc ad Octavianum transiit, a quo benigne receptus, multum apud eum gratia valuit, magnisque opibus floruit. Ad brevis vitae voluptatibus fruendum excitatur ab Hor. Od. II. 3. 4.

Delos s. Delus, -i, antea *Asteria* et *Ortygia* dicta, fuit princeps ex Aegaei maris Cycladibus, candidissimo marmore nobilis insula, quae olim errabat natabatque; postquam vero Apollo et Diana, ut fingunt, in ea nati sunt, immobilis facta est, quam ob caussam his sacra erat. Hodie *Sdile* vocatur. Hor, Od. I. 21. 10. Virg. Ge. III. 6; Pseudo-Virg. Cir. 473. Ov. Her. XX. 236. XXI. 66. et al. Prop. IV. 6. 27.

Delphi, -orum, Graeciae in Phocide oppidum, ad Parnasi montis radices, Apollinis templo et oraculo clarum. Hodie *Castri* vocatur. Hor. Od. I. 7. 3. Ep. II. 3. 219. Ov. Her. XXI. 232. Met. IX. 332. et al. Ponitur quoque pro incolis. Cat. LXIV. 393.

Delphĭcus, -a, -um, in vel e Delphis, vel ad Delphos pertinens. Ov. Met. I. 515.

Delphicus, Apollinis cognomen, a Delphis, ubi colebatur. Ov. Met. II. 543. 677. Fast. III. 857.

Delphica Laurus, i. e. Apollinea, s. quae ab Apolline poëtis datur. Hor. Od. III. 30. 15.

Delphica templa, i. e. Apollinis. Ov. Met. XI. 414.

Delphica Pytho, i. e. Delphi. Tib. II. 3. 27. v. *Python*.

Demetrĭus, -i, fuit Roma-

Digitized by Google

nus, qui puellas ad modos cantare docebat. Vocatur *simius*, quia ipse amatoria carmina conscribens Catullum ac Calvum poëtas serviliter imitabatur. Hor. Sat. I. 10. 18. 79. 90. Dicitur sic quoque L. Marcii Philippi servus. Hor. Ep. I. 7. 52. sqq.

Democrĭtus, -i, nobilis Physicus, Abdera oriundus, qui philosophicis studiis intentus patrimonium neglexit; hominum stultitiam risit, et ridendo corrigere studuit. Floruit autem circa Olymp. LXXXIII. a. r. s. A. U. CCCVI. Hor. Ep. I. 12. 12. et II. 1. 194. II. 3. 297.

Demodŏcus, fuit insignis citharoedus, qui in Alcinoi, Phaeacum regis, convivio caecus cytharam pulsavit. Ov. in Ibin 274. Fuit quoque Troianus ex Aeneae sociis, quem in Italia Halesus occidit. Virg. Aen. X. 413.

Demoleŏs, -i, Achivus, ab Aenea ad Troiam interemtus, cuiusque clypeum hic in Italia secundo navalis certaminis victori muneri destinavit. Virg. Aen. V. 260 265.

Demophŏon, -ontis, Thesei, Athenarum regis, e Phaedra filius, ad Troianum bellum profectus est; qua urbe capta quum in patriam redire vellet, tempestate ad Thraciae litus appulsus a Phyllide, Thraciae regina, hospitio exceptus est, cuius deinde amore flagravit. Domum tamen reverti cupiens, certo tempore reversurum se promisit; quum vero promissis non staret, Phyllis ob illius desiderium mortem sibi conscivit, et in amygdalum arborem mutata fertur. Pseudo-Virg. Cul. 130. Ov. Her. II. 1. 25. sqq. Vocatur sic quoque Troianus, qui cum Aenea in Italiam profectus a Camilla occisus est. Virg. Aen. XI. 675. Item Propertii amicus. Prop. II. 18. 2.

Demosthĕnes, -is, celeberrimus Orator Atheniensis, qui, libertatis studiosissimus, sua eloquentia cives ad bellum contra Philippum, Macedoniae regem, gerendum excitavit; tandem veneno sumto periit. Prop. III. 20. 28.

Deōis, -ĭdis, i. e. Proserpina, Deus s. Cereris filia (*). Ov. Met. VI. 114.

Deoĭus, -a, -um, ad Deos s. Cererem pertinens, vel Deo s. Cereri sacer, v. *Deois*.

Dercennus, -i, dicitur antiquissimus Laurentii, Latii urbis, rex, qui vel fictus est, vel cuius memoria deinceps periit. Virg. Aen. XI. 850.

Dercĕtis, -is, dicitur dea, quam Syri iuxta Ascalonis stagnum colebant, superiores corporis

(*) v. Call. Hymn. in Cer. v. 133., ubi Ceres Δηώ vocatur, et ibi Spanh.

Digitized by Google

partes feminae habens, inferiores piscis, in quem mutata fingitur. Huius autem filiam in columbam conversam fabulantur, unde neque pisces neque columbas edebant Syri, easque sacras habebant. Ov. Met. IV. 45.

Deucalĭon, -ōnis, fuit Thessaliae rex, Promethei et Clymenes filius, qui, cum cuncti mortales diluvio aquarum consumti essent, solus cum Pyrrha uxore arcae inclusus incolumis servatus est; consuluerunt ambo deinde Themidem, deam in Parnaso monte, ex cuius responso uterque lapides post se iecit, qui, a Deucalione coniecti, in viros, a Pyrrha autem, in feminas mutati sunt. Virg. Ge. I. 62. Ov. Her. XV. 167. 170. Fast. IV. 794. Met. I. 318. sqq. Prop. II. 23. 109.

Deucalionēus, -a, -um, a Deucalione, vel ad Deucalionem pertinens. Ov. Met. VII. 356.

Dexamĕnus, -i, Oecei filius, Oleni, Achaiae urbis, rex. Hic, ab Eurytione Centauro Mnesimachen vel Deïaniram filiam sibi in matrimonium dare coactus, ab Hercule auxilium petiit, qui Eurytionem interfecit. Ov in Ibin 406.

Dia, -ae, fuit parva insula in mari Aegaeo, haud procul a Creta, Baccho grata. Hodie *Stan Dia* vocatur. Alii vero eandem ac Naxon faciunt, quae antea etiam Diae nomen habuit. Ov. Met. Art. Am. I. 528. VIII. 174. Cat. LXIV. 52. v. *Naxos*.

Diāna, -ae, quae et Phoebe vocatur, Iovis e Latona filia, Apollinis soror, quae, perpetua virginitate a Iove impetrata, viros fugit, et venationis dea est habita, quam ob caussam in Nympharum consortio iuxta flumina, uti et in montibus silvisque, quae etiam ei sacra sunt, versari fertur. Vocatur *triformis* et *triplex* (Ov. Her. XII. 79), utpote quae in terra *Diana*, in coelo *Luna* et *Lucina* habetur, unde et lunaticis furorem iniicere, et parturientibus adesse creditur; in inferis locis denique *Proserpina* s. *Hecate* est, et tanquam magicarum artium praeses a veneficis evocatur. Praecipue autem in Graecia et in Delo insula colebatur, uti et in Taurica Chersoneso, ubi humanae victimae ei mactabantur, unde ab Iphigenia atque Oreste in Italiam translata in Aricino nemore iuxta Romam templum habuit, ubi vates, fatorum arcana edicendi titulo, stipem a consulentibus exigebant. Formosa autem fingitur virgo venatorio habitu, pharetram dorso, manu sagittas et aureum arcum gestans, nonnunquam aureo invecta curru, a quattuor cervis tracto. Hor. Od. III. 22. 2. Epod. V. 51. XVII. 3. Ep. II. 3. 454. Virg. Aen. I. 400. (503.)

Digitized by Google

IV. 511. Ov. Her. XXI. 105. Met. XV. 196. Trist. IV. 4. 64. ex Pont. I. 1. 42. Prop. II. 15. 17. Cat. XXXIV. 1.

Dianĭus, -a, -um, a Diana, vel ad Dianam pertinens.

Diania turba audacius pro canibus usurpatur. Ov. Fast. V. 141.

Dictaeus, -a, -um, in vel e Dicte, vel ad Dicten pertinens, saepe id. q. Cretensis. Fuit autem *Dicte* mons in orientali parte Cretae insulae. Virg. Ecl. VI. 56. Aen. III. 171. IV. 73. Pseudo-Virg. Cir. 300. Ov. Met. III. 2. IX. 716.

Dictaeus rex, i. e. Iupiter, quod in Dictes montis antro educatus fertur. Virg. Ge. II. 536. cf. IV. 152., vel Minos II. Cretae rex. Ov. Met. VIII. 43.

Dictynna, -ae, Dianae cognomen, quod a Britomarti, Nympha ex eius consortio, accepit, utpote quae et ipsa Dictynna cognominata fuit. Pseudo-Virg. Cir. 245. 305. Ov. Met. II. 441. V. 619. Tib. I. 4. 25. v. *Britomartis*.

Dictys, -ўos, fuit unus e Tyrrhenis nautis, qui a Baccho in delphines mutati sunt. Ov. Met. III. 615. Est quoque Centaurus in Perithoi nuptiis occisus. Ov. Met. XII. 334.

Didĭus (T.), -i, L. Caesaris in bello Marsico Praetor, in quo periit. Ov. Fast. VI. 658 (*).

Dido, -us, et -ōnis, quae etiam *Elisa* dicitur, fuit Beli, Phoenices regis, filia. Sychaei coniux, quem quum Pygmalion frater, eius divitiis inhians, crudeliter interfecisset, Dido per somnum caedis conscia facta cum Anna sorore et mariti opibus in Africam aufugit, ibique cum fugae sociis Carthaginem condidit. Quo cum Aeneas, Troia profugus, venisset, benigne receptus est; Dido autem, eius amore capta, infausto omine cum eo coniungitur. Deinde quum Aeneas deorum iussu in Italiam proficisceretur, mortem sibi conscivit. Virg. Aen. I. 299. (303.) et saepe. Ov. Her. VII. 7. sqq.

Didўmae, -arum, fuerunt duae parvae insulae e maris Aegaei Cycladibus, haud longe a Syro sitae (†). Ov. Met. VII. 469.

Didўme, -es, una ex Aeoliis s. Vulcaniis Siculi maris insulis, proxime Liparam, hodie *Salini* dicta. Ov. Fast. IV. 475.

Diespĭter, id. q. Iupiter, quasi diei pater. Hor. Od. I. 34. 5. III. 2. 29.

Digentĭa, -ae, rivus in Horatii Sabinis, qui e Bandusio

(*) Ab aliis *Porcius* hoc loco legitur, et intelligunt L. Porcium Catonem, qui etiam eo in bello cecidit.
(†) Cf. Steph. Byz. in voce Δίδυμα.

Digitized by Google

fonte oriens Mandelam pagum alluit. Hor. Ep. I. 18. 104.

Dindymēne, -es, Cybeles cognomen, a Dindymo, Phrygiae monte, qui Cybeles cultu nobilis fuit. Hor. Od. I. 16. 5.

Dindymēnus, -a, -um, a Dindymo, vel ad Dindymum pertinens.

Dindymenae dominae vaga pecora sunt Cybeles sacerdotes, pecoris more vagantes. Cat. LXIII. 13.

Dindȳmus, s. Dindȳmos, -i, et Dindȳma, -orum, Phrygiae mons, qui cum tota Phrygia Cybelae sacer fuit. Virg. Aen. IX. 618. X. 525. Ov. Fast. IV. 234. 249. et al. Prop. III. 21. 3.

Diogĕnes, v. Cynicus.

Diomēdes, -is, fuit Argorum rex, Tydei, Meleagri fratris, e Deipyle filius, Oenei nepos, Troiam expugnatum profectus ibi multa fortia facinora gessit, Veneremque ipsam, Aeneam defendentem, in manu vulneravit. A Troia autem Argos redux factus, cognitoque Aegialeae uxoris cum Comete adulterio, patriam iterum reliquit, atque post multos errores ad Italiam delatus, Dauno, Apuliae regi, adversus Messapios bellum gerenti, opem tulit, quam ob caussam Evippe, Dauni filia, in matrimonium accepta, et regni parte potitus, Argos Hippium, postea Argyrippam et tandem Arpos dictum, aliasque urbes condidit. Quum vero postea Latinus legatos, qui adversus Aeneam auxilium peterent, ad eum misisset, Diomedes non solum id negavit, sed bellum quoque cum Aenea componendum magnopere suasit, omnes Graecos, ad Troiam oppugnandam profectos, poenas dedisse, suosque comites, invita Venere ad id bellum proficisci cupientes, ab irata dea in aves mutatos docens. Hor. Sat. I. 5. 92. I. 7. 16. Ep. II. 3. 146. Virg. Aen. I. 752. (756.) et al. Ov. Her. IX. 67. Met. XIII. 100. sqq.

Alter *Diomedes*, Bistonum in Thracia rex, Tindae quattuor equas, quae advenarum corporibus, in frusta concisis, alerentur, habuisse traditur. Hercules, ut has equas Eurysthei iussu adipisceretur, ipsum Diomedem iis obiecit, bestiarumque fame expleta carne viri, qui primus eam illis edendam dederat, eas interfecit. Ov. Her. IX. 67. Met. IX. 196.

Diomedis urbs, i. e. Arpi. Virg. Aen. VIII. 9. Ov. Met. XIV. 457.

Diomedēus, -a, -um, a Diomede, vel ad Diomedem pertinens. Ov. Met. XV. 806.

Dionaeus, -a, -um, a Dione s. Venere, vel ad Dionen s. Venerem pertinens, Veneri facer. Hor. Od. II. 1. 39.

Digitized by Google

Dionaeus Caesar, i. e. Iulius Caesar, a Venere oriundus: referebat enim genus ad Aenean, Veneris filium. Virg. Ecl. IX. 47.

Dionaea mater, i. e. Venus. Virg. Aen. III. 19.

Diōne, -es, Nympha, Oceani et Tethyos filia, (*) quae ex Iove Venerem procreasse a nonnullis fertur. Ponitur tamen plerumque pro ipsa *Venere*. Ov. Am. I. 14. 33. Art. Am. III. 3. et al. Fast. V. 309. Cat. LVI. 6.

Diōres, -is, Troianus, Priami filius, quem cum Aenea in Italiam profectum Turnus interfecit, einsque caput abscissum in curru suspendit. Virg. Aen. V. 297. XII. 509.

Dirae, -arum, Furiarum nomen. Virg. Aen. IV. 610. v. *Furiae*.

Dircaeus, -a, -um, a Dirce, vel ad Dircen pertinens, saepe id. q. *Boeotius*, vel *Thebanus*. Virg. Ecl. II. 24. Prop. III. 15. 33.

Dircaeus cygnus, i. e. Pindarus, Thebanus poëta. Poëtae enim cum cygnis, avibus Apollini sacris, et quae ceteris cantu excellere a Veteribus fingebantur, comparari solent (§). Hor. Od. IV. 2. 25.

Dirce, -es, Lyci, Thebarum regis uxor, quam Amphion et Zethus ob matrem Antiopen, misere ab ea cruciatam, fero tauro alligarunt et interfectam in fontem coniecerunt, qui inde *Dirce* fuit dictus. Prop. III. 13. 11. et al. Fuit autem hicce fons haud procul a Thebis. Ov. Met. II. 239.

Dis, -itis, id. q. Pluto, quasi dives, quia et recidant omnia in terras, et oriantur e terris (†). Virg. Ge. IV. 467. 519. Aen. IV. 702. et al. Prop. III. 21. 4.

Ditis domina, i. e. Proserpina. Virg. Aen. VI. 397.

Ditis aqua, i. e. Styx. Tib. III. 1. 28.

Dodōna, -ae, Molossidis in Epiro urbs, vetustissimis temporibus a Chaonibus inhabitata, apud quam nobilissimae quercuum silvae fuerunt, in quibus templum atque oraculum Iovis exstitit, qui inde *Dodonaeus* cognominatus est. Virg. Ge. I. 149. Ov. Trist. IV. 10. 43. Prop. II. 17. 3.

Dodonaeus, -a, -um, e Dodona, vel ad Dodonam pertinens. Ov. Met. VII. 623.

Dodonaei lebetes, i. e. ex aere optimo confecti, quales Do-

(*) Hom. Il. s. 370. Apoll. I. 3. 1.
(§) Cf Callim. Hymn. in Apoll. 5. et in Del. 250. ibique Spanh.
(†) Cic. Nat. Deor. II. 26.

Digitized by Google

donae in Iovis templo reperiebantur. Virg. Aen. III. 466.

Dodōnis, -ĭdis, quae in vel e Dodona est, vel ad Dodonam pertinet. Ov. Met. XIII. 716.

Dodonis Thyene, i. e. una e Nymphis; quae in Dodonaeo nemore commorabantur. Ov. Fast. VI. 711.

Dolon, -ōnis, Troianus, Eumedis filius, qui quum, noctu Graecorum exercitum exploraturus, Achillis equos atque currum mercedis loco sibi pactus esset, ab Ulysse ac Diomede deprehensus, et explorandi consilia confessus est. His autem, ei vitam et incolumitatem promittentibus, ea lege, ut nihil eorum, de quibus interrogaretur, occultaret, omnia, quae scire vellent, enarravit, quo facto ipsum contra fidem datam interfecerunt. Virg. Aen. XII. 347. Pseudo-Virg. Cul. 327. Ov. Her. I. 39. Art. Am. II. 135. Met. XIII. 98. 244.

Dolŏpes, -um, Thessaliae populus in Epiri confinio, qui cum Pyrrho, Achillis filio, ad bellum Troianum profectus est. Virg. Aen. II. 7. 29. sqq.

Donūsa, -ae, (*) parva insula haud procul a Rhodo, una ex Sporadibus. Virg. Aen. III. 125. Pseudo-Virg. Cir. 476.

Dorĭcus, -a, -um, a Doribus, vel ad Dores pertinens, id. q. Graecus. Narrantur autem cum Graecis ad Troiam fuisse Dores. Virg. Aen. II. 27. VI. 88. Ov. Her. XVI. 370. Prop. II. 7. 20.

Doris, -ĭdis, Graeciae regio, Aetoliae et Phocidi confinis. Ponitur pro *universa Graecia*. Pseudo-Virg. Cul. 335.

Doris, -ĭdis, Nympha marina, Oceani e Tethye filia, quae Nereo fratri atque coniugi quinquaginta filias, Nereides dictas, peperit. Ov. Met. II. 268. Prop. I. 17. 25. Ponitur non raro pro ipso mari. Virg. Ecl. X. 5. Ov. Fast. IV. 678. Met. I. 11. II. 269. XIII. 742. Est etiam nomen puellae. Prop. IV. 7. 72.

Dorĭus, -a, -um, id. q. Doricus.

Dorium carmen, i. e. grave, ad bellicam virtutem incitans, opponiturque *barbaro*, i. e. Phrygio, quod effrene erat, et quo ad laetitiam efferebantur animi; illo autem ipsam pugnam, hoc victoriam indicasse atque repraesentasse videtur Horatius. Epod. IX. 6.

Doroxanium, -i, est vel puellae, vel fluminis cuiusdam auriferi corruptum nomen. Prop. IV. 5. 21.

(*) Alii male *Donysam*; est enim Graece Δονοῦσα, quam lectionem veram vindicat Heyne l. l.; cf. et Voss. Obss. ad Pomp. Mel. II. 7. 94.

Digitized by Google

Dorus. Prop. III. 7. 44. lege *Cous* q. v.

Dorўlas, -ae, unus e Persei sociis, ab Halcyoneo occisus, Ov. Met. V. 129. Sic quoque dicitur Cer taurus, quem Peleus in Perithoi nuptiis interemit. Ov. Met. XII. 380.

Dosithŏ ĕ, -es, vir quidam, cuius pater a Iove fulmine percussus traditur. Ov. in Ibin 472.

Dossennus s. Dorsennus, -i, antiquus Romanus poëta comicus, incertae tamen aetatis, cuius scripta perierunt. Hor. Ep. II. 1. 173.

Doto, -us, marina Nympha, una e quinquaginta Nerei et Doridis filiabus. Virg. Aen. IX. 102.

Drances, -is, et -ae, Latinus senex eloquens, Turno admodum infensus. Virg. Aen. XI. 122. 220. 336. 378. 443.

Drepănum, -i, fuit oppidum cum ingenti portu Siciliae, haud procul ab Eryce monte; hodie *Trapani*. Virg. Aen. III. 707.

Druso, Hor. Sat. I. 3. 86. Rectius pro eo legitur *Ruso*, q. v.

Drusus, Claudius Nero Germanicus, -i, Tib. Claudii Neronis e Livia Drusilla filius, Tib. Caesaris frater, qui ab Augusto vitrico cum exercitu in Germaniam missus Rhaetos in Tridentino agro ad Alpium radices fugavit; deinde quum hi ab Italia repressi cum Vindelicis Galliae Togatae immineret, cum Tiberio fratre, ei operis adiutore dato, utrumque populum perdomuit; ibi autem equi lapsu crure fracto, et inde mortuus, a senatu Romano Germanici cognomine honoratus est, quod nomen postea *Germanicus Caesar*, eius filius, a Tiberio adoptatus, gessit. Hor. Od. IV. 4. 18. IV. 14. 10. Ov. Fast. I. 12. 597. ex Pont. II. 2. 74. et al.

Drusi sunt fortasse C. Livius Drusus, qui a Drauso, Gallorum duce, caeso primus hoc cognomen meruit; M. Livius Drusus, qui secundo bello Punico Hasdrubalem vicit et interfecit; M. Livius Drusus Tribunus pl., aliique huius nominis clari. Virg. Aen. VI. 825.

Dryădes, -um, fuerunt arborum atque silvarum Nymphae, et ab Hamadryadibus hoc modo diversae, ut non una cum excisa arbore morerentur, ut Hamadryades. Virg Ecl. V. 59. Ge. I. 11. 340. et al. Ov. Her. IV. 49. Fast. IV. 761. et al. Prop. I. 20. 12. v. *Hamadryades*.

Dryantīdes, -ae, i. e. Lycurgus, Thraciae rex, Dryantis filius. Ov. in Ibin 357.

Dryas, -antis, Martis vel Iăpeti filius, unus e Calydonii apri venatoribus. Ov. Met. VIII. 307. Vocatur sic etiam fortis Lapitha, qui in Perithoi nuptiis

Digitized by Google

Rhoetum aliosque Centauros necavit. Ov. Met. XII. 290. sqq.

Drymo, -us, Nympha marina e Cyrenes, Aristaei matris, comitibus, Nerei e Doride filia. Virg. Ge. IV. 336.

Dryŏpe, -es, Euryti filia, Oechalia urbe oriunda, Ioles soror, ex Apolline Amphissum suscepit, deinde Andraemoni nupta, quum e loto arbore ramum decerpsisset, in quam Lotis nympha antea erat mutata, in eandem arborem conversa narratur. Ov. Met. IX. 331. sqq. Dicitur sic etiam nympha, quae e Fauno Tarquitum procreavit. Virg. Aen. X. 551.

Dryŏpes, -um, fuerunt populus, qui in Thessaliae et Epiri confinio Pindum montem incoluisse videntur. Virg. Aen. IV. 146.

Dryops, -ŏpis, unus ex Aeneae amicis in Italia, quem Clausus, Sabinorum dux, interfecit. Virg. Aen. X. 346. Est quoque unus e Dryopibus. Ov. in Ibin 490.

Dulichĭum, -i, et Dulichia, -ae, fuit parva et sterilis insula, e maris Ionii Echinadibus una, contra Acheloi fluminis ostia, haud procul ab Ithaca, cum qua ad Ulyssis regnum pertinuit. Virg. Aen. III. 271. Ov. Trist. I. 5. 67. Prop. II. 11. 4.

Dulichĭus, -a, -um, ad Dulichium insulam, vel ad Ulyssem pertinens. Virg. Ecl. VI. 16. Pseudo-Virg. Cir. 60. Ov. Rem. Am. 699. Met. XIII. 107. et al. Prop. II. 2. 59.

Dulichius dux, s. *iuvenis* i. e. Ulysses, Dulichii insulae rex. Ov. Met. XIV. 226. Prop. II. 17. 13.

Dulichiae manus, i. e. Ulyssis. Ov. Met. XIII. 425.

Dulichium palatum, i. e. sociorum Ulyssis, qui quum in Meninge insula loti arboris fructus gustassent, illius dulcedine capti reditusque obliti, vi ad naves reverti cogebantur. Ov. Trist. IV. 1. 31.

Durrachium, -i, Illyriae urbs ad mare Adriaticum, mercatura admodum florens, unde *Adriae taberna* vocatur. Hodie *Durazzo*. Cat. XXXVI. 15.

Dymantis, -ĭdis, i. e. Hecuba, Dymantis filia (*). Ov. Met. XIII. 620.

Dymas, -antis, Troianus, in Troiae expugnatione occisus. Virg. Aen. II. 340. 394. 428. Vocatur sic etiam Hecubae, Priami uxoris, pater. Ov. Met. XI. 761.

Dyraspes, -is, dicitur Scythiae fluvius, de cuius tamen situ Geographi tacent. Ov. ex Pont. IV. 10. 53.

Dyrrachium v. *Durrachium*.

(*) Dicitur ab aliis *Cisseus*, Hom. Il. Σ. v. 718. Apoll. III. 12. 5. unde Hecuba *Cisseis* vocatur. Virg. Aen. VII. 320. X. 705.

Digitized by Google

E.

Echidna, -ae, monstrum, quod, e Chrysaore et Callirhoë ortum, e Typhaone Cerberum, Lernaeum anguem, aliaque monstra procreasse fingitur. Ov. Met. IV. 500. Vocatur sic quoque Lernaea hydra, quam Hercules interfecit. Ov. Fast. V. 405. Met. IX. 69. 158. v. *Lernaeus anguis*.

Echidnēus s. Echidnaeus, -a, -um, ab Echidna, vel ad Echidnam pertinens.

Echidnea canis est Cerberus. Ov. Met. VII. 408.

Echinădes, -um, dicuntur quinque parvae insulae in Ionio mari ante Acheloi fluminis ostia. Fabulantur autem, Echini filias, Naides, quodam tempore ruris diis ad sacra vocatis, Acheloum oblitas, eam ob caussam ab hoc irato in totidem insulas esse mutatas, quae hodie *Cursolares* vocantur. Ov. Met. VIII. 588.

Echĭon, -ŏnis, Penthei pater, ex Agave, Cadmi filia. Fuit autem ex illis, qui e serpentis dentibus, a Cadmo satis, orti sunt; quum vero hi terrigenae mutuis ictibus periissent, Palladis iussu cum quattuor e reliquis superstes Echion Cadmi in Thebis condendis adiutor fuit. Ov. Met. III. 126. 526. Ab hoc diversus est *Echion* Arcas, Mercurii filius, cursu nobilis, Apri Calydonii venator, qui deorum Matri templum exstruxit. Ov. Met. VIII. 311. X. 686.

Echionĭdes, -ae, i. e. Pentheus, Echionis ex Agave filius. Ov. Met. III. 513.

Echionĭus, -a, -um, ab Echione Arcade, vel ad Echionem Arcadem pertinens. Ov. Met. VIII. 345.

Echioniae arces sunt Thebae, a Cadmo, Echione adiutore, conditae. Ov. Trist. V. 5. 53. cf. Hor. Od. IV. 4. 64.

Echionius quoque vocatur Onytes, Echionis cuiusdam et Peridiae filius. Virg. Aen. XII. 515.

Echo, -us, nympha, quae cum garrulitate Iunonem impediret, quominus Iovem adulterantem deprehendere posset, dea irata, ut ex auditis ultima tantum verba referret, effecisse dicitur; deinde a Narcisso, quem amabat, spreta, dolore extabuisse et in lapidem conversa narratur, ita tamen, ut vox sine corpore in montibus atque antris remanserit. Ov. Met. III. 358.

Edōnis, -ĭdis, id. q. femina e Thracia. Ov. Met. XI. 69.

Edōnus, -a, -um, in vel ex

Digitized by Google

Edonis, ad Edonos pertinens, id. q. Thracius. Fuerunt autem *Edoni* Thraciae gens, Strymonis fluminis accola (*), quae, ut omnes Thraces, vino largius indulgebat, et Bacchi cultu nobilis ferebatur; unde Bacchus quoque *Edonus* cognominatus est. Hor. Od. II. 7. 27. Virg. Aen. XII. 365. Ov. Rem. Am. 593. Trist. IV. 1. 42. Prop. I. 3. 5.

Eetĭon, -ōnis, rex Thebarum, urbis Mysiae Minoris sub monte Placio, Andromaches pater, ab Achille, cum Troiano bello Thebae caperentur, cum septem filiis interfectus. Ov. Fast. IV. 280. Trist. V. 5. 44.

Eetiōnēus, -a, -um, ab Eetione, vel ad Eetionem pertinens.

Eetioneae Thebae, i. e., quibus Eetion imperabat. Ov. Met. XII. 110.

Egerĭa, -ae, nympha, quae in Aricinae vallis silva degebat, et in antro apud Capenam portam cum Numa Pompilio, secundo Romanorum rege, cuius coniux fingitur, nocturnos congressus habuisse, eique leges et sacra, quae populo Rom. traderet, dedisse fertur; post mariti autem mortem a Diana, adsiddo eius luctu mota, in sui nominis fontem est mutata, Hor. Sat. I. 2. 126. Virg. Aen. VII. 763. 775. Ov. Am. II. 17. 18. Fast. III. 154. 275. Met. XV. 547.

Egnatius, -i, homo insulsus, quem perstringit Cat. XXXIX.

Elaeus. v. Eleus.

Elatēĭus, -a, -um, ab Elato originem ducens, vel ad Elatum, Caenidis s. Caenei patrem, pertinens. Ov. Met. XII. 189. 497.

Electra, -ae, Agamemnonis e Clytaemnestra filia, Iphigeniae soror, quae Orestem fratrem infantem, cum Aegisthus adulter et Clytaemnestra eum interimere vellent, sustulit, et Strophio in Phocide custodiendum tradidit; deinde Oresti in Aegistho interficiendo adiutrix, Pyladi, sincero Orestis amico, nupsit. Sophocles et Eurypides hoc titulo tragoedias scripserunt, quas etiam nunc habemus. Hor. Sat. II. 3. 140. Ov. Trist. II. 395. Prop. II. 11. 5. Est quoque hoc nomine Atlantis et Pleiones filia, quae e Iove adultero Dardănum, primum Troianorum regem, e Corytho marito Iasium, peperit. Virg. Aen. VIII. 135. Ov. Fast. IV. 31. VI. 42.

Elēis, -ĭdis, quae ex Elide est, vel ad Elidem pertinet. Pseudo-Virg. Cat. XI. 32.

Eleleĭdes, -um, dicuntur Bacchae a voce *Elele*, quam in Bacchi orgiis exclamabant Bacchantes

(*) Perperam alii hos ad Hebrum sedem habuisse putarunt, v. Steph. Byz., ibique interp.

Digitized by Google

faminae. Ov. Her. IV. 47.

Elĕleus, -ĕi, Bacchi cognomen. Ov. Met. IV. 15. v. *Eleleides.*

Elēus, -a, -um, in vel ex Elide, vel ad Elidem pertinens, id. q. Olympicus. Vig. Ge. III. 202. Ov. Her. XVIII. 166. v. *Elis.* Prop. I. 8. 26.

Eleus carcer, i. e. Olympiacus. Tib. I. 4. 32.

Elea palma, i. e. victoria in ludis Olympicis. Hor. Od. IV. 2. 16. v. *Olympiacus.*

Eleae undae s. *Eleum flumen*, i. e. Alpheus. Ov. Met. V. 487. 576.

Eleusīnus, -a, -um, in vel ex Eleusine, vel ad Eleusinem pertinens.

Eleusina mater, i. e. Ceres, cuius sacra in illa urbe celebrabantur. Virg. Ge. I. 163.

Eleusis et Eleusin, -īnis, Atticae urbs maritima inter Megaram oppidum et Pyraeeum, Athenarum portum, in qua in Cereris honorem Thesmophoria s. Eleusina sacra summa religione celebrari solebant; hodie *Lessina* vocatur. Ov. Her. IV. 67. Fast. IV. 507.

Elĭas, -ădis, quae ex Elide est, vel ad Elidem pertinet.

Eliadum equarum palmae, h. e. praestantissimae equae, in Olympiacis ludis prope Elidem cursu victoriam adipisci solitae. Virg. Ge. I. 59.

Elicĭus, -i, est Iovis cognomen, quia Faunus Picusque Numae rogatu eum coelo elicuisse dicuntur, ut fulminis missu piandi ritum docerentur. Ov. Fast. III. 328.

Elis, -ĭdis, et -is, Peloponnesi urbs in eiusdem nominis regione, cuius in vicinia Olympici ludi fiebant. Urbs non amplius superest, verum regio hodie *Belvedere* dicitur. Virg. Aen. III. 694. Ov. Met. II. 679. V. 494. Prop. I. 8. 36. v. *Olympiacus.*

Elidis amnis, i. e. Alpheus. Ov. ex Pont. II. 10 27.

Elidis urbs, i. e. Salmone, urbs in Elide prope Pisam, a Salmoneo rege condita. Virg. Aen. VI. 588. v. *Salmoneus.*

Elissa s. Elīsa, -ae, dicitur Dido, Carthaginis regina. Virg. Aen. IV. 335. 610. V. 3. Ov. Her. VII. 102. 193. et al. v. *Dido.*

Elorĭus, v. Helorius.

Elōrus, v. Helorus.

Elpēnor, -ŏris, unus ex Ulyssis sociis, qui cum ceteris a Circe in porcum mutatus est, et deinde, priore forma recepta, inebriatus de scalis delapsus misere interiit. Ov Trist. III. 4. 19. Met. XIV. 252. in Ibin 487.

Elysĭum, -i, fingitur locus in inferis, felicitatis plenus, amoenis quippe viretis consitus, inter quae garruli rivi labuntur, coelum nullis unquam nubibus

Digitized by Google

obductum est, lux nulla nocte intercipitur; ubi piorum animae ab iis, quae puniuntur, separatae, gaudium, ad heroum vitam adumbratum, perpetuo percipiunt. Virg. Aen. V. 735. VI. 542. 744.

Elysĭus, -a, -um, ad Elysio, vel ad Elysium spectans. Virg. Ge. I. 38. Pseudo-Virg. Cul. 259. Ov. Am. II. 6. 49. III. 9. 60. et al. Tib. I. 3. 58. et al. Prop. IV. 7. 60.

Emathĭa, -ae, praestantissima Macedoniae regio inter Pelagoniam et Thessaliam. Virg. Ge. IV. 390. Non raro tamen latius a poëtis pro tota Macedonia et Thessalia, immo pro Pharsalia, ponitur. Virg. Ge. I. 492. v. *Emathius.*

Emathĭdes, -um, sunt Pierides s. Pieri, Macedoniae regis, ex Evippe novem filiae. Ov. Met. V. 669. v. *Pieros.*

Emathĭon, -ōnis, Troianus, quem Liger in bello, ab Aenea adversum Turnum gesto, occidit. Virg. Aen. IX. 571. Item Senex quidam, cui in Persei nuptiis Chromis, dum ille aram tenet, caput ense demetit. Ov. Met. V. 100.

Emathĭus, -a, -um, in vel ex Emathia, vel ad Emathiam pertinens, i. q. Thessalus. Ov. Met. XII. 462. XV. 824. Cat. LXIV. 325. v. *Emathia.*

Emathius vertex, i. e. Pelion, Thessaliae mons, Pseudo-Virg. Cir. 34.

Emathius dux, i. e. Alexander, Macedoniae rex. Ov. Trist. III. 5. 39.

Emathii campi sunt Macedonici. Ov. Met. V. 313.

Empedŏcles, -is, poëta ac philosophus, Agrigento, Siciliae urbe, oriundus, Pythagorae discipulus, qui elementorum discordem concordiam statuit, i. e. omnia elementorum concordia constare, discordia dissolvi. Ut vero se immortalitatis participem factum hominibus persuaderet, in Aetnae craterem clam se coniecit; sed eius ferreae crepidae, ignis impetu iectae, dolum aperuerunt. Hor. Ep. I. 12. 20. II. 3. 465.

Enaesĭmus, -i, fuit unus e duodecim Hippocoontis filiis, in Calydonii apri venatione ab ipsa fera occisus. Ov. Met. VIII. 362.

Encelădus, -i, Tartari e Terra filius, Coei et Famae frater, fuit unus e Gigantibus, qui coelum adscendere conati, a Iove fulmine percussi et Aetnae monti subiecti sunt; unde quoties se movet, totam Siciliam tremefacere, et ipse ignem spirare fingitur. Hor. Od. III. 4. 56. Virg. Aen. III. 578. IV. 179. Ov. Am. III. 12. 27. ex Pont. II. 2. 11. et al. Prop. II. 1. 39.

Endymĭon, -ōnis, Aethlii e Calyce filius, qui tam formosus fuisse fertur, ut eum Luna adamans in Latmo, Cariae monte,

Digitized by Google

dormientem oculata fuerit. Ov. Her. XVIII. 63. Art. Am. III. 83. Prop. II. 12. 15.

Enipeus, -ĕi, parvus Thessaliae fluvius, qui ex Olympo monte ortus Pharsalam urbem alluit, et Apidano mixtus in Peneum defluit. Virg. Ge. IV. 368. Ov. Met. I. 579. Fabulantur autem, Enipeum a Tyrone, Salmonei filia, adamatum fuisse, quae dum quereretur in eius ripa sedens, Neptunus, Enipei forma adsumta, ex ea Pelian et Neleum suscepit. Ov. Am. III. 6. 43. Met. VI. 116. Prop. III. 17. 13. Est quoque Romani adolescentis nomen, qui natandi equitandique artibus eximius fuit. Hor. Od. III. 7. 23.

Enna, v. Henna.

Ennaeus, v. Hennaeus.

Ennĭus (Q.), -i, Rudiis, Calabriae urbe, A. U. DXIV. natus, a Catone Quaestore Romam est perductus; fuitque poëta epicus, tragicus et satyricus, vir summi ingenii, sed incomtae orationis, qui Pythagorae animam in se transiisse affirmabat: principibus illius temporis viris gratissimus, Romanam sermonem novis verbis ditavit, Scipionemque Africanum carmine epico, quod de bello Punico secundo confecerat, celebravit; praeterea plurima conscripsit, quae omnia praeter fragmenta quaedam longa vetustate perierunt. Hor. Sat. I. 10. 54. Ep. I. 19. 7. et al. Ov. Am. I. 15. 19. Trist. II. 423. Prop. III. 2. 6. IV. 1. 61.

Entellus, -i, Siciliae heros, qui in certaminibus, ab Aenea in Anchisae mortui honorem institutis, pugilatu Daretem vicit. Virg. Aen. V. 387. sqq.

Eos, Graecis eadem, quae Latinis *Aurora*, q. v.

Eōus, -a, -um, ad Auroram vel orientem spectans, orientalis, Hor. Od. I. 35. 31. Epod. II. 51. Virg. Aen. I. 489. (493.) Tib. II. 2. 16. Est quoque id. q. *Lucifer*. Virg. Ge. I. 288. Aen. III. 588. XI. 4. Item pro *orientis plaga* ponitur. Ov. Trist. IV. 9. 22. Tandem sic dicitur unus e quattuor equis, quos Sol currui iungere fingitur. Ov. Met. II. 153.

Eoa unda, i. e. mare orientem versus. Cat. XI. 3.

Eoum gelu i. e. matutino tempore. Prop. I. 16. 24.

Eoi lapilli sunt gemmae. Prop. I. 15. 7.

Eoi sunt Troiani. Prop. II. 2. 53.

Eoae Atlantides, i. e. mane occidentes. Virg. Ge. I. 221. v. *Pleias*.

Epăphus, -i, fuit Aegypti rex, Iovis et Ius filius, qui Phaëthonti, quem Solis filium esse negabat, mortis caussa fuit. Ov. Met. I. 748.

Epēus et Epēos, -ĕi, artificis nomen, qui, monente Mi-

Digitized by Google

nerva, equum mirae magnitudinis ligneum Graecis ad Troiam aedificavit, quo cum multis inclusus a Troianis intra moenia tractus est. Virg. Aen. II. 264. Ov. Fast. III. 825.

Ephĕsus, -i, Ioniae urbs maritima ad Caystrum flumen, totius Asiae Minoris nobilissima, et Dianae templo in primis insignis, quippe quod totius Asiae impensis, et ducentorum viginti annorum opere exstructum fuit; hodie eodem loco est urbs, quae a Turcis *Aiasalouk* dicitur. Hor. Od. I. 7. 2.

Ephialtes, -ae, Gigas, Aloëi, vel potius Neptuni, ex Iphimedia filius, Oti frater, quocum coelum adscendere studens a Diana et Apolline sagittis confossus est. In Tartaro uterque serpentibus columnae alligatus fingitur. Pseudo-Virg. Cul. 234.

Ephyraeus et Ephyrēius, -a, -um, id. q. Corinthius. Virg. Ge. II. 464. Ov. Art. Am. I. 335. Prop. II. 5. 1.

Ephȳre, -es, antiquum Corinthi urbis nomen, quod traxisse videtur ab *Ephyre* nympha, Nerei e Doride filia, Cyrenes, Aristaei matris, socia. Virg. Ge. IV. 343. Ov. Her. XII. 27. Met. II. 240. VII. 391.

Epicharmus, -i, fuit Siculus philosophus, Pythagorae discipulus et poëta comicus Graecus, qui cum Plauto comparatur. Eius scripta perierunt. Hor. Ep. II. 1. 58.

Epicūrus, -i, philosophus, in Gargetto, pago prope Athenas, natus, voluptatem, quae, secundum nonnullos, corporis sensibus, vel uti aliis videtur, animo percipitur, summum bonum putavit; unde illi hominem moribus dissolutum, hi honestum et frugi fuisse tradiderint. Floruit autem Olymp. CXX. s. A. U. CCCCLIV. Horatius cavillans de Epicuri grege porcum se vocat, tanquam corpus curans, voluptatique indulgens. Ep. I. 4. 16. Prop. III. 20. 26.

Epidaurĭus, -a, -um, in vel ex Epidauro, vel ad Epidaurum pertinens. Hor Sat. I. 3. 27. Ov. Met. VII. 436. XV. 643.

Epidaurius et *Epidaurius deus* i. e. Aesculapius, Medicinae praeses; qui sic dicitur, quod Epidauri, urbe Peloponnesi, vel serpentis forma, vel baculo, cui serpens circumvolutus erat, innixus colebatur. Ov. Met. XV. 723. et al. Prop. II. 1. 63. v. *Coronides*.

Epidaurus, -i, Argolidis in Peloponneso urbs ad Saronicum sinum, Aesculapii cultu nobilis, et ob pascua equis nutriendis apprime apta; hodie dicitur *Malvasia*. Virg. Ge. III. 44.

Epimēthis, -ĭdis et -ĭdos, i. e. Pyrrha, Epimethi filia, Deucalionis uxor. Fuit autem *Epimēthus* Iapeti filius, Prometheī

Digitized by Google

frater. Ov. Met. I. 390.

Epīros, -i, Graeciae regio inter Macedoniam, Thessaliam et Ionium mare, quae, quod herbosis pascuis abundabat, equos bovesque praestantissimos alebat. Hodie vulgo *Canina* s. *Iannina* vocatur. Virg. Ge. I. 59. III. 121. et al. Ov. Met. VIII. 283. et al.

Epȳtos, -i, fuit septimus Albae Longae rex (*). Ov. Met. XIV. 613. Fast. IV. 44.

Epōpeus, -ĕi, unus e Tyrrhenis nautis, qui a Baccho in delphines mutati feruntur. Ov. Met. III. 619.

Epytȳdes, -ae, i. e. Periphas, Epyti filius, Ascanii custos et comes. Virg. Aen. V. 547. 579.

Epȳtus, -i, Troianus fortissimus, Periphantis pater. Virg. Aen. II. 340.

Equirȳa, -ium, et -orum, fuerunt festa, quae quotannis extremo mense Februario in Martis honorem in Campo Martio, aut, si Tiberis super ripas effusus eum occupasset, in Coelii montis campo equorum cursu celebrari solebant. Ov. Fast. II. 859. III. 519.

Erasīnus, -i, Arcadiae fluvius, qui e Stymphalide palude exortus, terram subit atque, rursus in Argolide e terra erumpens, in sinum Argolicum effunditur; hodie *Rasino*. Ov. Met. XV. 276.

Erāto, -us, dicitur una e novem Musis, quae amatoriae rei praeest. Ov. Art. Am. II. 16. 425. Fast. IV. 195. 349. Ponitur autem pro quavis Musa. Virg. Aen. VII. 37.

Erebēus, -a, -um, ad Erebum s. Tartarum pertinens. Ov. in Ibin. 229.

Erĕbus, -i, est unus e Tartari diis, Chaos filius. Virg. Aen. IV. 510. Ov. Met. XIV. 404. Saepe tamen pro interioribus tenebricosisque Tartari locis sumitur. Virg. Ge. IV. 471. Aen. IV. 26. et al. Ov. Met. X. 76.

Erebi regina, i. e. Proserpina, Plutonis uxor. Ov. Met. V. 543.

Erechtheus et Erichtheus, -ĕi et -ĕos, fuit Atheniensium rex, Pandionis filius, Erechthionis nepos, ex Praxithea Creusam, Procrin, Orithyiam aliosque liberos, procreavit. Ov. Met. VI. 677. 697. 701.

Erechthēus et Erichthēus, -a, -um, ab Erechtheo, vel ad Erechtheum spectans, id. q. Atheniensis. Pseudo-Virg. Cir. 22. Ov. Fast. V. 204.

Erechthīdae, -arum, vocantur Athenienses ab Erechtheo rege. Ov. Met. VII. 430.

Erechthis, -ĭdis, i. e. Orithyia, Erechthei filia, a Borea s. Aquilone rapta et in Thraciam

(*) Vocatur *Atys* a Liv. Hist. I. 3.

Digitized by Google

abducta. Ov. Her. XVI. 343. Met. VII. 726.

Erētum, -i, fuit vicus s. oppidum Sabinorum in monte situm, hodie *Monte rotondo* dictum. Virg. Aen. VII. 711.

Erichtho, -us, saga quaedam in Thessalia, cuius opera Pompeii Magni filius ad belli fata exploranda usus est. Ov. Her. XV. 139.

Erichthonĭus, -i, fuit Troiae rex, Dardani e Batia filius, qui ex Astyoche uxore, Simoëntis filia, Troëm filium genuit. Ov. Fast. IV. 31. Dicitur etiam sic Vulcani filius, sine matre natus, qui draconis pedes habuisse fertur; Minerva autem, ut fabula est, eum suscepit, et cistula inclusum Pandroso, Hersae et Aglauro, Cecropis filiabus, custodiendum commendavit; deinde vero Atheniensibus regem dedit. Pasithea autem nympha uxore ducta Pandionem, Erechthei patrem, procreavit. Ad pedum deformitatem tegendam primus currus usum instituisse traditur. Virg. Ge. III. 113. Ov. Met. II. 553. IX. 423. ex Pont. II. 9. 20. Trist. II. 295.

Erichthonĭus, -a, -um, ab Erichthonio, vel ad Erichthonium pertinens, plerumque id. q. Atheniensis. Pseudo-Virg. Cul. 29. 335. 343. Prop. II. 5. 4.

Eridănus, -i, est idem flumen, quod Latino vocabulo *Padus* postea dictum est. In eum Phaëthontem, cum patris currum male rexisset, fulmine a Iove ictum, decidisse fabulantur. Virg. Ge. I. 482. IV. 372. Ov. Met. II. 324. 372. Prop. I. 12. 4. v. *Padus*. Eo nomine fingitur etiam flumen apud inferos in Elysiis campis. Virg. Aen. VI. 659.

Erigŏne, -es, Icarii s. Icari Atheniensis filia, a Baccho, in uvam mutato, compressa Staphylum edidit. Postea vero patrem, a pastoribus vino ebriis occisum, canis Maerae, qui eum comitabatur, indicio invenit, cuius mortem sic luxit, ut prae dolore se suspenderet; sed horum sortis misertus Iupiter omnes inter sidera retulit, ubi Erigone *Virgo*, Icarus *Bootes* vel *Arcturus*, Canis *Procyon* s. *Antecanis*, vocantur. Virg. Ge. I. 33. Ov. Met. VI. 125. X. 451. Tib. IV. 1. 11.

Erigonēĭus, -a, -um, ab Erigone, vel ad Erigonem spectans.

Erigonēĭus canis, i. e. Antecanis, coeleste sidus, in quod canis Maera mutatus fingitur. Ov. Fast. V. 723. v. *Erigone* et *Procyon*.

Erimanthis, Erimanthus, rectius Erym. q. v.

Erinne, -es, poëtria Graeca, Sapphoni coaeva et amica. Prop. II. 2. 32.

Erinnys, -yos, id. q. Fu-

Digitized by Google

ria. Prop. II. 16. 29. Vocatur sic etiam Helena tanquam Troiani belli et Troiae urbis excidii causa. Virg. Aen. II. 573.

Eriphȳle, -es, et Eriphyla, -ae, Talai e Lysimache filia, Adrasti soror, perfidia in Amphiaraum coniugem infamis fuit; quippe a Polynice, Thebarum rege, aureo monili corrupta, maritum latentem, ne ad Thebanum bellum traherctur, quo periturum se oraculi responso sciret, prodidit, quapropter ab Alcmaeone filio interemta est. Virg. Aen. VI. 445. Ov. Art. Am. III. 13. Prop. II. 13. 29. III. 11. 57. v. *Amphiaraides*.

Erisichton, rectius Erysichthon, q. v.

Erycīnus, -a, -um, ad Erycem montem vel urbem pertinens. Virg. Aen. V. 759. Nonnunquam id. q. Siculus. Virg. Aen. X. 36.

Erycina dicitur Venus, quae in Eryce, Siciliae monte, ubi celeberrimum templum habuit, summa religione colebatur. Hor. Od. I. 2. 33. Ov. Her. XV. 57. Am. II. 10. 11. et al. Cat. LXIV. 72. v. *Eryx*.

Erycina concha i. e. Veneri sacra. Prop. III. 11. 6.

Erymanthis, -idis et -idos, quae est ex Erymantho, vel ad Erymanthum pertinet. Ov. Met. II. 499.

Erymanthis ursa, i. e. Callisto, Ov. Trist. III. 4. 47. et al.

Erymanthidis ursae custos, i. e. Bootes s. Arctophylax. Ov. Trist. I. 4. 1. I. 11. 15.

Erymanthus s. Erymanthos, -i, Arcadiae fluvius; item mons, qui silvis consitus adeoque Dianae sacer fuit, et ubi Hercules immanem interfecit aprum. Hor. Od. I. 21. 7. Virg. Aen. V. 448. VI. 803. Ov. Her. IX. 87. et al. Fluvii vero in Alpheum defluentis meminit Ov. Met. II. 244.

Erysichthon, -ŏnis, (*) fuit Thessaliae rex, Triopae filius, qui quum sibi aedes exstruere vellet, silvam, Cereri sacram, succidit, quapropter a dea irata tanta fame cruciatus fuit, ut tandem sua ipsius membra consumeret. Ov. Met. VIII. 779. sqq.

Erysichthone nata, i. e. Mestra s. Metra, Autolyci uxor, Erysichthonis filia, quae in varias se mutando formas patris esurientis vitam diu sustinuit. Ov. Met. VIII. 738.

Erythēa, -ae, insula in mari Gaditano, e qua Hercules Geryonis armenta abduxit. Prop. IV. 9. 2.

(*) Rectius quam *Erisichthon*, quia Graece est Ἐρυσίχθων, Apoll. III. 14. 1. Call. Hymn. in Cer. 24. cf. Ael. Var. Hist. I. 27. a quo Myrmidonis filius vocatur.

Digitized by Google

Erythēis, -ĭdis, quae est ex Erythea, vel ad Erytheam pertinet. Ov. Fast. I. 543. V. 649.

Erythraeus, -a, -um, i. q. Indicus, a mari Erythraeo s. Rubro nomen habens. Tib. III. 3. 17.

Erythrēus Cat. LXI. 206. leg. Africus.

Eryx, -ȳcis, fuit altus Siciliae mons, haud procul a Drepano cum urbe eiusdem nominis in eo sita, ubi templum ab Aenea, Erycis fratre uterino, in Veneris honorem exstructum, vel, uti aliis videtur, ornatum fuit. *Eryx* enim, Butae et Veneris filius, Siciliae rex, hospites ad pugilatum provocabat victosque interficiebat, donec ipse ab Hercule interemtus, atque in hoc monte sepultus sit, qui hodie *Giuliano* vocatur. Virg. Aen. I. 570. (574.) V. 24. sqq. Ov. Art. Am. II. 420. et al. Est quoque nomen unius e Phinei sociis, qui a Perseo in lapidem conversus est. Ov. Met. V. 196.

Erycis qude possidet arces, i. e. Venus Erycina. Ov. Am. III. 9. 45. v. *Erycinus*.

Esquilĭae s. Exquilĭae, -ārum, unus e septem montibus, in quibus Roma paulatim fuit exstructa, cum adiacente regione et porta eiusdem nominis. Ad Esquiliarum autem radices extra portam fuit campus, ubi paupeȓum cadavera comburebantur, et de sceleratis supplicium sumebatur, eorumque cadavera cibus lupisque dilaceranda proiiciebantur. Veneficae et sagae illum locum frequentabant, unde, quae magica ars requireret, congerere, et ubi animas evocare solebant. Postea vero ab Augusto Maecenati aliquot eius iugera donata sunt, qui ibidem amoenos hortos, magnificasque aedes exstruxit. Hor. Sat. I. 8. 14. II. 6. 33. et al. Ov. Fast. III. 246. VI. 601. et al. Prop. IV. 8. 1.

Esquilīnus s. Exquilīnus, contr. Esquilȳus s. Exquilȳus, -a, -um, ad Esquilias montem pertinens. Hor. Epod. V. 100. XVII. 58. Ov. Fast. II. 435.

Etracȳdes, -ae, fuit unus ex Herculis posteris, de quo tamen non constat. Ov. in Ibin 295.

Etrurĭa s. Hetrurĭa, -ae, fuit mediae Italiae regio ad Tyrrhenum mare. Aeneas, Troia capta, cum sociis in Italiam profectus huc appulit naves, et ab Etruscis in bello, adversus Turnum gesto, adiutus fuit; hodie idem nomen servat. Virg. Ge. II. 533. Aen. VIII. 494. XII. 232.

Etruscus s. Hetruscus, -a, -um, in vel ex Etruria, vel ad Etruriam spectans. Hor. Od. I. 2. 14. Epod. XVI. 4. et al. Virg. Aen. VIII. 480. et al. Ov. Fast. I. 641. Cat. XXXIX. 11.

Etruscum mare, i. e. Tyrrhenum, quod Etruriam alluit. Hor.

Digitized by Google

Od. III. 23. 35. Prop. I. 21. 2.

Etrusci fontes sunt Etruriae thermae s. aquae calidae. Tib. III. 5. 1.

Eubĭus, -i, poëta, qui de foetu corrumpendo scripsisse videtur. Ov. Trist. II. 416.

Euboea, -ae, Graeciae insula in mari Aegaeo, Achaiae adiacens, a qua angusto freto, Euripo dicto, divisa est. Hodie *Negroponte*. Ov. Met. XIII. 660.

Euboĭcus, -a, -um, in vel ex Euboea, vel ad Euboeam pertinens. Virg. Aen. XI. 260. Pseudo-Virg. Cul. 354. Met. IX. 218. et al.

Euboicus gurges, i. e. Aegaeum mare, quod Euboeam alluit. Ov. Met. IX. 226.

Euboicus cultor aquarum, i. e. Glaucus, deus marinus, Anthedone, Boeotiae urbe, e regione Euboeae, oriundus. Ov. Met. XIV. 4. cf. VII. 232.

Euboica urbs, i. e. Cumae, a Chalcidis, Euboeae urbis, incolis conditae. Ov. Met. XIV. 155. cf. Virg. Aen. VI. 2.

Euboica rupes, i. e. Cumana. Virg. Aen. VI. 42.

Euboicum litus Baiarum, i. e. ab Euboicis advenis olim inhabitatum. Virg. Aen. IX. 710.

Euboicum carmen, i. e. Cumanae Sibyllae libri, qui Romae adservati a Duumviris, postea Decemviris, tandemque Quindecimviris consulebantur. Ov. Fast. IV. 257. VI. 210. v. *Sibylla*.

Eumēdes, -is, Troianus, cuius filius Dolon noctu Graecorum castra speculatum missus, et currum equosque Achillis praemium pactus, ab Ulixe et Diomede deprehensus, occisus est. Ov. Trist. III. 4. 27. Fuit etiam huius nominis Dolonis filius, Eumedis nepos, qui, Aeneae socius, in Italia Turni manu caesus est. Virg. Aen. XII. 346.

Eumēlus, -i, fuit, uti videtur, Patrarum, Achaiae urbis, rex, cuius filia in avem conversa narratur. Ov. Met. VII. 390. Dicitur etiam sic Troianus, qui cum Aenea in Italiam profectus ei naves a Troianis feminis incensas nuntiavit. Virg. Aen. V. 665.

Eumenĭdes, -um, eaedem, quae Furiae. Hor. Od. II. 13. 36. Virg. Ge. I. 278. et al. Ov. Her. VII. 95. et saepe. Cat. LXIV. 193.

Eumenidum mater et *soror*, i. e. Nox et Terra. Virg. Aen. VI. 205.

Eumolpus, -i, vocatur Thraciae rex, Neptuni e Chione filius, ab Orpheo Cithara canere doctus, a quo Cotys, Thraciae rex, originem ducebat; gessitque bellum cum Erechtheo, Atheniensium rege, in quo occubuit. Eius tamen posteri Eleusine et Athenis consedisse videntur. Ov. ex Pont. II. 9. 2. 19. III. 3. 41. Est quoque eo nomine Musaei filius, Atheniensis, etiam Orphei

Digitized by Google

discipulus, qui Athenis Eleusinia sacra in Cereris honorem instituisse videtur, unde Cereris sacerdotes *Eumolpidae* dicti sunt. Ov. Met. XI. 93. Confunduntur autem a poëtis inter se.

Eupalămus, -i, unus ex Graecis ducibus, ad aprum Calydonium interficiendum convocatis, qui in ea venatione interemtus est. Ov. Met. VIII. 360.

Euphorbus, -i, Panthoi filius, miles Troianus fortissimus, in bello cum Graecis a Menelao occisus, cuius animam in se transiisse Pythagoras credidit. Ov. Met. XV. 161.

Euphrātes, -is, Asiae flumen maximum, quod ex Armenia Maiori ortum in Tigrim cadit, et cum hoc in sinum Persicum effunditur; hodie idem nomen servat. Virg. Aen. VIII. 726. Ov. Art. Am. I. 223. Fast. I. 341. II. 463. et al. Prop. III. 9. 25. Ponitur autem pro orientis populis, Euphratis accolis. Virg. Ge. I. 509. IV. 561. Prop. II. 8. 17.

Eupŏlis, -ĭdis, Atheniensis, veteris comoediae poëta celeberrimus, in hominum vitiis reprehendendis liberrimus, septendecim comoediarum, quae reperiuntur, scriptor. Floruit circa Olymp. LXXVIII. 2. s. A. U. CCLXXXVII. Hor. Sat. I. 4. 1. II. 3. 12. Est quoque eiusdem nominis Atheniensis, Niciae filius, qui prima nuptiarum nocte cum Glycerio uxore aedium ruina misere periit. Ov. in Ibin 532.

Euripi, -orum, fuerunt fossae, quas C. Iulius Caesar Dictator Romae in Circo effodiendas curavit metu, ne elephanti, quorum munus ederet, inde effugerent. Ov. ex Pont. I. 8. 38.

Eurōpa, -ae, et Eurōpe, -es, Agenoris, Phoenicum regis, filia, Cadmi soror, quae a Iove, in taurum verso, dolose dorso excepta et per mare in Cretam transvecta est, ubi ex eo Minoëm, Rhadamanthum, et Sarpedonem peperit; postea autem Asterio, Cretensium regi, nupsit, qui Iovis prolem educavit. Ab hac Europa terrarum orbis pars nomen duxisse fingitur. Hor. Od. III. 27. 25. et al. Ov. Her. IV. 55. Art. Am. I. 323. Met. VI. 104. et al.

Eurōpa, -ae, et Eurōpe, -es, quarta, (olim tertia,) terrarum orbis pars, quae a septemtrionibus et sole occidente Oceano clauditur, a meridie mari mediterraneo, quod eam ab Africa separat; ab oriente vero mari Aegaeo, Hellesponto, Ponto Euxino, palude Maeotide et Tanai flumine, ita Asiae iungitur, ut utriusque fines saepe confundantur. Hor. Od. III. 3. 47. Virg. Aen. I. 384. (388.) VII. 224. X. 91. Ov. Am. II. 12. 18. Met. V. 648. Prop. II.

Digitized by Google

21. 52. Ponitur etiam pro Graecia. Prop. II. 2. 46.

Europaeus, -a, -um, ad Europam, Agenoris filiam, pertinens.

Europaeus dux, i. e. Minos, Europae e Iove filius. Ov. Met. VIII. 23.

Eurōtas, -ae, Peloponnesi fluvius, qui in Arcadia oriens atque per Laconicam defluens in huius sinum effunditur; hodie *Basilipotamo*. Virg. Ecl. VI. 83. Aen. I. 498. (502.) Ov. Am. I. 10. 1. II. 17. 32. Met. II. 247. sqq. Cat. LXIV. 89. Prop. III. 12. 17.

Eurўălus, -i, Troianus, Opheltae filius, qui cum Aenea in Italiam profectus, Nisi amicitia inclaruit. Virg. Aen. V. 294. sqq. Ov. Trist. I. 5. 23. V. 4. 26. v. *Nisus*. Item rex quidam, a serpentibus devoratus, cuius pater Thessalus de Ossa monte se praecipitavit. Ov. in Ibin 289.

Eurybătes, -is, fuit unus e ministris, qui cum Talthybio ad Briseida Achilli eripiendam ab Agamemnone missi sunt. Ov. Her. III. 9.

Eurydămas, -ntis, Midiae filius, qui a Simone, Larissa, Thessaliae urbe, oriundo, circum Thrasylli fratris tumulum tractus est. Ov. in Ibin 333.

Eurydĭce, -es, nympha ex Dryadibus, Orphei coniux, quam dum Aristaeus amans sequitur, illa per fluminis ripam fugiens in serpentem incidit, cuius morsu mortua est, ad quam recuperandam Orpheus ad inferos descendit. Virg. Ge. IV. 486. sqq. Ov. Met. X. 31. et al. Pseudo-Virg. Cul. 267. 286. v. *Orpheus*.

Eurylŏchus, -i, unus ex Ulyssis sociis, qui solus Circes pocula, quibus ceteri in porcos mutati sunt, non gustasse fertur; quapropter incolumis evasit, et ad Ulyssem, quid de eius sociis factum esset, detulit. Ov. Met. XIV. 252. 287.

Eurymăchus, -i, unus e Penelopes procis, quem Ulysses, in patriam redux factus, sagitta confodit. Ov. Her. I. 92.

Eurymĭdes, -ae, i. e. Telemus, Eurymi filius. Ov. Met. XIII. 771. in Ibin 272.

Eurynŏme, -es, nympha marina, ex Oceano et Tethye nata, Orchami, Achaemeniorum regis, uxor, Leucotheesque mater. Ov. Met. IV. 210. sqq.

Eurypўlus, -i, Thessalus, Evaemonis filius, qui ex Ormenio, Thessaliae urbe, cum quadraginta navibus Graecos adiutum ad Troianum bellum profectus est. Virg. Aen. II. 114. Ov. XIII. 357. Vocatur sic etiam Herculis e Chalciope filius, qui Coum insulam, vi expugnatam, imperio tenuit. Ov. Met. VII. 363. Prop. IV. 5. 23.

Eurystheus, -ĕi, fuit

Digitized by Google

Stheneli, Mycenarum regis, ex Nicippe filius, Persei nepos, qui Iunonis monitu Herculi varios labores, quibus periret, perficiendos imperavit. Virg. Ge. III. 4. Aen. VIII. 292. Ov. Her. IX. 7. 45. Met. IX. 203. et al. v. *Hercules*.

Eurytĭdes, -ae, faber quidam egregius, Cloni pater, qui Pallanti, Evandri filio, arma fabricavit. Virg. Aen. X. 499.

Eurytĭon, -ōnis, Actoris filius, Antigones pater, in Calydonii apri venatione a Peleo genero occisus. Ov. Met. VIII. 311. Est quoque hoc nomine Lycaonis filius, Pandari frater, e Lycia oriundus, qui cum Aenea in Italiam profectus in Sicilia in sagittariorum certamine columbam inter volandum transfixit. Virg. Aen. V. 495. sqq. Unus e Centauris, etiam *Eurytus* dictus, qui in Perithoi nuptiis Hippodamiam rapere studuit. Ov. Art. Am. I. 593. Prop II. 24. 31.

Eurўtis, -ĭdis, una ex Euryti posteris. Vocatur ita *Iole*. Ov. Her. IX. 133., et *Dryope*, ambae Euryti filiae. Ov. Met. IX. 395.

Eurўtus, -i, fuit Oechaliae rex, Ioles Dryopesque pater, sagittandi artis peritissimus, qui quum Iolen, certaminis lege promissam, Herculi victori tradere nollet, ab hoc Arcadum auxilio urbe capta interfectus est. Ov. Met. IX. 356. v. *Iole*. Est quoque Centauri nomen, qui et *Eurytion* vocatur. Ov. Met. XII. 220. sqq.

Euterpe, -es, una e novem Musis, tibiarum cantui praeses, Hor. Od. I. 1. 33. v. *Musa*.

Eutrapĕlus (C. Volumnius), -i, Romanus civis, mimicarum scurriliumque facetiarum plenus, unde et *Eutrapelus* dictus fuit, Antonii Triumviri amicus. Hor. Ep. I. 18. 31.

Euxīnus, -a, -um, ad Pontum Euxinum pertinens. Vocatur autem *Pontus Euxinus* et *Euxinum fretum* illud supra Propontidem mare, quod inter Bosporum Thracium et Cimmerium situm ob accolarum immanitatem antea Pontus *Axenus*, i. e. *inhospitalis*, fuit dictum; postea vero compluribus Graecorum coloniis eo deductis, oppidisque ibi conditis, Scytharum latrocinium cohibitum fuit; unde illud mare Pontum *Euxinum*, i. e. *hospitalem*, appellaverunt. Ov. Trist. II. 197. IV. 1. 60. et al.

Evadne, -es, Iphidis filia (*), casta Capanei uxor, maritum tanto prosecuta est amore, ut se in eius rogum immiserit, cumque eo cremata sit. Virg. Aen. VI. 447. Ov. Trist. IV. 3. 64. et al. Prop.

(*) v. *Iphias*.

Digitized by Google

l. 15. 21. Vocatur sic etiam nympha, Asopi fluminis filia. Ov. Am. III. 6. 41.

Evan, -ntis, Bacchi cognomen a voce, qua Bacchae deo in orgiis acclamabant. Ov. Met. IV. 15. v. *Evius*.

Evander, et Evandrus, -i, Mercurii et Carmentae nymphae filius, Pallantei, urbis in Arcadia, rex; seditione populi orta cum matre in Italiam fugit, ubi ob singularem doctrinam a Fauno rege humanissime exceptus agros, quos colendos comitibus distribueret, accepisse, Pallanteumque urbem, eo monte, qui postea, Roma condita, *Palatinus* et *Palatium* dictus fuit, aedificasse traditur. Deinde Aeneae, in Italiam appulso et benigne hospitio excepto, Pallantem, unicum filium, (†) cum quadringentis equitibus adversus Turnum auxilio misit. Huic mortuo divinos honores exhibuerunt cives, et Romani postea aram consecrarunt, ubi quotannis sacra fiebant. Virg. Aen. VIII. 52. et al. Ov. Fast. I. 471. et al. Prop. IV. 1. 4. Fuit praeterea hoc nomine statuarum caelator et plastes, quem M. Antonius Athenis Alexandriam secum duxit, unde inter captivos Romam perductus multa egregia opera fecit. Hor. Sat. I. 3. 91.

Evandri urbs, i. e. Pallanteum in Italia. Virg. Aen. XI. 26.

Evandrĭus, -a, -um, ab Evandro, vel ad Evandrum pertinens.

Evandrius ensis, i. e. Pallantis, Evandri filii. Virg. Aen. X. 394. v. *Evander*.

Evenĭnus, -a, -um, ad Evenum fluvium pertinens, vel habitans. Ov. Met. VIII. 527.

Evēnus, -i, ante *Lycormas* dictus, fuit Aetoliae flumen, quod Calydonem urbem praeterfluit, et haud longe a sinu Corinthiaco in mare effunditur; hodie *Fidari*. Ov. Her. IX. 141. Met. IX. 104. Habet autem nomen ab Eveno, Martis filio, qui quum Marpessam filiam, ab Apolline amatam, et ab Ida, Apharei filio, raptam, frustra persecutus esset, se in illud praecipitavit. Ov. in Ibin 515. Prop. I. 2. 18.

Evĭas, -ădis, id. q. Baccha. Hor. Od. III. 25. 9.

Evippe, -es, Pieri, Macedoniae regis, uxor, novem filiarum mater, quas a Musis in picas mutatas fabulantur. Ov. Met. V. 303. v. *Pieros*.

Evĭus, -i, Bacchi cognomen, qua voce (*) deum in sacris invocabant. Hor. Od. I. 18. 9. II. 11. 17. Ov. Art. Am. I. 563.

Exquiliae, v. Esquiliae.

(†) Virg. Aen. VIII. 104. Ab Ovidio *Evandri nepos* vocatur, Fast. I. 521. quia Carmenta, quae hic loquitur, Evandri mater erat.

(*) Quasi εὖ οἱ bene illi, vel εὐοῖ, clamitantium Baccharum sonus: aliis aliter.

Digitized by Google

F.

Fabăris, -is, et Furfărus, -i, fuit Italiae flumen, quod per Sabinos in Tiberim influit, et hodie *Furfa* s. *Farfaro* dicitur. Virg. Aen. VII. 715. Ov. Met. XIV. 330.

Fabĭus, -a, -um, fuit nomen nobilissimae tribus et gentis Romanae, tam potentis, ut trecenti sex cum clientibus et amicis bellum adversus Veientes privato sumtu in se receperint; quum vero aliquot proeliis superiores discessissent, tandem ad Cremeram fluvium ab hostibus insidiis circumventi, ad unum omnes interfecti sunt. Unus tamen ob puerilem aetatem in urbe relictus, Fabiae gentis rursus stirps fuit, unde per longam seriem natus est *Q. Fabius Maximus*, qui secundo bello Punico adversus Annibalem Dictator dictus cunctabunda quadam prudentia Punicum ducem fregit, et Romanam rem, aliorum imperatorum temeritate labefactam, primus restituit. Hor. Ep. I. 6. 52. Virg. Aen. VI. 846. Pseudo-Virg. Cul. 360. Ov. Fast. I. 605. II. 196. 203. sqq. ex Pont. I. 2. 4. III. 3. 2. et al. Prop. III. 2. 9.

Fabii fuerunt dicti Remi socii a Fabio, iis praeposito, uti Romuli socii *Quinctiliani*; qui dum capella caesa Fauno s. Pani sacrificium faciebant, pecora per complures vias a praedonibus abigi a pastoribus nuntiatum est, quos cum diversi persequerentur, Remus, cum Fabiis comitibus prior rediens, hosti erepta praeda, inmolatae capellae exta comedit, nudaque ossa Romulo eiusque sociis reliquit. Ov. Fast. II. 377. Prop. IV. 1. 26.

Fabius, homo loquax, fuit, referente scholiaste, *Fabius Maximus*, Narbonensis, equestri loco natus, qui Pompeianas partes secutus est, et aliquos libros ad Stoicam disciplinam pertinentes conscripsit. Hor. Sat. I. 1. 14. I. 2. 134.

Fabius Maximus. Ov. ex Pont. III. 3. v. *Maximus.*

Fabricĭus (C.) Luscīnus, -i, nobilis civis Romanus, integritatis, frugalitatis et abstinentiae exemplum, qui cum Samnitibus et Pyrrho grave bellum gerens, et magnae pecuniae munera, ab illis ad se missa, repudiavit, et ad hunc perfugam, venenum se domino daturum pollicentem, vinctum remisit. Hor. Od. I. 12. 40. Virg. Aen. VI. 845.

Fabricius pons fuit Romae a

Digitized by Google

Fabricio Consule factus, et Aesculapii insulam, in Tiberi sitam, urbi iunxit; hodie *Ponte di quattro capi*. Hor. Sat. II. 3. 36.

Fabullus, -i, unus ex Catulli amicis. Cat. XII. 15. XIII. 1. et al.

Falernus, -a, -um, in vel ex Falerno agro, vel ad Falernum agrum pertinens. Fuit autem *Falernus ager* in Campania inter Massicum montem et Vulturnum flumen, ubi vinum forte et ardens nascebatur, quod quia austerum s. severum erat, melle, vel dulci Chio vino, miscere et diluere delicatiores Romani solebant. Hor. Od. I. 20. 11. I. 27. 10. II. 11. 19. et saepe. Ov. ex. Pont. IV. 2. 9. Tib. I. 9. 34. et al. Cat. XXVII. 1. Prop. II. 24. 39. IV. 6. 73.

Falerni fumosi (cadi) *veteris Consulis*, i. e. vetus vinum. Veteres enim vinum in fumario, quod erat in superiore aedium parte, fumo pervia, deponebant, ut citius vetusceret, et maturitatem, ut ait Columella, attraheret; conditi autem vini annum Consulis nomine in cado notabant. Tib. II. 1. 27.

Faliscus, -a, -um, a Faliscis, vel ad Faliscos pertinens. Ov. Am. III. 13. 14. 35. Fast. I. 84. II. 89. et al.

Falisci, -orum, qui et *Aequi Falisci*, Etruriae populus, Faleriorum urbis, (hodie *Galese*) incolae, quorum pascua alendis bobus aptissima fuerunt. Hi autem, maxima parte candidi, ad sacrificia facienda in primis sumebantur. Virg. Aen. VII. 695. Ov. Am. III. 13. 1. ex. Pont. IV. 4. 32.

Fannius Quadratus, -i, fuit annalium scriptor, et forsitan quoque malus poëta, Horatii obtrectator, suique admiratione inflatus scripta in publicam bibliothecam ipse detulit, et imaginem sibi statuit. Hor. Sat. I. 4. 21, I. 10. 80.

Farfărus, v. Fabaris.

Faunigĕna, -ae, dicitur Latinus, quod Fauni ex Marica filius fuit. Ov. Met. XIV. 449.

Faunus, -i, fuit Aborigi-num rex, Pici e Canente nympha filius, Saturni nepos, Latini ex Marica nympha pater; quo rege Evander ex Arcadia in Italiam venit. Post mortem deus fatidicus habitus est, cuius Oraculum in Albuneae luco prope Tibur responsa dabat. Virg. Aen. VII. 48. 81. sqq. Ov. Fast. III. 291. sqq. Colebatur quoque ut deus silvarum, Ov. Met. VI. 393, et aucupii. Prop. IV. 2. 34. Hinc forsitan originem habuerunt *Fauni* Graecis *Panes* dicti, agrorum ac silvarum dii semicapri, quibus agnus immolari solebat, et oleaster pinusque sacra erant; nec multum a Satyris, quorum fratres vocantur, diversi

Digitized by Google

credebantur. Hor. Od. I. 4. 11. I. 17. 2. II. 17. 28. et al. Virg. Aen. VIII. 314. Ov. Her. IV. 49. V. 137. et al.

Faunus, i. e. Pan, cuius sacra ex Arcadia cum Evandro in Italiam fuere translata. Ov. Fast. II. 268. 424. et al. v. *Pan*.

Fausta, -ae, Sullae filia, Annii Milonis uxor, impudica mulier, cuius meminit Hor. Sat. I. 2. 64.

Faustŭlus, -i, fuit pastor, qui Romulum cum Remo expositos invenit, et Accae Larentiae uxori educandos dedit. Ov. Fast. III. 56. et al.

Ferentīnum, -i, parva Latii urbs in Hernicorum finibus, quae hodie idem nomen servat. Hor. Ep. I. 17. 8.

Ferentum, -i, rectius pro eo legitur *Forentum*, q. v.

Feretrĭus, -i, Jovis cognomen, quo hic Romae colebatur, a *ferendo*, i. e. dedicando, quia Spolia opima ei dedicabantur, quod ter accidit; primum enim Romulus ab Acronte, Caeninorum rege, interfecto in bello cum Sabinis, spolia opima retulit; tum Cossus Tribunus a Tolumnio, Veientium rege; deinde Claudius Marcellus a Virdumaro, Gallorum rege occiso. Prop. IV. 10. 1.

Feronĭa, -ae, una e Latii deabus, cui fons, lucus et templum, haud procul ab Anxure urbe sacra fuere. Hor. Sat. I. 5. 24. Virg. Aen. VII. 800. VIII. 564.

Fescennīnus, -a, -um, a Fescennio, vel ad Fescennium spectans. Fuit autem *Fescennium* Etruriae urbs ad Tiberim sita. Hodie nihil ex ea reliquum est. Virg. Aen. VII. 695.

Fescennina licentia, i. e. incomtos versus canendi; erant enim *Carmina Fescennina* iocosa, dicteriis plena, nonnunquam etiam obscoena, quae tum in conviviis hilaribus, tum maxime in nuptiis, ex tempore effundi solebant, et nomen a Fescennio, ubi inventa dicuntur, habuerunt. Hor. Ep. II. 1. 145.

Fidēna, -ae, et Fidēnae, -arum, fuit antiqua Latii urbs, quae ad Tiberim sita quinque millia passuum a Roma abfuit, Horatii tempore iam paene deserta; nunc eo loco est *Castellum Iubileum*. Hor. Ep. I. 11. 8. Virg. Aen. VI. 773. Prop. IV. 1. 36.

Fidius, -i, qui et Sabina lingua *Sancus*, et *Semo pater*, dicitur Hercules, forsitan quasi Dius fidius, i. e. Iovis filius, per quem Romani iurare solebant. Ov. Fast. VI. 213.

Flaccus (L. Pomponius), -i, Romanus civis, qui Pomponio Graecino fratri A. U. DCCLXX. in Consulatu successit, et Ovidio amicus fuit, qui ad eum scripsit ex Pont. L. I. Ep. 10. Ov. ex Pont. IV. 9. 69. 75. Praeterea Horatii cognomen est. Hor. Epod.

Digitized by Google

XV. 12. Sat. II. 1. 18. v. *Horatius.*

Flamĭnĭus, -a, -um, ad Flaminium spectans. Fuit autem huius nominis nobilis *C. Flaminius*, qui iterum Consul ab Annibale ad Trasimennum lacum caesus est. Ov. Fast. VI. 765.

Flaminia via fuit Romae, a C. Flaminio Censore strata, et a Roma per Umbriam Arimĭnum usque pertinebat. Ab hac, Claudia via incipiebat. Ov. ex Pont. I. 8. 44.

Flaminius, rectius pro eo legitur *Fabricius*, Pseudo-Virg. Cul. 367. v. *Fabricius.*

Flavinĭus, -a, -um, ad Flaviniam urbem pertinens, quae fuit in Etruria ad Soractis montis radices, ex qua nihil hodie reliquum est. Virg. Aen. VII. 696.

Flavĭus, -i, vocatur ludimagister, qui Horatii tempore Romae arithmeticam docebat. Hor. Sat. I. 6. 72. Catulli amicus. Cat. VI. 1.

Flora, -ae, nympha, Graecis *Chloris* dicta, quae, Zephyro nupta, florum dea fingitur; habuitque Romae templum, eiusque festa, *Floralia* s. *Florale sacrum* appellata, die XXVIII. Aprilis maxima cum lascivia, tam in verbis quam in corporis motibus, celebrabantur. Ov. Fast. V. 195. sqq.

Florālis, -e, a Flora, vel ad Floram pertinens.

Florus (Iulius), -i, fuit unus e Tiberii Claudii comitibus, Horatio amicus, a quo ob ingenium, poësin, eloquentiam, atque iuris civilis prudentiam laudatur. Hor. Ep. I. 3. 1. II. 2. 1.

Fontānus, -i, poëta Latinus, qui bucolica scripsisse videtur. Eius fit mentio ab Ov. ex Pont. IV. 16. 35.

Fonteius, v. Capito.

Forentum, -i, urbs, in Apuliae ac Lucaniae confinio, in fertilissima valle sita; hodie *Forenza.* Hor. Od. III. 4. 16.

Formĭae, -arum, antiquum Latii municipium, in Aurunci ad mare situm prope Caietam, ubi olim Lamus Laestrygonum rex fuisse fertur, erantque Formiarum colles praestanti vino nobiles; hodie eo loco est *Mola di Gaëta.* Hor. Od. III. 17. 6.

Formiānus, -a, -um, in vel e Formiis, ad Formias pertinens. Hor. Od. I. 20. 11. Cat. LVII. 4. Dicitur sic quoque *Mamurra*, decoctor et homo improbus, Formiis oriundus. Cat. XLI. 4. v. *Mamurra.*

Fors, -tis, fuit Fortunae deae cognomen, quasi fortunans, quo bonam Fortunam significabant, sive quum ea in incertis rebus felicem eventum daret, habuitque eo cognomine etiam Romae templum in Tiberis ripa, a Carvilio Cons. conditum, prope

Digitized by Google

Fortunae aedem, a Serv. Tullio rege dedicatam. Eius autem festum Romani XXIV. Iunii die celebrabant. Hor. Od. I. 9. 14. II. 6. 10. et al. Ov. Fast. VI. 773. Nonnunquam simpliciter pro Fortuna poni videtur, et cum sorte confunditur (*).

Fortūna, -ae, a veteribus humanarum rerum dea est habita, quas, vel bonas, vel malas, nulla meritorum ratione habita, hominibus in hac vita distribuere credebatur; hinc caeca, et ad eius volubilitatem significandam in globo stans pingebatur, et Antii, Praeneste, Romae aliisque in locis templa ei fuerunt exstructa. Hor. Od. I. 7. 25. I. 34. 15. et al. Virg. Aen. III. 318. et al. Ov. Fast. I. 209. ex Pont. II. 3. 51. et al. Prop. I. 15. 3.

Forŭli, -orum, fuit oppidum, vel vicus, Sabinorum in Marsorum confinio prope Amiternum. Virg. Aen. VII. 714.

Forum Appii, -i, veteris Latii oppidum ad Appiam viam prope tres Tabernas, unde per Pomptinas paludes ad Feroniae fanum navigabatur. Hor. Sat. I. 5. 3.

Fucĭnus, -i, fuit Latii lacus in Marsorum finibus, hodie *Lago di Celano* dictus. Virg. Aen. VII. 759.

Fufĭus, -i, fuit Romanus histrio, qui in Pacuvii tragoedia, *Iliona* dicta, Ilionae, Hecubae filiae, partes agebat. Hor. Sat. II. 3. 60. v. *Iliona*.

Fulvĭus, -i, nobilis gladiator, qui, ut et *Rutuba* et *Placideianus*, gladiatores, ante Horatii aetatem Romae vixit. Hor. Sat. II. 7. 96.

Fundanĭus (C.), -i, poëta comicus Romanus, cuius comoediae perierunt, Horatio amicus, qui illum de magnifico nec liberali Nasidieni convivio, quo hic Maecenatem aliquando receperat, narrantem induxit. Hor. Sat. I. 10. 42. II. 8. 19.

Fundānus, -a, -um, in vel e Fundis, vel ad Fundos spectans. Ov. ex Pont. II. 11. 28.

Fundi, -orum, fuit Latii novi oppidum, in via Appia inter Tarracinam et Formias, haud procul a mari situm; hodie *Fondi*. Hor. Sat. I. 5. 34.

Furĭae, -arum, quae et *Dirae*, *Erinnyes* et *Eumenides* dictae, finguntur tres deae, *Alecto*, *Tisiphone*, et *Megaera*, Acherontis et Noctis filiae, uno partu editae, facinorum scelerumque vindices, quae in Tartaro degebant. Harum autem capita uti et corpora anguibus cincta erant, manibusque ardentes taedas gerebant. A diis ad eos mittebantur, qui aliquid impie scelerateque

(*) Virg. Ecl. IX. 5., ibique Burm. et Heyne.

Digitized by Google

commiserant, quos agitare, cruciare iisque bellum, pestem mortemque, inferre solebant. Hor. Od. I. 28. 17. Sat. I. 8. 45. et al. Virg. Ge. III. 37. Aen. III. 252. et al. Ov. Her. IV. 47. et saepe.

Furiālis, -e, a Furiis, vel ad Furias pertinens. Hor. Od. III. 9. 17.

Furĭus. Ov. Fast. I. 641. v. *Camillus*.

Furĭus Bibacŭlus, -i, poëta Latinus, Cremona oriundus, qui duras metaphoras studiose sectabatur, et versu quodam inepto de Alpibus, *Iupiter hibernas cana nive conspuit Alpes*, illius temporis poëtis risum fecit, ita ut Horatius, quo magis hunc versum ridiculum redderet, ipsum Furium, nive Alpes conspuentem, induxerit. Ex eius versibus aliquot tantum supersunt (*). Hor. Sat. II. 5. 41. Item Poëta, Catulli amicus. Cat. XI. 1. XXIII. 1.

Furnĭus, -i, historiarum scriptor Romanus, vir doctus, atque Horatio amicus. Hor. Sat. I. 10. 86.

Fuscus, v. *Aristius*.

(*) Macrob. Sat. VI. 1. A. Gell. Noct. Att. XVIII. 11. cf. Quinct. VIII. 6. 17. X. 1. 96.

Digitized by Google

G.

Gabĭi, -orum, Latii urbs in via Praenestina inter Romam et Praeneste, olim valida, a Tarquinio Superbo dolo subacta, et Horatii tempore tantum non deserta. Hodie nihil ex ea superest. Hor. Ep. I. 11. 7. et al. Virg. Aen. VI. 773. Ov. Fast. II. 690. 702. 783. Prop. IV. 1. 34.

Gabīnus, -a, -um, in vel e Gabiis, vel ad Gabios pertinens. Ov. Fast. II. 709.

Gabinus cinctus vocabatur, quum togae laciniam extremam, laevo brachio subductam, in tergum reiicerent, et ad pectus retraherent, atque hoc modo in nodum colligarent, ut toga brevior et adstrictior redderetur, hominemque cingeret. Virg. Aen. VII. 612.

Gabīna Iuno, i. e. quae Gabiis colebatur. Virg. Aen. VII. 682.

Gades, -ium, parva insula in Hispania Baetica prope fretum Gaditanum, continenti proxima, cum urbe eiusdem nominis, quae capacissimum habebat portum; hodie *Cadix*. Ponitur autem pro universa Hispania. Hor. Od. II. 2. 11., et pro extrema orbis parte. Ultra Hispaniam enim occidentem versus nihil Romanis notum erat. Hor. Od. II. 6. 1.

Gaetūlus, -a, -um, in vel e Gaetulia, ad Gaetuliam spectans, id. q. Africanus. Fuit autem *Gaetulĭa* Libyae interioris regio, cuius populi, suis sedibus relictis, in Mauritania, tam Tingitana quam Caesariensi, consederunt, ubi in Oceano, extremam regionis oram alluente, murices, ex quibus purpurae color fiebat, optimi capiebantur. Hor. Od. II. 20. 15. Ep. II. 2. 181. et al. Virg. Aen. IV. 40. 326. V. 192. 351. Ov. Her. VII. 125. Fast. II. 319.

Galaesus, -i, Calabriae flumen, quod ex Appennino monte exortum haud procul a Tarento defluit, et in eius sinum effunditur, cuius in utraque ripa amoenissima pineta et fertilissima rura erant; hodie *Galaso*. Hor. Od. II. 6. 10. Virg. Ge. IV. 126. Prop. II. 25. 67. Est quoque hoc nomine *dives Latinus*, iustitia clarus, a Troianis interfectus. Virg. Aen. VII. 535. 575.

Galanthis, -ĭdis, Proeti filia, Alcmenes ministra fidelis, quae quum Lucinam mendacio deceptam risisset, a dea in mustelam mutata fingitur. Ov. Met. IX. 306. 316.

Digitized by Google

Galatēa, -ae nympha marina, Nerei et Doridis filia, quam Polyphemus frustra adamavit. Virg. Ecl. VII. 37. Aen. IX. 103. Pseudo-Virg. Cir. 393. Ov. Am. II. 11. 34. Fast. VI. 733. Met. XIII. 738. sqq. Prop. I. 8. 18. III. 1. 45. v. *Acis*. Est etiam matronae cuiusdam, Hor. Od. III. 27. 14., et rusticarum puellarum nomen. Virg. Ecl. I. 31. III. 64. IX. 39.

Galba (Ser. Sulpicius), -ae, Iureconsultus Romanus, qui, quod ipse adulter esset, contra manifestum ius adulterorum patrociniuin suscipiebat. Horatius eum perstringit. Sat. I. 2. 46.

Galesus, v. Galaesus.

Galla (Aelia), -ae, fuit uxor Postumi. Prop. III. 10. 1.

Galli, -orum, Galliae incolae. Hor. Sat. II. 1. 14. Praesertim sic dicuntur a) *Senŏnes*, Galliae populus, qui duce Brenno in Italiam venerunt, Romam urbem captam incendio deleverunt, ipsumque Capitolium obsederunt. Virg. Aen. VIII. 656. Ov. Fast. VI. 351. b) *Gallograeci*. Hi Gallia relicta, post varia itinera in Asiam Minorem transierunt, ubi Phrygiae regionem occupatam *Gallograeciam* dixerunt; quae postea *Gallatia* vocata fuit. Cum Antonio adversus Octavianum profecti paucis diebus ante Actiacam pugnam eius partes relinquentes ad hunc transfugerunt. Hor. Epod. IX. 18. Eorum pars quum Apollinis Delphici templum spoliare vellet, tempestate, grandine et frigore, perit. Prop. II. 23. 13. Porro hoc nomine vocantur c) *Insŭbres*, Galliae Transpadanae populus, qui quum Italiam invasissent, a Marcello victi sunt. Virg. Aen. VI. 879.

Galli, -orum Cybeles s. Matris deorum sacerdotes, sic dicti, uti fabulantur, a Gallo, Phrygiae flumine, cuius aquam si quis bibisset, ita furere incipiebat, ut se eâ parte, qua vir esset, privaret. Hor. Sat. I. 2. 121. Ov. Fast. IV. 361. Unde quoque *Gallae* vocantur a Catullo LXIII. 12.

Gallĭa, -ae, magna Europae regio, quae ab occidente sole Oceano Aquitanico, ab oriente Rheno et Alpibus, a septemtrionibus mari Britannico et Belgii parte, et a meridie Pyrenaeis montibus et mari Mediterraneo includitur. Postquam deinde Galli, Alpes transgressi, dimidiam fere Italiae partem occuparunt, haec *Cisalpīna*, illa *Transalpina* dicta fuit: laudantur autem Galliae canes in venatu, utpote quae patulo essent rictu, et morsu capiendis feris admodum idoneae putarentur; sic etiam Galliae equi aliis ferociores, et Cisalpinae oves ceteris praestantiores habitae sunt. Hor. Od. IV. 14. 49. Pseudo-Virg. Cat. VIII. 12. Ov.

Digitized by Google

Fast. VI. 378. Tib. IV. 1. 138. Cat. XXIX. 21.

Gallia Comata i. e. Transalpina, dicta a longa coma, quam Galli habere solebant. Cat. XXIX. 3.

Gallĭcus et Gallicanus, -a, -um, in vel e Gallia, vel ad Galliam pertinens. Hor. Od. I. 8. 6. Ov. Am. II. 13. 18. Fast. IV. 362. et al. Cat. XLII. 9.

Gallicus miles, i. e. Nestor, quia iuxta Gallum, Phrygiae flumen, tentoria habebat. Prop. II. 10. 48.

Gallica ora sunt Galli, qui, Brenno duce, Apollinis Delphici templum spoliare frustra tentarunt, quos Deus nive obruit. Prop. III. 11. 54.

Gallica pascua, i. e. Galliae Cisalpinae, cuius oves ob lanae praestantiam maximi a Romanis fiebant. Hor. Od. III. 16. 35.

Gallĭo, -onis, Romanus, Ovidii amicus, ad quem hic scripsit ex Pont. Ep. 11. L. IV.

Gallonĭcus (P.) -i, praeco, homo tam luxuriosus, ut eius mensa omni deliciarum genere, in primis acipensere, infamis fuerit. Hor. Sat. II. 2. 46.

Gallus, -i, Galliae incola, Virg. Aen. VI. 859. v. *Galli*. Idem nomen habet Phrygiae fluvius, qui in Sagarim influit, et bibentes ad furorem redigere fingebatur. Ov. Fast. IV. 364. Item homo stultus et libidinosus. Cat. LXXVIII.

Gallus (C. Cornelius), i, Romanus eques, praestantissimus poëta, Virgilio aequalis et amicissimus, Lycoridem puellam elegis celebravit, qui uti reliqua eius scripta perierunt. Quae enim sub eius nomine elegiae adhuc exstant, a nonnullis viris doctis suppositae habentur. Ab Augusto, apud quem multum gratia valuit, Aegypti praefectus creatus, hunc in ea provincia adeo offendit, ut mortem sibi consciscere cogeretur. Virg. Ecl. VI. 64. X. 2. sqq. Ov. Am. I. 15. 29. III. 9. 64. Trist. II. 445. et al. Prop. I. 5. 31. et saepe.

Gangarĭdae, -arum, Indiae populus, ad utramque Gangis fluminis ripam haud procul ab eius ostiis habitans. Virg. Ge. III. 27.

Ganges, -is, maximus Indiae fluvius ingentis latitudinis, qui e montibus regionis Tibet exortus Indiam perfluit, eamque in duas partes dividit. Tandem in Indicum mare, ab eo Gangeticum sinum dictum, effunditur. Hodie idem nomen servat. Virg. Ge. II. 137. Aen. IX. 31. Ov. Fast. III. 729. Met. II. 249. et al.

Gangetĭcus, -a, -um, in vel e Gange, vel ad Gangem pertinens. Ov. Met. VI. 636.

Gangĕtis, -ĭdis, quae ad Gangem pertinet.

Gangetis terra, i. e. India. Ov. Am. I. 2. 47.

Digitized by Google

Ganymēdes, -is, Trois, Troianorum regis, ex Callirrhoë filius, qui quum in Ida monte venaretur, ob eximiam formam ab aquila, Iovis ave, (*) raptus, et in coelum sublatus est, ut huic a poculis esset. Ob fidele ministerium post mortem inter sidera relatus *Aquarius* vocatus est. Virg. Aen. I. 28. (32.) Ov. Fast. VI. 43. Met. X. 155. XI. 756. et al.

Garamantes, -um, fuerunt Libyae interioris populi, qui prope Cinyphi fluminis fontes habitarunt, de quibus victis L. Cornelius Balbus A. U. DCCXXXV. triumphum egit. Virg. Ecl. VIII. 44. Aen. VI. 795.

Garamantis, -ĭdis, puella ex Garamantibus. Alii hoc proprium Nymphae nomen dicunt, ex qua Iupiter Iarban, Getuliae regem, procreavit. Virg. Aen. IV. 198.

Gargānus, -i, Apuliae Dauniae mons silvester, haud procul a Sipunto in promontorium eiusdem nominis procurrens. Hodie *Monte di St. Angelo*. Hor. Od. II. 9. 7. Ep. II. 1. 202. Virg. Aen. II. 247.

Gargaphĭe, -es, vallis Boeotiae prope Plataeas, in qua fons fuit eiusdem nominis Dianae sacer. Ov. Met. III. 156.

Gargăra, -orum, pars montis Idae in Troade, ad cuius radices eiusdem nominis urbs fuit, cuiusque agri fertilitate nobiles habiti sunt. Virg. Ge. I. 103. III. 269. Ov. Her. XVI. 107. Art. Am. I. 57.

Gargilĭus, -i, ostentatoris nomen, qui aprum, pecunia emtum, venando cepisse videri voluit. Hor. Ep. I. 6. 58.

Garumna, -ae, magnum Galliae flumen, quod ex Pyrenaeis oritur montibus et in sinum Aquitanicum effunditur; hodie *Garonne*. Tib. I. 7. 11.

Gela, -ae, fluvius in meridionali Sicilia, iuxta quem urbs eiusdem nominis fuit; hodie dicitur *Fiume di Terra nuova*. Ov. Fast. IV. 470. De urbe meminit Virg. Aen. III. 702.

Gellius, -i, homo adulter, quem pertringit Catullus LXXIV. et al.

Gelōnus, -i, qui est e Gelonis, vel ad Gelonos pertinet;

Geloni autem fuerunt nomades populi Scythiae Sarmaticae ad Borysthenem, qui corpus pingere solebant, equis et armis validi. Hi cum Dacis Istrum flumen traiecti Romanorum fines vastarunt. Augustus autem per Lentulum hos ultra flumen repulit. Hor. Od. II. 9. 23. II. 20. 19. III.

(*) Hor. Od. IV. 4. 1. sqq. Virg. Aen. V. 255.; vel ab ipso Iove in Aquilam mutato, uti refert Ov. Met. X. 157.

Digitized by Google

4. 35. Virg. Ge. II. 115. III. 461. et al. v. *Dacus.*

Gelōus, -a, -um, in vel e Gela urbe, vel ad Gelam urbem pertinens. Virg. Aen. III. 701.

Gemĭni, -orum, unum e duodecim Zodiaci circuli signis, quod Castor et Pollux, gemini fratres, constituunt. Ov. Fast. VI. 727. v. *Castor.*

Genauni, -orum, Rhaetiae gens, quae cum Vindelicis adversus Romanos bellum gessit, et a Druso victa est. Hor. Od. IV. 14. 10. v. *Rhaetus.*

Genius, -i, dicebatur cuiusque hominis deus, in cuius tutela vivit. Hunc praecipue quotannis die natali colere solebant epulis, in quibus qui aderant coronati erant, et vino, ture, libis et floribus Geniis sacra faciebant. Tib. I. 7. 49. IV. 6. 8.

Germanĭa, -ae, ingens Europae regio, quae Alpibus, mari Baltico, Rheno, Gallia et mari Germanico, olim continebatur. Fuerunt autem Germani tam bellicosi, ut Romani, inter quos primus Iulius Caesar, post Gallos victos varia belli fortuna eum iis pugnaverint. Hor. Od. IV. 5. 26. Epod. XVI. 8. Virg. Ecl. I. 63. Ge. I. 474. et al. Ov. Trist. IV. 2. 1.

Germanĭcus, contr. Germānus, -a, -um, in vel e Germania, ad Germaniam pertinens, Germaniae incola. Ov. Art. Am. III. 163. Alb. ad Liv. ap. Ov. 335. sqq.

Germanicus Caesar, Drusi Claudii Neronis Germanici ex Antonia filius, a Tiberio adoptatus, in matrimonio habuit Agrippinam, Augusti neptem. Ovidius huic Fastos suos inscripsit. Ov. Fast. I. 3. 63. Trist. II. 167. IV. 2. 9. 11. et al. v. *Drusus.*

Geryŏn, -ŏnis, s. Geryŏnes, -ae, Chrysaoris ex Callirrhoë filius, qui quod tribus insulis, Balearibus et Ebusae, quae Hispaniam adiacent, imperabat, a poëtis *tricorpor* fingitur. Hercules Eurysthei iussu hunc occidisse eiusque pulcherrima armenta abegisse traditur. Hor. Od. II. 14. 8. Virg. Aen. VII. 662. VIII. 202. Ov. Her. IX. 92. Prop. III. 21. 9.

Geta s. Getes, -ae, unus e Getis; quae gens bellicosa, victu simplex, moribus aspera, in Moesia Inferiore Scythis et Dacis vicina habitavit, ultra quos orientem versus ad Istrum et Pontum Euxinum extendebatur. Hor. Od. III. 24. 11. IV. 15. 22. Virg. Ge. III. 462. Aen. VII. 604. Trist. II. 191. et al. Tib. IV. 1. 146. Prop. IV. 3. 9. Est quoque nomen Servorum apud Terentium et Menandrum. Prop. IV. 5. 44.

Getĭcus, -a, -um, a Getis, vel ad Getas pertinens. Virg. Aen. III. 35. Ov. Trist. I. 5. 62. et al.

Gigantēus, -a, -um, a Gigantibus, vel ad Gigantes spe-

Digitized by Google

etans. Hor. Od. III. 1, 7. Pseudo-Virg. Cul. 27. Ov. Fast. V. 555. et al.

Gigantēa litoris ora, i. e. apud Cumas in Campania, ubi gigantes a Iove fulmine percussi finguntur, unde ille locus *campus Phlegraeus* est dictus. Prop. 1, 20. 9.

Gigas, -antis, unus e Gigantibus. Fuerunt autem *Gigantes* Tartari e Terra filii, immane corpus, mille manus et serpentum pedes, habentes. Coelum quondam adfectantes montibus montes imposuerunt; a Iove vero fulmine icti Aetna aliisque montibus oppressi finguntur. Hor. Od. II. 19. 22. Ov. Fast. III. 439. V. 35. et al. Prop. III. 3. 61. v. *Enceladus*, *Rhoetus*, *Tiphoeus* et *Titan*.

Glaucis, -ĭdos, canis nomen apud Prop. IV. 3. 55.

Glaucus, -i, Lycius, Hippolochi filius, Bellerophontis nepos, qui Troiano bello Priamum adiutum profectus, et cum Diomede congressus, veteris hospitii gratia, quod utriusque avi inter se habuerant, amicitiam iniit; ad quam confirmandam arma cum hoc mutavit, aeneaque pro aureis accepit. Hor. Sat. I. 7. 17. — Vocatur sic quoque Sisyphi e Merope filius, Bellerophontis pater, quem in Potniis, Boeotiae vico, equae, quis, quo velociores essent, coitu erant prohibitae, vel quod ipse Veneris sacra spreverant, ab irata dea in furorem actae, discerpsisse finguntur. Virg. Ge. III. 268. Ov. in Ibin 557. — Est et nomen piscatoris, Anthedone, Boeotiae urbe, oriundi, qui dum pisces captos in ripa explicuerat, donec retia siccabantur, hos quadam herba tacta vires recuperasse et in mare prosiliisse sensit; quod ut vidit, eandem herbam gustavit, qua mente alienatus se etiam in mare conicit; maris autem dii hunc exceptum deum marinum fecerunt, et immortalitate donarunt. Virg. Ge. I. 437. Aen. V. 823. VI. 36. Ov. Met. VII. 233. XIII. 906. XIV. 9. 38. 68. sqq. in Ibin 558. Prop. II. 20. 13. — Idem nomen habet Minois secundi, Cretae regis, e Pasiphaë filius, qui pila ludens in dolium mellis plenum incidit, et suffocatus ab Aesculapio in vitam restitutus est. Ov. Fast. VI. 750. — Item unus e Troianis, cuius anima Aeneae in inferis occurrit. Virg. Aen. VI. 483. — Tandem Lycius, Imbrasi filius, quem, Aenean in Italiam secutum, Turnus interfecit. Virg. Aen. XII. 343.

Glycĕra, -ae, fuit pluriuum puellarum nomen; vocantur sic Horatii ac Tibulli amicae. Hor. Od. I. 19. 5. I. 30. 3. I. 33. 2. III. 19. 28.

Glycon, -onis, Athleta, ad

videtur, qui Horatii tempore vixit, et robustissimus fuit. Hor. Ep. I. 1. 30.

Gnatĭa s. Egnatĭa, -ae, Apuliae urbs inter Barium atque Brundusium, haud procul a mari ad montis radices exstructa, unde flumina, magno cum impetu decurrentia, saepe urbis partem diruebant. Hodie *Torro d'Anazzo* vocatur. Hor. Sat. I. 5. 97.

Gnidĭus s. Cnidĭus, -a, -um, in vel ex Gnido vel ad Gnidum pertinens. Hor. Od. II. 5. 20.

Gnidos s. Cnidos, -i, fuit maritima Cariae urbs, in promontorio, quod nunc *Crio* dicitur, cultu et templo Veneris nobilis, arundine, i. e. calamis scriptoriis, abundans. Hor. Od. I. 30. 1. et al. Ov. Met. X. 531. Cat. XXXVI. 13.

Gnosiăcus s. Gnossiăcus, Gnosĭus s. Gnossĭus, -a, -um, in vel e Gnoso, vel ad Gnosum spectans, saepe id. q. *Cretensis*. Virg. Aen. V. 306. VI. 23. 566. et al. Ov. Her. IV. 68. Met. III. 208. et al. Cat. LXIV. 172. Prop. II. 9. 10.

Gnosiacus rex, i. e. Minos, qui in Creta regnavit et Gnosi regiam habuit. Ov. Met. VIII. 52.

Gnosia, i. e. Ariadne. Tib. III. 6. 39. Prop. I. 3. 2.

Gnosia stella coronae, i. e. Ariadnes, Minois lk. filiae, quae mense Octobri oritur. Virg. Ge. I. 222. v. *Ariadne*.

Gnosii calami spiculum, i. e. Cretensis sagitta. Cretae enim incolae iam olim sagittandi artis peritissimi fuerunt et, Idomeneo duce, cum Graecis adversus Troiam steterunt. Hor. Od. I. 15. 17. cf. Virg. Aen. V. 306. Pseudo-Virg. Cir. 299.

Gnosia regna, i. e. Creta. Virg. Aen. III. 115.

Gnosia mella, Ov. in Ibin 580. v. *Glaucus*, *Minois II.* f.

Gnosĭas s. Gnossĭas, -ădis, et Gnosis s. Gnossis, -ĭdis, quae e Gnoso est, vel ad Gnosum pertinet, id. q. Cretensis femina. Ov. Art. Am. I. 293.

Gnosias s. *Gnosis*, i. e. Ariadne. Ov. Art. Am. I. 556. Ov. Her. XV. 25. et al.

Gnosis corona, i. e. Ariadnes. Ov. Fast. III. 460.

Golgi, -orum, urbs Cypri, Veneri sacra. Cat. XXXVI. 14.

Gorge, -es, Oenei ex Althaea filia, Meleagri soror, quae cum ceterae sorores a Diana in volucres mutarentur, cum Deianira sorore incolumis mansit. Ov. Her. IX. 165. Art. Am. II. 700. Met. VIII. 542.

Gorgo s. Gorgon, -ŏnis, una e Gorgonibus. Vocatur sic in primis Medusa, Gorgonum maxime nobilis. Ov. Trist. IV. 7. 11. Met. V. 180. et al. Prop. II. 2. 60. II. 19. 53.

Digitized by Google

Gorgo et *Gorgo saeva*, i. e. Medusae caput, quod a Perseo recisum Pallas in scuto gestabat, quo homines terrere et in lapides convertere solebat. Virg. Aen. II. 616. VIII. 438. Prop. IV. 9. 58.

Gorgones autem tres Phorcynis e Cetone filiae fuerunt, *Stheno*, *Euryale* et *Medusa*, quae in mari Atlantico Gorgonas insulas (apud promontorium Viride) inhabitasse finguntur, oris deformitate et capite, anguibus cincto, infames; maxime vero quod qui eas adspicerent, in lapides mutarentur. Virg. Aen. VI. 289.

Gorgonĕus, -a, -um, a Medusa Gorgone, vel ad Medusam Gorgonem spectans. Ov. Art. Am. III. 504. Met. IV. 617. et al.

Gorgoneus lacus, i. e. ad quem Gorgones habitabant. Prop. III. 2. 32.

Gorgoneus equus, i. e. Pegasus. Ov. Fast. III. 450. ex Pont. IV. 8. 80. v. *Medusaeus*.

Gorgonea venena sunt serpentes venenati, quales Medusae caput habet. Virg. Aen. VII. 341.

Gorgonĭus, -i, ridiculus homo, quem Horatius olere hircum dicit, ut Rusillum pastillos. Sat. I. 2. 27. I. 4. 92.

Gortyniăcus et Gortynĭus, -a, -um, in vel e Gortyna, vel ad Gortynam pertinens, saepe id. q. *Cretensis*. Fuit autem *Gortyna* Cretae urbs. Virg. Ecl. VI. 60. Aen. XI. 773. Ov. Met. VII. 778. Cat. LXIV. 75.

Gortynius heros i. e. Minos II., Cretae rex. Pseudo-Virg. Cir. 114.

Gracchus, -i, fuit Semproniae gentis cognomen. In primis autem nobiles fuerunt *Tib. Sempronius Gracchus*, qui secundo bello Punico Consul Campanos fregit, deinde in Hispaniam missus Celtiberorum trecentas delevit urbes, pluraque alia fortia facinora gessit; et huius filii, C. et *Tib. Sempronius Gracchus*, quorum uterque summus fuit orator. Alterius ex his meminit Hor. Ep. II. 2. 89. Virg. Aen. VI. 843. Est quoque hoc nomine poëta, qui in tragoedia in tyrannos invectus fuisse videtur. Ov. ex Pont. IV. 16. 31.

Gradĭvus, -i, fuit Martis cognomen apud Romanos, quasi gravis divus. Virg. Aen. III. 35. et al. Ov. Art. Am. II. 566. et al. v. *Mars*.

Graecĭa, -ae, lata Europae regio, a Romanis in duas provincias divisa, in Macedoniam, qua ipsa Macedonia, Epirus et Thessalia; et in Achaiam, qua tota Peloponnesus et omnes regiones, ab Isthmo ad Thessaliam usque, quae proprie *Graecia* dicitur, praeterea complures

Digitized by Google

Aegaei de Ionii maris insulae continebantur. Hor Od. I. 15. 6. IV. 5. 35. et al. Virg. Ge. I. 38. III. 20. Aen. XI. 287. Ov. Rem. Am. 164. 468. et saepe. Prop. II. 7. 55.

Magna Graecia vocatur inferioris Italiae pars, a variis coloniis, quas Graeci eo deduxerunt, denominata, de cuius tamen finibus non constat. Ovidius totam Italiam et Graeciam, proprie dictam, hoc nomine appellavit. Her. XVI. 340. Fast. IV. 63.

Graecĭnus (C. Pomponius, -i, L. Pomponii Flacci frater, A. U. DCCLXIX. Consul, fuit Ovidii amicus, qui ad hunc scripsit tres epistolas ex Pont. I. 6. II. 6. IV. 9. Ov. Am. II. 10. 1.

Graecus, -a, -um, in vel e Graecia, ad Graeciam spectans. Graeciae autem incolae fuerunt omnium doctrinarum artiumque ingenuarum cultores, quas per Italiam et ceteras Romanorum provincias propagarunt; nec minus civilium bellicarumque rerum laude floruerunt. Hor. Od. III. 24. 57. et al. Ov. in Nuc. 82. Fast. V. 196. Cat. LXVIII. 102.

Graiugĕna, -ae, qui in Graecia natus est, Graecus. Virg. Aen. III. 550. VIII. 127.

Graius, - id. q. Graecus. Hor. Epod. X. 12. et al. Virg. Ge. III. 90. et al. Ov. Am. III. 13. 27. et saepe. Prop. II. 7. 13.

Graia urbs, i. e. Pallanteum, Arcadiae urbs. Virg. Aen. VI. 97.

Graia iuvenca s. *puella*, i. e. Helena, Spartae nata. Ov. Her. V. 117. Art. Am. I. 54.

Graiae maritae raptor, i. e. Paris, qui Helenam rapuit, Ov. Met. XII. 609.

Graia arva sunt Thebana. Ov. in Ibin 448.

Grane, -es, Nympha venatrix, Helerni filia, quae a Iano compressa cardinum dea facta et *Cardea* s. *Carna* dicta est, Ov. Fast. VI. 107.

Granĭcus, -i, Mysiae flumen, quod ex Ida monte oritur, et in Propontidem exoneratur; hodie idem nomen habet. Ov. Met. XI. 763.

Gratĭa, -ae, una e Gratiis. Fuerunt autem *Gratiae*, Graece *Charites*, tres Iovis et Eurynomes filiae, *Aglaia*, *Euphrosyne* et *Thalia*, beneficiorum deae habitae, Venerisque comites. Finguntur nudae, iuvenili aetate, implexis inter se brachiis, ita ut aegre divelli videantur. Hor. Od. I. 4. 6. III. 19. 16. III. 21. 22. et al.

Gratĭus Faliscus, -i, Latinus poëta, qui de venatione et venatoriis instrumentis epicum carmen composuit, quod, *Cynegeticon* inscriptum, etiam nunc exstat. Floruit autem Ovidii

Digitized by Google

tempore Ov. ex Pont. IV. 16. 34.

Graviscae, -arum, Etruriae oppidum maritimum, inter Martam et Minionem flumina, ob situm in humili ac palustri loco aëris gravitate laborans, quod Aeneae, adversus Turnum bellum gerenti, auxilia tulit. Virg. Aen. X. 184.

Grosphus (Pompeius), -i, eques Romanus, qui cum Horatio, cui intimus fuit, Bruti partes secutus, adversus Triumviros pugnavit, et post huius mortem ad Sex. Pompeium confugit. Pace deinde inter hunc et Triumviros constituta, Romam rediit, habuitque amplas in Sicilia possessiones. Horatius ad eum scripsit Od. II. 7. ubi *Pompeius*, II. 16. ubi *Grosphus*, et Ep. I. 12. 22., ubi utroque nomine appellatur.

Gryněus, -a, -um, in vel e Grynia, vel ad Gryniam spectans. Fuit autem *Grynĕa* s. *Grynĕum* urbs in Aeolide Minore, in sinus Smyrnaei ora, Apollinis fano et Oraculo, quod ibi in luco erat, nobilis, unde Apollo *Gryneus* cognominatur. Virg. Ecl. VI. 72. Aen. IV. 345.

Gryneus (disyll.) vocatur Centaurus in Pirithoi nuptiis. Ov. Met. XII. 260. 268.

Gyăros, -i, parva insula ex Aegaei maris Cycladibus, prope Delum. Hodie *Jouro*. Virg. Aen. III. 76. Ov. Met. V. 252. VII. 470.

Gyas, -ae, id. q. Gyges, q. v. — Est quoque hoc nomine unus e Troianis ducibus, qui cum Aenea in Italiam profectus est. Virg. Aen. I. 222. (226.) 612. (616.) V. 118. 169. et al. — Item Turni socius, Melampodis filius, quem Aeneas in Italia interfecit. Virg. Aen. X. 318.

Gyges, -ae, et -is, Gigas, ex Coelo et Terra natus, cui, ut et Briareo et Cotto fratribus, centum manus et quinquaginta capita a poëtis tribuuntur. Tres autem fratres quum coelum adscendere conarentur, hic a Iove victore in Tartarum detrusus est. Hor. Od. II. 17 14. III. 4. 69. Ov. Am. II. 1. 12. Fast. IV. 593. Trist. IV. 7. 18. Est quoque hoc nomine formosissimus puer, Gnido, Cariae urbe, oriundus. Hor. Od. II. 5. 20. — Est et Asteriae cuiusdam amator inconstans, qui in Asiam negotiatum abierat. Hor. Od. III. 7. 5. — Item Troianus, a Turno in Italia caesus. Virg. Aen. IX. 762.

Gygaeus, -a, -um, ad Gygen, Lydiae regem pertinens, id. q. Lydius.

Gygaeus lacus, i. e. Lydius prope Sardes. Prop. III. 9. 18.

Gylippus, -i, Arcas, qui cum Evandro rege in Italiam

Digitized by Google

venit, ibique ex Etrusca uxore novem filios procreavit, qui Aeneae adversus Turnum opem tulerunt. Virg. Aen. XII. 272.—Fuit etiam Spartanorum dux, qui bello Peloponnesiaco, Syracusanis cum classe auxilio missus. Athenienses CCCCXIII. a. c. n. profligavit. Tib. IV. 2. 199.

Gyndes, -is, Assyriae flumen, quod, supra Armeniam ex Mantienis montibus exortum, in Tigrim effunditur. Cyrus id in CCCLX. canaliculos distraxit, cuius dementiae damnatus est a Romanis. Tib. IV. 1. 141.

Digitized by Google

H.

Hadrĭa s. Adrĭa, -ae, dicitur mare illud, quod Italiam a Graecia seiungit, et ventis, praecipue noto, facile agitatum, admodum procellosum est; hodie *Golfo di Venezia*, habetque nomen ab *Adria*, Venetiae urbe inter Padi et Athesis ostia. Hor. Od. I. 3. 15. I. 33. 15. II. 11. 2. II. 14. 14. et al. Prop. I. 6. 1. Latiore sensu pro Ionio mari ponitur. Ov. Trist. I. 11. 4.

Hadriăcus s. Adriăcus et Adriaticus s. Adriaticus, -a, -um, in Hadria, vel ad Hadriam pertinens. Virg. Aen. XI. 405. Ov. Halieut. 125. Fast. IV. 501. Cat. IV. 6. Prop. III. 20. 17.

Hădriānus s. Adriānus, -a, -um, id. q. Hadriacus. Hor. Od. I. 16. 4.

Haedi, -orum, dicuntur duae stellae in sinistrâ signi Aurigae supra Tauri cornua, quae, et orientes et occidentes, gravissimas tempestates in mari excitare solebant. Incidebat autem earum ortus VI. die Octobris; occasus medio fere Decembri. Hor. Od. III. 1. 28. Virg. Ge. I. 205. Aen. IX. 668. Ov: Art. Am. I. 410. Trist. I. 11. 13. Prop. II. 20, 56. v. *Almathea* et *Capra*.

Haemon, -ŏnis, Creontis, Thebanorum tyranni, filius, Antigonen, Oedipi filiam, amavit: quum vero haec Polynices fratris cadaver contra Creontis edictum humandum curasset, a tyranno viva in sepulcrum coniecta interiit; quo facto Haemon doloris impatiens se ad eius tumulum necavit. Fabulam tractarunt e Graecis Sophocles et Euripides, et e Latinis Attius. Ov. Trist. II. 402. in Ibin 563. Prop. II. 7. 83. Est quoque hoc nomine Rutulus, Turni in bello cum Aenea socius. Virg. Aen. IX. 685. — Item Aeneae comes, Lycia oriundus. Virg. Aen. X. 126. (*).

Haemonĭa s. Aemonĭa, -ae, Graeciae regio, ab Haemone rege nomen habens. sicuti postea a Thessalo, huius filio, *Thessalia* est dicta. Hor. Od. I. 37. 20. Ov. Fast. V. 381. Met. I. 568. XI. 229. ex Pont. I. 4. 31. v. *Thessalia*.

Ab Haemonia exsul, i. e. Iason. Ov. ex Pont. I. 3. 75.

Haemonĭdes s. Aemo-

(*) Alii pro eo *Themon* legere malunt.

Digitized by Google

nȳdes, -ae, dicitur Phoebi et Dianae sacerdos, ab Aenea in Italia caesus. Virg. Aen. X. 537.

Haemŏnis s. Aemŏnis, ĭdis, quae in vel ex Haemonia s. Thessalia est, vel ad Haemoniam s. Thessaliam pertinet. Ov. Her. XIII. 2.

Haemonĭus s. Aemonĭus -a, -um, in vel ex Haemonia, ad Haemoniam spectans, id. q. Thessalus. Ov. Her. VI. 23. XII. 127. et al. Tib. I. 5. 45. Prop. I. 13. 21.

Haemonius heros, vir et puer, i. e. Achilles. Ov. Am. II. 9. 7. Art. Am. I. 682. Fast. V. 400. Prop. III. 1. 26.

Haemonius vir, i. e. Protesilaus. Ov. Her. XII. 2.

Haemonius iuvenis, i. e. Ischys, Thessalus, Elati filius, (*). Ov. Met. II. 599. v. *Coronis*; vel Iāson. Ov. Met. VII. 132.

Haemonius equus, i. e. praestantissimus, quales erant equi Thessalici. Prop. II. 8. 6.

Haemonius arcus, i. e. Sagittarius, signum coeleste, in quod Chiron Centaurus, Achillis praeceptor, mutatus fingitur. Ov. Met. II. 81.

Haemonia puppis, i. e. Argo navis, ab Iasone in Thessalia aedificata. Ov. Art. Am. I. 6.

Haemonia urbs, i. e. Trachin. Ov. Met. XI. 652.

Haemonia lyra, i. e. Thessala, s. quam a Chirone magistro Achilles acceperat. Ov. Trist. IV. 1. 16.

Haemonia cuspis. i. e. hasta Achillis. Prop. II. 1. 65.

Haemonium hospitium, i. e. Argonautarum. Prop. I. 15. 20.

Haemonii equi, i. e. Achillis. Ov. Am. II. 1. 32. Art. Am. II. 136. Trist. III. 11. 28. et al. Prop. II. 7. 26.

Haemonii viri sunt Lapithae, Thessaliae populus; et Nestor, Hercules ac Theseus, qui in bello adversus Centauros his opem tulerunt. Ov. Her. XVII. 248.

Haemoniae artes sunt magicae, utpote quas Thessali optime norint. Ov. Art. Am. II. 99.

Haemos s. Haemus, -i, altissimus adeoque gelidus Thraciae mons s. montium tractus, Thraciam a septemtrionali parte claudens, et usque ad Pontum Euxinum procurrens; hodie *Balkan*. Hor. Od. I. 12. 6. Virg. Ge. I. 492. II. 488. Ov. Her. II. 113. Met. II. 219. X. 77. ex Pont. IV. 5. 5. Fabula autem est, Haemonem, Thraciae regem, et Rhodopen, eius coniugem et sororem, se lovem et Iunonem vocasse, atque hanc ob causam a diis iratis in montes esse mutatos. Ov. Met. VI. 87.

Haemus nondum Oeagrius,

(*) Alii eum *Arcadem* dicunt. Paus. Arc. p. 605. v. Burm. ad h. l.

i, e. in quo Orpheus, Oeagri, Thraciae regis, filius, nondum cecinerat; unde hic mons postea *Oeagrius* cognominatus est. Ov. Met. II. 219.

Halcyŏne, v. Alcyone.

Halĕsus, -i, unus ex Agamemnonis comitibus, a quo originem ducebat, (*) cuiusque auriga in Troiano bello fuit. Agamemnone autem a Clytaemnestra et Aegistho interfecto, Argos patriam fugit, et in Italiam venit, ubi Falerios urbem condidit. Troianorum vero odio ductus, postea cum Oscis et Auruncis Turno adversus Aenean auxilio profectus est; quo bello a Pallante, Evandri filio, confossus cecidit. Virg. Aen. VII. 723. X. 352. sqq. Ov. Am. III. 13. 31. — Item unus e Lapithis, quem Latreus Centaurus, in Pirithoi nuptiis interfectum, armis exuit. Ov. Met. XII. 462.

Halyatteus, v. Alyatteus.

Halys, -yŏs, Asiae Minoris flumen, quod in Cappadocia exortum per fines Galatiae et Paphlagoniae defluit et in Pontum Euxinum immittitur. Hodie *Kizil-Irmak* vocatur. Ov. ex Pont. IV. 10. 48.

Hamadrўădes, -um, sunt silvarum Nymphae, quae in arboribus, in primis quercubus, vivere fingebantur et in eo a *Dryadibus* differebant, quod, secus atque hae, una cum arboribus nascebantur, et simul cum iis moriebantur. Virg. Ecl. X. 62. Pseudo-Virg. in Cul. 94. (†) Ov. Met. I. 690. et al. Prop. I. 20. 32. et al. Cat. LXI. 23.

Hammon, v. Ammon.

Hannўbal, v. Annibal.

Harmonĭe, -es, Harmonĭa, -ae, Veneris e Marte filia, quae Cadmo, Thebarum regi, nupsit. Ov. Art. Am. III. 85.

Harpagĭdes, -ae, i. e. Harpagi filius, quem Astyages, Medorum rex, in ultionem Cyri

(*) A nonnullis falso Agamemnonis e Clytaemnestra aliave femina filius vocatur. Serv. ad Virg. VII. 724; dicitur enim eius pater senex, qui filii fata praevidens eum in silva eduxit. Virg. Aen. X. 417., et Cl. Heyne Exc. 8. L. VII. Quod autem *Agamemnonius et Atrides* vocatur, Virg. Aen. VII. 723. Ov. Fast. IV. 73., ad aurigae munus, et forsitan ad generis originem referendum videtur. Interim Ovidii locus corruptus est. Hinc Burm. h. l. iam *Atridae* legere maluit, quo pacto recte se habet versus; si vero pro *agitatus* legatur *agitator* hoc sensu: *Halesus auriga post Agamemnonis caedem in Italiam venerat*, loci sententia eo ipso clarior esse videtur.

(†) Hic locus corruptus est, quum Hamadryades nusquam fontium Nymphae dicantur. Forsitan vero *fontes Hamadryadum* dicuntur *Tempe*, tanquam quorum arboribus Hamadryades *originem* debent.

Digitized by Google

servati nepotis, interfecit patrique epulandum apposuit. Ov. in Ibin 547. (*).

Harpalȳce, -es, Harpalyci, Amymnaeorum, Thraciae gentis, regis, filia, a patre vaccarum atque equorum lacte nutrita et in silva educta, venatrix cursuque equis velocior fuisse fertur. Virg. Aen. 1. 317. (321.)

Harpocrătes, -is, silentii deus, ex Aegypto Romam adductus ibique cultus; fingebatur digito, labiis impresso, silentium admonens. Cat. LXXI V. 4. CII. 4.

Harpȳiae, -arum, finguntur tres aves monstrosae, rapacissimae, visu et olfactu foedae, virginum vultus, vulturumque corpora, manus et pedes magnis aduncis unguibus armata habentes, *Aëllo*, *Ocypete*, *Celaeno*, e Thaumante et Electra natae, quae in Thracia primum Phineum ob excoecatos filios vexare solebant; deinde a Zete et Calai Argonautis e Phinei domo in Strophades insulas propulsae ibi degebant, et ex alto advolantes Aeneae huc appulsi, paratas dapes rapuerunt, relictasque tetro odore et effusis sordibus corruperunt: post mortem vero ad Orci ingressum collocatae fuisse traduntur. Hor. Sat. II. 2. 39. Virg. Aen. III. 212. 226. et al. Ov. Trist. IV. 7. 17. Confunduntur cum Furiis. Virg. Aen. III. 252. — Vocatur quoque *Harpyia* Actaeonis canis. Ov. Met. III. 215.

Hasdrŭbal s. Asdrŭbal, -ălis, Carthaginiensis, Annibalis frater, bello Punico secundo ad Metaurum flumen a C. Claudio Nerone et M. Livio Salinatore una cum exercitu caesus est. Hor. Od. IV. 4. 38. 72. Ov. Fast. VI. 770.

Hebe, -es, Iunonis filia, iuventae dea habita, diis ante a poculis fuit, quam Ganymedes hoc ministerium obiret. Postea est Herculi, in diis recepto, uxor data. Ov. Met. IX. 400. Cat. LXVIII. 116. Prop. I. 13. 23.

Hebrus, -i, fuit maximus Thraciae fluvius, qui ex Haemo monte exortus in Aegaeum mare effunditur; hodie *Mariza* vocatur. Hor. Od. III. 25. 10. et al. Virg. Ecl. X. 65. Ge. IV. 463. 524. Aen. I. 317. (321.) (†) et al. Ov. Her. II. 15. 114. et al. — Vocatur sic etiam formosus adolescens, e Lipara, Aeoliarum insularum una, oriundus. Hor.

(*) v. Iust. Hist. l. 4. et 5.

(†) Rectius tamen multoque rei accommodatius Heyne cum aliis hoc loco *Eurus* legunt.

Digitized by Google

III. 12. 5. — Tandem Troianus, Dolichaonis filius, a Mezentio in Italia caesus. Virg. Aen. X. 696.

Hecăle, -es, pauperrima anus in Attica, quae Theseum iuvenem hospitio excepit. Ov. Rem. Am. 747.

Hecăte, -es, Persae ex Asteria filia, cui deae triplex tribuitur potestas; vocatur enim in coelo *Luna*, in terra *Diana*, et apud inferos *Proserpina*, unde et *tergemina* et *triformis* diva (*) dicitur. Tria praeterea capita, equi, canis et porci, habuisse atque veneficiorum ac magicarum artium praeses fuisse fingitur, cuius sacra noctu in triviis peragi solebant. Ululantes autem canes eam comitabantur. Thraces ei canes immolabant. Hor. Sat. I. 8. 33. Virg. Aen. IV. 511. 609. et al. Ov. Her. XII. 168. Fast. I. 141. 389. et al. Tib. I. 2. 54. v. *Diana*.

Hecatēis, -ĭdos, quae ad Hecaten pertinet.

Hecateis herba, i. e. venenata. Ov. Met. VI. 139.

Hecatēĭus, -a, -um, ab Hecate, ad Hecaten spectans.

Hecatēia carmina sunt magica, quibus Hecate invocabatur. Ov. Met. XIV. 44.

Hector, -ŏris, Priami ex Hecuba filius, Troianorum longe fortissimus heros, Andromaches coniux, Astyanactis pater; qui quum patriam ob Helenam, a Paride raptam, decem fere annos a Graecis defendisset, ab Achille, Graecorum fortissimo, interfectus est. Cadaver vero, ad victoris currum vinctum, et ter circum, seu potius iuxta Troiae muros raptum, Priamus ut sepeliret, precibus magnoque pretio ab Achille redemit. Hor. Od. II. 4. 10. et. al. Virg. Aen. I. 99. (104.) al. Ov. Her. I. 15. 36. III. 86. et saepe. Prop. II. 7. 56.

Hectoris urbs, i. e. Troia. Ov. Trist. I. 10. 17.

Hectorĕus, -a, -um, ab Hectore, vel ad Hectorem spectans, Prop. II. 7. 20. Nonnunquam id. q. Troianus. Hor. Od. III. 3. 28. Virg. Aen. I. 273. (277.) II. 543. et al. Ov. Her. I. 14. III. 126. Art. Am. III. 778. Met. XII. 67.

Hectoreus puer, i. e. Astyanax. Ov. in Ibin 566.

Hecŭba, -ae, et Hecŭbe, -es, Cissei, vel uti aliis placet, Dymantis, Thraciae regis, filia (†), Priamo, Troianorum regi, nupta Hectorem pluresque alios peperit. Troia deinde capta, ab Ulysse est captiva abducta; ad Thraciam vero appulsa Po-

(*) Virg. Aen. IV. 511. Ov. Met. VII. 177.
(†) v. *Dymantis*.

Digitized by Google

lydori filii cadaver quum in litore conspexisset, dolore et ira accensa Polymnestori oculos eruisse et in canem mutata esse fingitur. Hoc argumento adhuc Euripidis tragoedia *Hecuba* exstat. Virg. Aen. II. 501. 515. Ov. Her. V. 84. Met. XIII. 423. sqq. Sab. ap. Ov. I. 83. III. 15. v. *Polydorus*.

Helĕna, -ae, et Hélĕne, -es, Iovis e Leda, Tyndarei uxore, filia, Castoris, Pollucis atque Clytaemnestrae soror, longe omnium formosissima femina, quae primum a Theseo et Pirithoo rapta, deinde a fratribus ad patrem reducta, multos procos habuit, tandemque Menelao, Lacedaemoniorum regi, nupsit, sed a Paride, Priami filio, hospitio excepto, iterum rapta Troiamque abducta, Troiani belli caussa fuit, in quo ut Paris occisus est, Deiphobo, eius fratri, nupsit, quem tandem, Troia capta, Menelao prodidit, et cum hoc Spartam rediit. Hor. Od. I. 3. 2. II. 15. 2. et al. Virg. Aen. I. 650. (654.) VII. 364. Ov. Her. V. 75. Art. Am. II. 359. et al. Cat. LXVIII. 87. Prop. II. 1. 52. III. 12. 19.

Helĕnor, v. Licymnia.

Helĕnus, i, Priami ex Hecuba filius, vaticinandi artis peritissimus, quem Ulysses Troiano bello cepit, et Pyrrhus, Achillis filius, in captivitatem abduxit in Epirum, ubi, Andromache regnique parte potitus, postea Aenean hospitio excepit et imminentium fatorum certiorem fecit. Virg. Aen. III. 295. sqq. Ov. Met. XIII. 99. sqq. Prop. III. 1. 29.

Helernus, -i, fuit Genius luci, haud procul a Roma ad Tiberim siti, Granes Nymphae pater. Ov. Fast. VI. 105.

Heliădes, -um, quae et *Phaëthontiădes*, dicuntur Solis ex Clymene filiae, *Phaëthusa*, *Lampetie* et *Phoebe*, quae luctu, e Phaëthontis fratris morte susceptо, a Iove, misericordia ducto, in alnos vel populos, (*) earumque lacrimae in electrum s. succinum mutatae finguntur. Pseudo-Virg. Cul. 128. Ov. Fast. VI. 717. Met. II. 340., et al. v. *Phaëthon*, *Phaëthontiades*.

Heliadum nemus, i. e. populorum, vel alnorum. Ov. Met. X. 91.

Heliadum lacrimae, i. e. electrum s. succinum. Ov. Met. X. 263.

Helĭce, -es, Achaide urbs, haud procul a Corintho, Neptuno sacra, quae Olymp. XCVIII. s. A. U. CCCLXVI. saevissimo terrae motu absorpta fuit. Ov. Met. XV. 293.

Helĭce, -es, sidus coeleste

(*) Cf. Virg. Ecl. VI. 62. et Aen. X. 190.

Digitized by Google

septemtrionale, etiam *Ursa maior* dictum, quod Graeci in cursu maritimo observabant, uti *Cynosuram s.* minorem Ursam Sidonii ceterique Phoenices. Ov. Her. XVIII. 149. Fast. III. 108. IV. 580. Met. VIII. 207.

Helĭcon, -ōnis, Boeotiae mons silvis obsitus, Phocidi adiacens et Parnaso monti vicinus, Musarum et Apollinis sedes habitus. Hodie dicitur *Zagara*. Hor. Od. I. 12. 5. et al. Virg. Aen. VII. 641. X. 163. Ov. Met. II. 219. et saepe. Prop. II. 8. 5.

Heliconis alumnae sunt Musae. Ov. Fast. IV. 193.

Heliconĭus et Helicōnĕus, -a, -um, in vel ex Helicone, ad Heliconem spectans. *Heliconia Tempe* sunt amoena loca in Helicone. Ov. Am. I. 1. 15. Cat. LXI. 1.

Heliodōrus, -i, Graecus rhetor, Graecae linguae doctissimus, qui in Maecenatis comitibus fuit. Hor. Sat. I. 5. 2.

Hellas, -ădis, nomen puellae, a Mario interfectae. Hor. Sat. II. 3. 277.

Helle, -es, Athamantis e Nephele s. Nebula filia, Phrixi frater. Ov. Her. XVIII. 141. Ov. Fast. III. 155. et al. v. *Phrixus*.

Helles pontus s. mare, i. e. Hellespontus. Ov. Her. XIX. 123. Ov. Trist. I. 10. 15. cf. Met. XI. 195. Prop. II. 20. 5.

Helles urbes, i. e. quae ad Hellespontum sitae sunt. Prop. III. 21. 5.

Hellespontiăcus et Hellespontius, -a, -um, in vel ex Hellesponto, vel ad Hellespontum pertinens. Pseudo-Virg. Cul. 337. Ov. Her. XIX. 32. Trist. I. 10. 23. Cat. I. 8. 4.

Hellespontiacus deus, i. e. Priapus, utpote qui Lampsaci, urbe ad Hellespontum sita, in primis colebatur. Ov. Fast. I. 440. cf. Virg. Ge. IV. 111.

Hellespontus, -i, angustum illud fretum inter Asiam Minorem et Thraciam, a Propontide ad Aegaeum mare usque se extendens, quod nomen habere fingunt ab Helle, quae, cum Phrixo fratre arieti insidens, ex eo in illud mare decidit. Hodie *fretum Gallipolis* vocatur. Pseudo-Virg. Cul. 32. Cir. 413. Ov. Fast. IV. 567. Met. XIII. 407. Cat. LXIV. 359.

Helorĭus s. Elorĭus, -a, -um, ad Helorum pertinens. Ov. IV. 477.

Helōrus s. Elōrus, -i, flumen in orientali Siciliae ora, inter Pachynum et Syracusas, quod Nili ad instar campis superfusum vicinos agros fertiles reddit; hodie *Acellaro*. Virg. Aen. III. 698.

Helўmus, -i, Siculus iuvenis ex Acestis, Siciliae regio,

Digitized by Google

comitibus. Virg. Aen. V. 73. 300 339. — Dicitur sic etiam Centaurus, a Caeneo in Perithoi nuptiis caesus. Ab aliis *Helimus* scribitur. Ov. Met. XII. 460.

Heniochĭus, -a, -um, ab Heniochis, ad Heniochos pertinens; quem Sarmatiae Asiaticae ferum populum Ponti oram incoluisse ferunt. Ov. ex Pont. IV. 10. 26.

Henna s. Enna, -ae, fuit antiqua et amoenissima urbs, loco excelso in media Sicilia sita, e cuius nemore Pluto Proserpinam rapuit. Ceres ibi splendissimum templum habuit; hodie *Castro Ianni* dicitur. Ov. Fast. IV. 455. 462.

Hennaeus s. Ennaeus, -a, -um, in vel ex Henna, vel ad Hennam pertinens. Ov. Met. V. 385. ex. Pont. II. 10. 25.

Heraeus, -a, -um, (*) id. q. Iunonius. Pseudo-Virg. Cul. 354.

Hercēus, -i, quasi tutelaris, fuit Iovis cognomen, quo intra domus cuiusque septum arae ei sacrae erant, et ipse septa atque tecta tutari credebatur. Ad hanc autem Iovis aram Priamus a Pyrrho, Achillis filio, caesus traditur. Ov. in Ibin 286.

Hercŭles, -is, Thebanus heros, Iovis ex Alcmene, Amphitryonis uxore, filius, atque adeo Alcaei nepos, et Iphicli frater; quam ob caussam Iuno eum implacabili odio prosecuta, Eurystheo varios labores, quibus periret, suggessit; quos tamen ille non solum peregit, sed et universum terrarum orbem pererrans, victoriae et virtutis monumenta ubique tanta reliquit, ut Iuno prius iubendo, quam hic laborando, sit defatigata. Ex his autem maxime referuntur duodecim. Aprum, in Erymanthio monte omnia vastantem, vivum cepit, uti et cervam aeripedem et aurea cornua habentem; Lernaeam hydram et leonem in Nemea silva interfecit; Cretensem taurum, cui Neptunus furorem immiserat, et Diomedis, Thraciae regis, equos, et Geryonis tricorporis interemti armenta abegit, et ad Eurystheum abduxit; Augiae stabulum, tria millia boum capiens, uno die purgavit; aurea mala ex Hesperidum hortis abstulit; Stymphalidas aves, humana carne vescentes, partim fugavit, partim interfecit; Hippolytae, Ama-

(*) *Heraeus*, Graece Ἡραῖος, ab Ἥρα, Iuno, derivari potest, et tum *Heraea litora* sunt Graeciae litora, ubi Iuno, Troianis infesta, praecipue colebatur. Nonnulli vero *Gyraea* legentes, *Gyraeas* intelligunt *petras*, ad quas Aiax, Oilei filius, naufragio periit; alii aliter, de quibus v. Heyne l. l. in var. lectt.

zonum reginae, balteum eripuit, et ad inferos descendens, Cerberum, catenis vinctum, ad superos traxit. Praeterea deos in pugna cum gigantibus adiuvit; postea vero cum in Oeta monte sacrificaturus esset, Deïanira, eius uxor, cognito, eum Iŏles amore detineri, tunicam, venenato Nessi sanguine imbutam, ad eum misit, quam simulac induit Hercules, venenum eius viscera pervasit; quo facto, sagittis Philoctetae datis, rogum adscendit seque combussit; ob animi vero magnitudinem ei, inter deos recepto, Hebe, Iunonis filia, uxor est data. Ubique templa ei fuere exstructa, decimaeque oblatae, et a gladiatoribus, rude donatis, arma dicata. Inter arbores populus ei sacra erat. Hor. Od. III. 3. 9. IV. 4. 62. IV. 5. 36. et al. Virg. Aen. V. 410. VII. 656. X. 319. 779 Ov. Her. IX. 18. et saepe. Cat. IV. 13. Prop. I. 12. 23. et al.

Herculis uxor, i. e. vel Deïanira. Ov. Trist. II. 405., vel Hebe. Ov. Fast. VI. 65. 78.

Herculĕus, -a, -um, ab Hercule, ad Herculem pertinens, Herculi sacer. Hor. Od. I. 3. 36. II. 12. 6. Virg. Aen. VII. 669. VIII. 288. 542. Ov. Her. IX. 57. 64. et al. Prop. II. 23. 43.

Herculeus hospes, i. e. Croton, qui Herculem, ab Oceano redeuntem, hospitio excepit. Ov. Met. XV. 8.

Herculeus (*) *hostis*, i. e. Telephus, Herculis ex Auge filius, qui, Graecos transitu per Mysiam prohibere studens, ab Achille vulneratus fertur. Ov. Rem. Am. 47.

Herculeus ductor, i. e. fortissimus dux. Prop. IV. 10. 9.

Herculea gens, i. e. Fabia, quia Fabius, huius gentis auctor, Herculis filius ex Euandri regis filia fuisse fertur. Ov. Fast. II. 237.

Herculea Trachin, i. e. Herculi sacra, utpote qui Trachine versatus est. Ov. Met. XI. 627.

Herculea urbs, i. e. Herculanum, Campaniae urbs maritima, inter Pompeios ac Neapolim, Neronis tempore terrae motu magna ex parte deleta, et, Tito imperante, Vesuvii montis eruptione cineribus saxisque prorsus obruta. Hodie eius rudera effossa conspiciuntur. Ov. Met. XV. 711.

Herculea arbos, i. e. populus, Herculi sacra. Virg. Ge. II. 66. cf. Aen. VIII. 276.

Herculeum Tarentum, i. e.

(*) Alii *Achilleus*.

Digitized by Google

Herculi sacrum. Hercules enim in extrema Italia ubique fuit cultus, eiusque monumenta passim fuerunt inventa. Virg. Aen. III. 551.

Herculea litora sunt aggeres Herculis prope Bajas. Prop. I. 11. 2.

Herȳlus, -i, fuit Praenestis rex, cui Feronia mater tergeminam vitam donarat, quam Evandrus eum ter interficiendo exstinxit. Virg. Aen. VIII. 563.

Hermaphrŏdītus, -i, Mercurii et Veneris filius, a Nymphis Naiadibus in Ida monte eductus, postea in Cariam venit, ubi quum se in fonte lavaret, Salmacis Nympha, illius amore capta, eum arcte complexa est, et ad amorem flectere quum non posset, a diis impetravit, ut ambo corpora in unum coalescerent; quod ut Hermaphroditus sensit, a diis etiam hoc petiit, ut quicunque vir illum fontem intrasset, semivir exiret. Ov. Met. IV. 383.

Hermĭŏne, -es, fuit pulchra Menelai et Helenae filia, quam pater Pyrrho, Achillis filio, uxorem dedit. Orestes autem, cui iam ante a Tyndareo avo et Leda avia desponsata fuerat, hanc, Pyrrho interfecto, sibi vindicavit. Virg. Aen. III. 328. Ov. Her. VIII. 159. Art. Am. I. 745. et al. Prop. I. 4. 6. v. *Orestes, Pyrrhus.*

Hermiŏnēus, -a, -um, ad Hermionem, Argolidis urbem maritimam, pertinens. Pseudo-Virg. Cir. 473.

Hermogĕnes (M.) Tigellius, -is, levissimus homo e Sardinia, cantor eximius, Iulio Caesari Dictatori et Octavio amicus, cuius mortis meminit Hor. Sat. I. 2. 3. I. 3. 4. 129. Fuit autem eius nepos etiam cantor, uti videtur, qui Horatii adhuc tempore vivebat, et avi magnarum divitiarum heres fuerat, quem Horatius perstringit. Sat. I. 4. 72. I. 9. 25. I. 10. 18. 80. 90.

Hermus, -i, aurifer Asiae Minoris fluvius, qui in Phrygia maiore exortus Lydiam atque Aeolidem perfluit, et in mare Aegaeum exoneratur. Hodie *Sarabat.* Virg. Ge. II. 187. Aen. VII. 721.

Hernĭcus, -a, -um, ab Hernicis, ad Hernicos pertinens. Fuerunt autem *Hernici*, Latii novi populus, inter Volscos, Aequos et Marsos, habitans. Virg. Aen. VII. 684. Ov. Fast. III. 90.

Hero, -us, formosissima puella, Veneris sacerdos, Sesto, Thraciae urbe ad Hellespontum, oriunda, quam quum Leander ex Abydo, Asiae urbe, ad idem mare sita, amaret, nec raro huius amoris caussa clam Hellespontum nando traiceret, tandem quum se mari, ventis agi-

Digitized by Google

tata, rursus commisisset, fluctibus submersus indigne periit; quem ut mortuum Hero cognovit, e turri sese in undas praecipitavit. Ov. Her. XVIII. et XIX. Am. II 16. 31.

Herōdes, -is, fuit unus e tribus huius nominis regibus, qui Iudaeae imperarunt, cuius palmeta pinguia laudat Hor. Ep. II. 2. 184.

Herophȳle, -es, fuit sibylla, Apollinis Smynthei sacerdos. Tib. II. 5. 68. v. *Sibylla.*

Herse, -es, Cecropis, Atheniensium regis, filia, quae cum sororibus Erichthonium Palladis iussu custodivit, et a Mercurio amata fuit. Ov. Met. II. 559. v. *Aglauros.*

Hersilȳa, -ae, fuit una e raptis Sabinis virginibus, quam Romulus in matrimonio habuit; quae vero post mariti mortem divinos accepit honores, et *Ora* vocata inventutis dea est habita. Ov. Met. XIV. 830. sqq.

Hesiōna, -ae, et Hesiōne, -es, Laomedontis, Troiae regis, filia, Priami soror, quam monstro marino obiectam Hercules liberavit; quum vero equos, quos pro virginis salute pactus esset, a Laomedonte non acciperet, Ilio expugnato, regem interfecit, Hesionenque Telamoni uxorem dedit. Virg. Aen. VIII. 157. Ov. Her. XX. 69. Met. XI. 217. v. *Laomedon.*

Hesperȳa, -ae, a Graecis vocabatur Italia, utpote quae ad Hesperum s. occidentem solem fuerit sita. Nomen autem habet ab Hespero planeta, qui vespertino tempore occidentem solem versus apparere solet. Virg. Aen. I. 530. (534.) III. 163. et saepe. — Ob eandem rationem a Romanis idem nomen tribuitur Hispaniae, quae subinde et *ultima Hesperia* dicitur. Hor. Od. I. 36. 4. Ov. Met. XI. 257. Minus vero recte ipsi Romani, Graecos in his imitati, Italiam quoque Hesperiam appellavere (*). Hor. Od. II. 1. 32. III. 6. 8. IV. 5. 38. Ov. Fast. I. 498.

Hesperȳdes, -um. dicuntur tres Nymphae, *Aegle*, *Arethusa*, et *Hesperusa*, (†) Hesperi, Atlantis fratris, filiae, quae in Mauritania ad Atlantis montis radices hortos habuerunt, in quibus a dracone pervigili aurea mala servabantur, quae Hercules Eurysthei iussu, interfecto dracone, abstulit. Virg.

(*) Nec aliter *aquilo* dicitur *Thracius ventus* et *Thraciae animae.* Hor. Od. I. 25. 11. IV. 12. 1. cf. Epod. XIII. 3., qui quidem ventus Graecis e Thracia flabat, Romanis non item.

(†) Serv. ad Virg. IV. 484. Alii vero quattuor statuunt. v. Apollod. II. 5. 11.

Digitized by Google

Aen. IV. 484. Ov. Met. XI. 114. Prop. II. 21. 10.

Hesperidum mala s. *munus* simpliciter aurea mala significare videntur. Virg. Ecl. VI. 61. Pseudo-Virg. Cat. XI. 25. v. *Atalanta, Schoenei f.*

Hesperides aquae sunt Italicae. Virg. Aen. VIII. 77. v. *Hesperia.*

Hesperĭe, -es. Ov. Met. XI. 769. Rectius pro eo *Asterope* legendum puto. v. *Aesacus, Cebrenis.*

Hesperĭus, -a, -um, in vel ex Hesperia, vel ad Hesperiam spectans, id. q. occidentalis. Virg. Aen. VII. 601. Ov. Am. I. 15. 29. et al.

Hesperius rex, i. e. Hesperus, Iäpeti filius, Atlantis frater, Hesperidum pater. Ov. in Nuc. 111.

Hesperius draco, i. e. qui in Hesperidum horto aurea mala servabat. Prop. II. 19. 10.

Hesperia terra, i. e. Italia. Virg. Aen. II. 781.

Hesperium solis cubile, i. e. Oceanus occidentalis. Hor. Od. IV. 15. 16. cf. Ov. Met. XI. 257.

Hesperium (*sidus*), i. e. Hesperus planeta. Pseudo-Virg. Cir. 352.

Hesperii fluctus, Hesperia unda, aqua et *Hesperium fretum*, i. e. mare, quod Hesperiam s. Italiam alluit. Hor. Od. I. 28. 26. II. 17. 20. Ov. Fast. II. 73. Met. XI. 258. Prop. IV. 1. 18.

Hesperii sunt Graeci. Prop. II. 2. 53.

Hespĕrus, -i, planeta, qui et *Venus* et *Lucifer* dicitur. Virg. Ecl. VIII. 30. X. 77. Ov. Fast. II. 315. Met. II. 314. V. 441. et al. Cat. LXII. 20. v. *Lucifer.* Vocatur sic etiam Iäpeti filius, qui ex Asia Nympha Hesperides procreavit. v. *Hesperides.*

Hiarbas. v. Iärbas.

Hibĕrus. v. Iberus.

Hiberĭa. v. Iberia.

Hicetaonĭus, -i, i. e. Thymoetes, Hicetaonis filius. Fuit autem *Hicetāon* Laomedontis, Troiae regis, filius, Priami frater. Virg. Aen. X. 123.

Himella, -ae, parvum flumen in Sabinis, quod prope Casperiam urbem exortum in Tiberim effunditur, et nunc *Aia* vocatur. Virg. Aen. VII. 714.

Himĕra, -orum, vel usitatius Himĕra, -ae, fuit olim urbs, in occidentali Siciliae ora prope Panormum, ad ostium fluvii eiusdem nominis sita. Ov. Fast. IV. 475.

Hippasĭdes, -ae, i. e. Socus, Hippasi filius, Charopis frater, ab Ulysse ad Troiam occisus. Ov. Met. XIII. 257. (*).

Hippăsus, -i, Euryti filius

(*) Alii *Iphitides* legunt; cf. Hom. Il. λ. 427. 448.

Digitized by Google

us, unus e ducibus, qui Calydonii apri venationi interfuerunt. Ov. Met. VIII. 313. Est quoque hoc nomine Centaurus in Perithoi nuptiis a Theseo caesus. Ov. Met. XII. 352.

Hippocŏon, -ontis, Oebali filius, Amyclarum in Laconia et, expulso Tyndareo fratre, Lacedaemonis rex, filios ad apri Calydonii venationem misit, cum quibus postea ab Hercule interfectus est, qui et Tyndareo regnum restituit. Ov. Met. VIII. 314. v. *Enaesimus*. — Est quoque hoc nomine Hyrtaci filius, qui in ludis, ab Aenea in Sicilia institutis, sagitta certavit. Virg. Aen. V. 492.

Hippocrēne, -es, quasi equi fons, fuit in Boeotia haud procul a Thebis in Helicone monte, Musis sacer, qui Pegasi equi percussione factus fingitur. Ov. Fast. V. 7.

Hippodămas, -ntis, Perimeles pater. Ov. Met. VIII. 592. v. *Perimele*.

Hippodăme, -es, et Hippodamīa, -ae, Oenomai, Pisarum in Elide regis, ex Sterope filia, Pelopi, Tantali filio, nupta Atreum et Thyesten procreavit. Virg. Ge. III. 7. Ov. Her. VIII. 70. sqq. Am. III. 2. 16. Art. Am. II. 8. Prop. I. 2. 20. v. *Pelops*. Huius nominis etiam legitur Atracis Lapithae filia, quae Perithoo, Lapitharum regi, nupsit. Ov. Her. XVII. 248. Am. III. 1. 15. Met. XII. 210. 224. v. *Perithous*.

Hippolўta, -ae, et Hippolўte, -es, Acasti, Iolci in Magnesia regis, uxor, Peleum frustra ad stuprum sollicitare studuit. Hor. Od. III. 7. 18. v. *Peleus*. — Vocatur praeterea sic Amazonum regina, cui Hercules balteum, a Iunone ipsi datum, Eurysthei iussu eripuit, eamque victam Theseo uxorem dedit, qui ex ea Hippolytum procreavit. Virg. Aen. XI. 661. Ov. Her. XXI, 120.

Hippolўtus, -i, Thesei, Atheniensium regis, ex Hippolyte, vel Antiope, Amazone pudicus filius: a Phaedra enim noverca frustra ad adulterium pellectus, et eam ob causam apud patrem accusatus, hunc credulum fugit, Troezenaque petiit. Neptunus autem, Thesei precibus motus, repente taurum marinum immisit, quo quadrigae, quibus vehebatur, exterritae Hippolytum distraxerunt: Aesculapii vero ope et Dianae amore in vitam restitutus, in Italiam profugit, et a Diana in Aricino nemore absconditus, *Virbius* dictus, et divino honore dignus habitus est. Virg. Aen. VII. 765. Ov. Her. IV. 36. 164. XXI. 10. Met. XV. 497. sqq. Prop. IV. 3. 43. — Horatius autem antiquiorem secutus fabulam Dianam frustra Hippolytum ab inferis reducere studuisse cecinit. Od. IV. 7. 26. v. *Virbius*.

Digitized by Google

E Graecis Euripides, et e Latinis Seneca hoc argumento tragoedias scripserunt, quae etiam nunc exstant. Inter Sophoclis tragoedias, quae periere. etiam Hippolytus refertur.

Hippomĕnēis, -ĭdis, i.e. Limone, Hippomenae filia. Ov. in Ibin 337.

Hippomĕnes, -ae, et -is, Megarei e Merope filius, Neptuni nepos, Atalanten, Schoenei regis filiam, cursu superatam, ex pacto uxorem obtinuit, Pseudo-Virg. Cat. XI. 26. Ov. Her. XVI. 263. XXI. 124. Met. X. 575. sqq. v. *Atalanta*, *Schoenei f.*

Hipponŏus, -i, Argivus Capanei ex Astynome, Talai filia, pater. Ov. in Ibin 472.

Hippotădes, -ae, i. e. *Aimastris*, Hippotae filius, Troianus, a Turno in Italia caesus. Virg Aen. XI. 674., vel *Aeolus*, quippe qui e Segesta, Hippotae Troiani filia, et Iove natus fingitur. Ov. Her. XVIII. 46. Fast. IV. 10. 15. Met. IV. 662. XI. 431. XIV. 224.

Hippotadae regnum, i. e. Aeoliae insulae. Ov. Met. XIV. 86. cf. XV. 707. v. *Aeolius III.*

Hippothŏus, -i, Neptuni ex Alope filius, Cercyonis, regis in Attica, nepos, fuit unus ex iis, qui ad Calydonium aprum interficiendum convenerunt, Ov. Met. VIII. 307.

Hirpīnus. v. Quintius.

Hispanĭa, -ae, Europae regio, quae Oceano, Pyrenaeis montibus, Mediterraneo mari et Herculeo freto, disterminabatur, et in Tarraconensem, Baeticam et Lusitaniam, divisa fuit. Tib. IV. 1. 138.

Hispānus, -a, -um, in vel ex Hispania, vel ad Hispaniam pertinens. Hor. Od. III. 6. 31. III. 8. 21. et al. Ov. Art. Am. III. 466. Fast. VI. 462.

Hister, id. q. Ister. v. *Danubius.*

Homērus, -i, summus poëta epicus, Graecorum scriptorum longe vetustissimus, Smyrna vel Colophone oriundus, quamquam septem civitates suum esse civem certatim contenderunt, in *Iliade* Achillis iram ob ereptam ab Agamemnone Briseidem; in *Odyssea* Ulyssis reditum in Ithacam carmine celebravit. In utroque autem hominum mores verbis eximie pinxit, et vitam sapienter instituendi egregia praecepta dedit, quapropter a veteribus divino honore cultus fuit. Haec duo carmina et pauci hymni ad nostram memoriam pervenere. Circa CC. annos ante U. C. floruisse videtur (*). Hor. Od. IV. 9. 6. et. al. Pseudo-

(*) Varias de Homeri aetate sententias collegit W. D. Fuhrmann, in eius Historia literaria Graecorum scriptorum; Lipsiae 1804. Theotisce edita, p. 36. V. et Harles Introd. in Hist. ling. Graec. et eius suppl. ad Int. in Hist. L. G. T. I. p. 79.

Digitized by Google

Virg. Cir. 65. Ov. Am. I. 8. 61. III. 8. 28. Art. Am. II. 109. et saepe. Tib. IV. 1. 186. Prop. I. 7. 3.

Homŏle, -es, altus Thessaliae mons, Pelii montis pars, ubi Centauri sedem habuisse feruntur. Virg. Aen. VII. 675.

Hora, v. Ora.

Horae, -arum, finguntur tres Iovis et Themidis filiae, *Eunomia*, *Dice* et *Irene*, quae Solis ministrae, et coeli portarum custodes erant, annique partibus praeerant; unde et pro ipsis temporum vicissitudinibus ponuntur. Hor. Od. I. 12. 16. Ov. Fast. I. 125. Met. II. 26. 118.

Horatĭus, -a, -um, ad Horatium Coclitem, militari virtute insignem, pertinens. Pseudo-Virg. Cul. 360. Prop. III. 2. 7. v. *Cocles*.

Horatĭus (Q.) Flaccus, -i, egregius poëta, lyricorum Latinorum princeps, Venusia, Apuliae urbe, oriundus, Virgilii sincerus amicus, a M. Bruto, cum Athenis literis operam daret, ad bellum civile excitus, Philippensi proelio Tribunus militum fuit, Brutoque deinde victo Maecenatis beneficio non solum ab Augusto veniam impetravit, sed et in amicitiam receptus utri- que carissimus exstitit. Hor. Od. IV. 6. 44. Ep. I. 14. 5. Ov. Trist. IV. 10. 49.

Horŏs, -i, astrologi s. geometrae cuiusdam nomen. Prop. IV. 1. 79.

Hortălus, -i, Catulli amicus, cui e Callimacho carmen de *coma Berenices* Latine vertit. Cat. LXV.

Hortensĭus (Q.), -i, Romanus, A. U. DCLXXXV. Consul, cum M. Tullio Cicerone de eloquentiae principatu contendit, et carmina, in quibus lascivus fuit, scripsisse videtur: ex his vero nihil ad nostram aetatem pervenit. Ov. Trist. II. 441.

Hortīnus, -a, -um, in vel ex Horta, vel ad Hortam spectans, quae Etruriae urbs hodie *Orti* s. *Orta* dicitur. Virg. Aen. VII. 716.

Hyăcinthĭus, -a, -um, ab Hyacintho, vel ad Hyacinthum pertinens.

Hyacinthia sunt festa, quae quotannis ob interfectum Hyacinthum a Graecis Apollini celebrabantur. Ov. Met. X. 219.

Hyacinthus et Hyacinthos, -i, formosus iuvenis, Oebali, (*) Spartae regis,

(*) Hyg. f. 271. Luc. dial. deor. 6. Serv. ad Virg. XI. 69., unde *Oebalides* vocatur. Ov. Met. X. 196. in Ibin. 590. Dicitur praeterea *Therapnaeus*, Ov. Fast. V. 223. *Amyclides*, Met. X. 162. et *Taenarides*, Met. X. 183., non quod Therapnis, Amyclis, vel Taenari,

Digitized by Google

filius, ab Apolline dilectus, cum quo aliquando disco ludens, illumque proiectum nimis propere tollere studens, disco a terra resiliente funestum vulnus accepit. Sanguis autem in sui nominis florem mutatus est. Ov. Met. X. 185.

Hyădes, -dum, (†) dicuntur septem Atlantis ex Aethra filiae, quae quum, uti in fabulis est, Hyantem fratrem a leaena discerptum lugerent, a Iove in stellas mutatae, et in Tauri sideris fronte collocatae, tam ortu quam occasu tempestates et largam pluviam excitare credebantur. Hor. Od. I. 3. 14. Virg. Ge. I. 138. Aen. I. 744. (748.) III. 516. Ov. Fast. III. 165. IV. 678. et al.

Hyantēus et Hyantĭus, -a, -um, id. q. Boeotius; ab Hyante, antiquo Boeotiae rege. Ov. Met. V. 312. VIII. 316.

Hyantius iuvenis, i. e. Actaeon, Cadmi, Boeotiae regis, nepos. Ov. [illegible] III. 147.

Hyarbĭta. v. Iarbita.

Hyas, -ntis et -ae, Atlantis et Aethrae filius, Hyadum frater, qui in venatu a leaena occisus est. Ov. Fast. V. 170. sqq.

Hyantis sidus, i. e. Hyadum. Ov. Fast. V. 734.

Hybla, -ae, et Hybe, -es, Siciliae mons, thymo aliisque floribus abundans, unde apes optimum mel colligebant. Virg. Ecl. VII. 37. Ov. Art. Am. II. 517. III. 150. et al.

Hyblaeus, -a, -um, in vel ex Hybla, vel ad Hyblam pertinens. Virg. Ecl. I. 55.

Hydaspes, -is, Indiae fluvius, qui in Indum flumen exoneratur, et propter multa mira, quae de eius totiusque Indiae monstris narrabantur, fabulosus dicitur; hodie *Behut* vocatur. Hor. Od. I. 22. 8. Virg. Ge. IV. 211.

Hydaspes, -is, dicitur sic servus subniger, Indis oriundus, quales Romani luxus causa alebant. Hor. Sat. II. 8. 14. — Item Aeneae socius, quem in Italia interfecit Sacrator Rutulus. Virg. Aen. X. 747.

Hydra, -ae, Hor. Od. IV. 4. 61. Ov. Met. IX. 192. v. *Lernaeus*.

Hydrochŏos, -i, Latine Aquarius. Cat. LXVI. 94. v. *Aquarius*.

Hylaeus, -i, Centaurus,

natus, vel uti nonnullis placet, Amyclae filius fuit; tum enim *Oebalides* haud facile explicari potest; quia Oebalus, Spartae rex, a quo Laconia Oebalia est dicta, Amyclae pronepos fuit, Apoll. III. 10. 4. sed poëtico more nominibus a vicinis locis petitis; fuerunt enim Therapnae, Taenarus et Amyclae Laconiae urbes; nec aliam ob rationem Helena, Spartae nata, *Therapnaea*. Ov. Her. XVI. 196. Art. Am. III. 49., et Castor et Pollux Amyclaei dicuntur. Her. VIII. 72. Hyacinthus autem diserte Spartae natus fertur. Ov. Met. X. 217.

(†) Ἀπὸ τοῦ ὕειν, i. e. a pluendo.

Digitized by Google

qui dum in Perithoi nuptiis vino inebriatus Hippodamiam primus violare studebat, ab Hercule caesus est. Hor. Od. II. 12. 6. Virg. Ge. II. 457. Aen. VIII. 294., vel, ut aliis placet, fuga periculum evitans in Arcadia ab Atalanta, cui vim inferre parabat, sagittis confossus est. Ov. Art. Am. II. 191. Item unus ex Actaeonis canibus. Ov. Met. III. 213.

Hylaeus, -a, -um, ad Hylaeum Centaurum pertinens. Prop. I. 1. 13.

Hilaïra v. *Ilaira*.

Hylas, -ae, Thiodamantis filius, formosus puer, Herculis in Argonautica expeditione comes; quum vero, navibus ad Mysiam appulsis, aquatum ad Ascanium fluvium accessisset, a Nymphis Naïadibus raptus est. Hercules autem frustra eum quaerendo adeo aberravit, ut a sociis relictus sit. Nymphae vero, ne apud se absconditus Hylas inveniretur, timentes, puerum in echonem mutarunt. Virg. Ecl. VI. 43. (§) Ge. III. 6. Ov. Trist. II. 406. Art. Am. II. 110.

Hyleus, -ĕi, fuit unus e Calydonii apri venatoribus, qui a fera discerpti narrantur. Ov. Met. VIII. 312.

Hyllus, -i, Herculis e Deïanira filius, qui post patris mortem Iolen uxorem duxit. Ov. Her. IX. 44. Met IX. 279. — Est quoque hoc nomine Troianus, a Turno in Italia caesus. Virg. Aen. XII. 535.

Hymen, -ĕnis, et Hymenaeus, -i, vel coniunctim *Hymen Hymenaeus*, Bacchi ex Uranïa Musa filius, virginalium nuptiarum deus habitus, a nubentibus, ut nuptiis adesset, invocari solebat. Ov. Her. VI. 44. Met. X. 2. Cat. LXI. 4. et al. Prop. IV. 4. 59. Unde et pro *nuptiali carmine*, atque ipsis *nuptiis* ponitur. Virg. Ge. III. 60. et al. Ov. Her. II. 33. XIV. 27. Met. XII. 215. Cat. LXVI. 11. Sicuti etiam de bestiarum coninnctione adhibetur. Virg. Ge. IV. 516.

Hymettĭus, -a, -um, in vel ex Hymetto, vel ad Hymettum pertinens. Hor. Sat. II. 5. Ov. Met. X. 284.

Hymettiae trabes, i. e. marmoreae ex Hymetto monte. Hor. Od. II. 18. 3.

Hymettus, -i, Atticae mons, Athenis vicinus, tum pretios-

(§) Hic versus cum se male habeat, et in Hylae sacris sacerdos ter eius nomen vocare, et echo ter respondere soleret, Ant. Lib. Met. XXVI. extr., sic legendus esse videtur, *clamassent, ut litus Hyla, Hyla, Hyla omne sonaret*. Tum enim hiatum admitti non opus est, et ultimae syllabae *echo* per elisionem clarius auditur, atque ita in versu multo maior ars est: vocativus autem Graecus in *a*, ut Servius l. l. monet, longus est. Cf. vero etiam Prosodia mea p. 36 sec. ed.

Digitized by Google

marmore, tum praecipue optimo melle, quod ibi apes colligebant, quodque etsi dulcis saporis erat, tamen acritudinem quandam, gustui admodum iucundam, permixtam habebat; hodie dicitur *Matto*, et ab incolis *Lampros Bouni*. Hor. Od. II. 6. 14. Ov. Art. Am. III. 687. Met. VII. 702.

Hypaepa, -orum, parvum oppidum Lydiae, inter Tmolum montem et Caystrum fluvium, Veneri sacrum; hodie *Berki* vocatur. Ov. Met. VI. 13. XII 152.

Hypănis, -is, flumen, quod e Sarmatiae Europaeae montibus exortum in Borysthenem et mox cum hoc in Pontum Euxinum effunditur; hodie vocatur *Bog*. Virg. Ge. IV. 370. Ov. Met. XV. 285. ex Pont. IV. 10. 47. Prop. I. 1. 24. — Est etiam hoc nomine Troianus, qui in Troiae incendio a sociis inscius interfectus narratur. Virg. Aen. II. 340. 428.

Hyperbŏrĕus, -a, -um, ad extremas septemtriones versus terras atque gentes spectans; plerumque tamen id. q. *septemtrionalis* Vocabantur enim sic regiones et populi ultra Rhipaeos montes. Hor. Od. II. 20. 16. Virg Ge. III. 196. 381. et al. Ov. Met. XV. 356.

Hyperīon, -ŏnis, Coeli e Tellure filius, qui e Thia Auroram, Solem et Lunam, procreavit. Ov. Met. IV. 192. Ponitur saepe pro ipso sole. Pseudo-Virg. Cul. 100. Ov. Fast. I. 385. Met. VIII. 564. XV. 407.

Hyperionis urbs, i. e. Heliopolis, Aegypti urbs, soli sacra; hodie *Matarea*. Ov. Met. XV. 406.

Hyperionis, -ĭdis, i. e. Aurora, Hyperionis filia. Ov. Fast. V. 159.

Hypsaea, -ae, Romana femina, oculorum vitio laboraps, quam Horatius perstringit, Sat. I. 2. 91.

Hypermnestra, -ae, una e quinquaginta Danai filiabus, quae contra patris iussum Lynceum maritum sola servavit, Ov. Her. XIV. 1. 53. 129. Prop. IV. 7. 63.

Hypsipўle, -es, Thoantis filia, Bacchi ex Ariadne neptis, Lemni insulae regina, quae cum ceterae mulieres omnes viros occidissent, Thoantem patrem, navi impositum, clam dimisit; mox e Iasone, quem cum Argonautis huc appulsum benigne hospitio exceperat, duos peperit filios, Euneum et Deipylum; neque multo post a feminis, pietate in patrem detecta, Lemno expulsa atque a piratis capta, Lyco vel Lycurgo, Thraciae regi, vendita est, qui Archemorum s. Ophelten filium ei nutriendum dedit, quem, parum diligenter custoditum, serpens interfecit. Ov. Her. VI. 8. 59. sqq. Prop. I. 15. 18.

Digitized by Google

Hypsipyles patria, i. e. Lemnos. Ov. Met. XIII. 399.

Hypsipyles puer, i. e. Opheltes s. Archemorus. Ov. in Ibin 485.

Hypsipylēus, -a, -um, ab Hypsipyle, ad Hypsipylen pertinens.

Hypsipylea tellus, i. e. Lemnos insula. Ov. Fast. III. 82.

Hyrcānus, -a, -um, in vel ex Hyrcania, vel ad Hyrcaniam spectans. Fuit autem *Hyrcania* Asiae regio ad Caspium mare, Mediae et Parthiae finitima, feris abundans. Virg. Aen. IV. 367. VII. 605. Pseudo-Virg. Cir. 308. Cat. II. 5. Prop. II. 23. 66.

Hyrĭe, -es, Boeotiae regio prope Aulidem, cum oppido ac lacu eiusdem nominis, sic dicta ab Hyrie, quae Cycnum filium, qui ab alto saxo se dejecerat, ita flevit, ut in lacum delicuerit. Ov. Met. VII. 371. 389.

Hyrĭeus, -ĕi, Boeotius rusticus, pater Orionis, qui inde *Hyriea proles* dicitur. Ov. Fast. V. 499. 535. VI. 719.

Hyrtacĭdes, -ae, i. e. vel *Hippocoon*, Hyrtaci filius. Virg. Aen. V. 492., vel *Nisus*, Hyrtaci Troiani et Idae Nymphae filius. Virg. Aen. IX. 177. sqq. Ov. Trist. I. 5. 24.

Hyrtacidae comes, i. e. Euryalus, Nisi comes. Ov. in Ibin 634.

Hyrtăcus, -i, Troianus vir, qui ex Ida Nympha Nisum procreavit. Virg. Aen. IX. 406.

Digitized by Google

I.

Iăcchus,-i, Bacchi cognomen, quo a bacchantibus feminis invocabatur. Virg. Ecl. VII. 61. Ge. I. 166. Ov. Met. IV. 15. Nonnumquam etiam, uti et Bacchus, pro ipso *vino* usurpatur. Virg. Ecl. VI. 15. Prop. II. 2. 27.

Iăchus florens i. e. hedera cinctus. Cat. LXIV. 255.

Iaera,-ae, Nympha, quae Pandarum et Bitian, Alcanoris filios, in Iovis Idaei luco educavit. Virg. Aen. IX. 673.

Iălysĭus,-a,-um, ad Iălysum pertinens. Fuit autem *Iălysus* e tribus antiquissimis Rhodi insulae oppidis unum, nomen habens a conditore Iălyso, Herculis filio, Solis nepote. Ov. Met. VII. 365.

Ianālis,-e, a Iano, vel ad Ianum pertinens. Ov. Fast. VI. 165.

Ianicŭlum,-i, fuit olim arx cum oppido, a Iano rege ad Tiberim in monte condita; postea vero ab Anco Marcio, Romanorum rege, per pontem Sublicium Romae iuncta, unus e septem urbis montibus fuit. Virg. Aen. VIII. 358. Ov. Fast. I. 246.

Ianigĕna,-ae, i. e. Canens, Iani filia. Ov. Met. XIV. 331.

Iănthe,-es, puella Phaesto, Cretae urbe, oriunda, Telestae filia, quae, ab Iside e femina in marem mutata, Iphidi nupsit. Ov. Met. IX. 714. sqq. v. *Iphis*.

Ianus,-i, Canentis e Venilia pater, fuit antiquissimus Italiae rex, qui ex Thessalia Perrhaebia in Italiam venit (†) et in Latio ad Tiberim arcem cum oppido condidit, et Ianiculum appellavit. Saturnum deinde a Iove filio, uti est in fabulis, coelo expulsum, et classe in Italiam advectum, benigne hospitio excepit, a quo agriculturam doctus ei regni partem concessit. Post mortem autem divino honore cultus *Chaos* vocatus est. Postea a Romanis temporis deus et totius mundi custos habitus, qui omnia in eo claudebat aperiebatque, unde *matutinus pater* dicitur. Ianus quoque tam coeli quam terrae praeesse credebatur, et primus in omnibus sacrificiis invocabatur; tum tanquam pacis bellique arbiter, Romae templum habuit,

(†) Plut. *quaest. Rom.* p. 269 cf. *locus Draconis Corcyraei ap.* Athen. L. XV. p. 697.

Digitized by Google

quod indicto bello adeuntibus et supplicantibus patebat, et facta pace claudebatur, unde *Patulcius* et *Clusius* audit. Fingitur bifrons, quod, cum coeli praeses esset, orientem et occidentem solem respiceret, vel quod ut prudens solersque rex praeterita novisse futuraque prospexisse videtur. Calendis Ianuariis tus, mel, ficus aliaque dulcia, ei sacrificare solebant. Hor. Sat. II. 6. 20. Ep. I. 16. 59. Virg. Aen. VI. 180. 12. 198. Ov. Rem. Am. 531. Fast. I. 43. et al.

Ianus Quirinus est id. q. Martius, belli potens. Hor. Od. IV. 15. 9. v. *Quirinus*.

Ianus et *Iani mensis*, i. e. Ianuarius, Iano sacer. Ov. Fast. II. 1. 48. 51.

Iani dies, vel *calendae*, i. e. primus Ianuarii mensis dies. Ov. ex Pont. IV. 9. 60. in Ibin 65.

Ianus summus ab imo, i. e. omnis Iani vicus s. omnes foeneratores, qui ibi habitare mensasque habere solebant. Hor. Ep. I. 1. 54. Erat enim Iani nomine Romae vicus, a tribus Iani simulacris nomen habens, ubi bibliopolarum pilae s. columnae erant, et a foeneratoribus res pecuniaria agebatur; praecipue vero hoc ad medium Ianum pertinuit.

Iăpĕtĭdes, -ae, unus ex Iăpeti posteris, citharoedus in Persei nuptiis. Ov. Met. V. 111.

Iăpetionĭdes, -ae, i. e. Atlas, Iăpeti filius. Ov. Met. IV. 631.

Iăpĕtus, -i, unus e Titanibus, Coeli e Tellure filius, qui e Clymene Atlantem, Hesperum, Prometheum et Epimetheum, procreavit. Virg. Ge. I. 279.

Iăpeti genus s. *Iăpeto satus*, i. e. Prometheus. Hor. Od. I. 3. 27. Ov. Met. I. 82.

Iăpis, -ĭdos, (†) Iăsi filius, medendi artem ab Apolline doctus; qui quum Aenean, in Italia sagitta vulneratum, sanare non posset, herba, a Venere data, medicinam attulit. Virg. Aen. XII. 391. 420. 425.

Iăpydius, -a, -um, ad Iăpydiam pertinens. Fuit autem *Iapydia* regio Liburniae, nunc *Morlachia* dicta, cuius incolae cum Illyrici et Pannoniae populis a. u. c. 718. rebellarunt; partim vero ab Augusto, partim a Messala victi sunt. Tib. IV. 1. 108.

Iăpygĭa, -ae, fuit regio in extrema Italia inter Tarentum et Brundusium, nomen habens ab Iăpyge, Daedali filio, qui ibi regnavit; aliquando tamen hoc nomine Apulia, Calabria, Messapia et Salentinorum regio comprehenditur. Ov. Met. XV. 703.

(†) Alii minus recte *Iăpyx* legunt; cf. Heyne l. l.

Digitized by Google

Iăpys, -ȳdis, (*) in vel ex Iăpydibus, vel ad Iăpydes spectans. Fuerunt autem *Iăpydes* Illyrici populus, qui Liburniae partem incoluit, *Iăpydiam* inde dictam. Virg. Ge. III. 475. v. *Iăpydius*.

Iăpyx, -ygis, Daedali filius, qui in extrema Italiae ora consedit, regionemque Iăpygiam appellevit. Ov. Met. XV. 52. Hinc etiam auro s. vento occidentali, ex Italia in Graeciam navigantibus secundo, idem tribuitur nomen. Hor. Od. I. 3. 4. III. 27. 20. Virg. Aen. VIII. 710.

Iăpyx, -ygis, in vel ex Iăpygia, ad Iăpygiam pertinens, Iăpygius, nonnumquam id. q. Apulus. Virg. Aen. XI. 247. 678. Ov. Met. XIV. 458. 510.

Iărba et Iărbas, -ae, fuit Getuliae rex, Iovis e Garamantide nympha filius, qui Didonem amavit, sed repulsam ferens, post reginae mortem Carthaginis, regnum invasit. Virg. Aen. IV. 36. sqq. Ov. Her. VII. 125. Fast. III. 552.

Iărbĭta, -ae, homo e Mauritania, cuius rex olim Iărbas fuit, oriundus. Scholiastes eum *Cordum* vocavit. Hor. Ep. I. 19. 15. v. *Timagenes*.

Iărdănis, -ĭdis, i. e. Omphale regina, Iărdani filia. Ov. Her. IX. 103.

Iăsĭdes, -ae, i. e. Prinnurus, Iăsii, vel Iăpis, Iăsi filius. Virg. Aen. V. 843. XII. 392.

Iăsis, -idis, est Atalanta, Iasii filia. Prop. I. 1. 10.

Iăsĭus, -i, et Iăsĭon, -ōnis, Iovis adulteri ex Electra, Corythi regis uxore, filius, cum fratre Dardano ex Italia in Samothraciam profectus, ibi Iovis fulmine percussus periit. Virg. Aen. III. 168. Alii hunc, agriculturae studiosissimum, a Cerere in Creta amatum fuisse narrant. Ov. Am. III. 10. 25. Met. IX. 422. Trist. II. 300.

Iāson, -ōnis, Aesonis, Iolci in Thessalia regis, ex Alcimede filius, Peliae patrui iussu cum Argonautis in Colchidem, ut vellus aureum, ibi asservatum, inde peteret, dux profectus, adiutrice Medea, Colchorum regis filia, vellus abstulit; Medea vero cum hoc aufugiens duos filios peperit. Hor. Epod. III. 12. Ov. Her. VI. 77. XII. 151. Fast. I. 491. et al. Prop. II. 17. 11. v. *Hypsipyle*, *Medea*.

Iāsonĭus, -a, -um, ab Iāsone, vel ad Iāsonem pertinens. Prop. II. 19. 31.

Iāsonius remex, i. e. Argonautae, Iāsone duce profecti. Ov. ex Pont. III. 1. 1.

(*) Male in nonnullis *Iăpis* legitur; cf. Drakenb. ad Liv. Hist. XLIII. 5.

Digitized by Google

Iăzyx, -ygis, unus ex Iazygibus, qui fuerunt Sarmatiae Europaeae populus, Danubii accola. Ov. Trist. II. 191. ex. Pont. I. 2. 79. IV. 7. 9.

Iber s. Hiber, -ĕris, id. q. Hispanus. Hor. Od. II. 20. 20.

Ibĕrĭa s. Hiberĭa, -ae, dicta est Hispania ab *Ibero*, maximo regionis flumine, quod hodie *Ebro* vocatur. Hor. Od. IV. 5. 28. IV. 14. 50. Est etiam hoc nomine regio ad Pontum Euxinum inter Colchidem et Albaniam, veneni feracissima; hodie Georgiae regionis pars est. Hor. Epod. V. 21.

Ibĕrĭcus s. Hiberĭcus et Ibĕrus s. Hibĕrus, -a, -um, id. q. Hispanus. Virg. Aen. VII. 663. IX. 582. XI. 913. Ov. Her. IX. 91. Fast. VI. 519. et al. Cat. IX. 6. XII. 14. Prop. II. 2. 21.

Iberus pastor, i. e. Geryon. Ov. Met. IX. 184.

Iberus piscis, i. e. scomber, piscis, qui frequens in Hispaniae ora capiebatur, et e quo garum s. liquamen conficiebatur, quod liquidi condimenti genus ad cibos condiendos adhibebatur, a Romanis maximi fiebat, magnoque constabat. Hor. Sat. II. 8. 46.

Iberus gurges, i. e. mare Atlanticum, Iberiam s. Hispaniam alluens. Ov. Met. VII. 324.

Ibis, -ĭdis, vocatur Ovidii carmen, quo poëta quendam graviter perstringit, Callimachum imitatus, qui ficto Ibidis nomine in Apollonium Rhodium, ingratum discipulum, acerbe invectus fuit. Ov. in Ibin 55. sqq.

Ibўcus, -i, pauper homo, Cliveridis coniux. Hor. Od. III. 15. 1.

Icariōtis et Icăris, -ĭdis, i. e. vel *Penelope*, Icarii s. Icari filia. Pseudo-Virg. Cul. 264. Ov. in Ibin 593. Prop. III. 11. 10., vel quae a Penelope est, ad Penelopen pertinet. Ov. ex Pont. III. 1. 113.

Icarius, -i, Perieris e Gorgophone filius, Tyndarei et Hippocoontis frater, qui e Periboea nympha Penelopen genuit. Ov. Her. I. 81. XVIII. 50. Trist. V. 5. 44.

Icarii gener, i. e. Ulysses, Penelopes maritus. Ov. in Ibin 570.

Icarius s. Icărus, -i, (*) Atheniensis, Erigones pater, qui a Baccho, benigne hospitio excepto, vinum accepit, ad quod bibendum quum vicinos pastores invitasset, ab his inebriatis sibique venenum datum ratis, occisa et insepultus proiectus est. A Iove deinde inter sidera relatus *Bootes*, vel *Arcturus* fuit dictus. Ov. Met. X. 450. in

(*) Cf. Munck. ad Hyg. f. 130.

Digitized by Google

Ibin 611. Tib. IV. 1., 10. Prop. II. 24. 29. v. *Erigone*. A nonnullis idem habetur, qui Penelopes, Ulyssis uxoris, parens.

Icarii boves sidera flectunt, i. e. instat diluculum. Prop. II. 24. 24.

Icarĭus, -a, -um, ad Icarum, Daedali filium, aut Icarium, Erigones patrem, pertinens.

Icarium, Icarii fluctus et *Icariae aquae*, i. e. mare Icarium, in quod Icarus decidit. Hor. Od. I. 1. 15. III. 7. 21. Ov. Fast. IV. 283. 566. Trist. I. 1. 90. V. 2. 28. v. *Icarus*.

Icarius canis, i. e. Maera, Icarii canis, qui suo latratu Erigonen in locum allexit, ubi Icarius interfectus iacebat. A Baccho inter sidera relatus, *Procyon* audit. Ov. Am. II. 16. 4. in Nuc. 118. Fast. IV. 939. v. *Erigoneius*, *Procyon*.

Icărus, -i, Daedali filius, qui fugae patris comes nimis pennis, quas pater cera coniunctas fecerat, fretus, propius solem volavit, ita ut, cera liquefacta, in mare deciderit, atque Aegaeum mare, qua Samo proximum est, a se Icarium, insulamque, ubi ab Hercule sepultus fingitur, Icariam denominaverit. Hor. Od. II. 20. 13. Virg. Aen. VI. 31. Ov. Art. Am. II. 94. Fast. IV. 284. Met. VIII. 195. et al.

Iccĭus, -i, Romanus, qui, quum Augustus, Arabiae Felicis divitiis illectus, exercitum eo mitteret, Philosophiae studio, cui totum se tradiderat, spe lucri relicto, ad bellum proficisci parat, quapropter ab Horatio amico facete perstringitur. Hinc autem redux factus postea Agrippae procurator in Sicilia exstitit. Hor. Od. I. 29. 1. Ep. I. 12. 1.

Icĕlos, -i, id. q. Phobetor, q. v.

Ida, -ae, et Ide, -es. Vocantur sic duo altissimi montes, Cybelae sacri, quorum alter in Creta fuit, in quo Iupiter eductus fingitur. Virg. Aen. XII. 412. Ov. Am. III. 10. 25. Art. Am. I. 289. Fast. V. 115., alter in Phrygia, haud procul a Troia, silvis abundans, ex quo plurimi fontes atque flumina manant, et unde Ganymedes a Iove in coelum raptus est: Troiani quippe e Creta in Phrygiam transeuntes etiam locorum nomina deorumque cultum secum transtulisse videntur. Hor. Od. III. 20. 16. Virg. Ge. IV. 41. Aen. II. 801. et al. Pseudo-Virg. Cul. 310. Ov. Her. V. 73. XIII. 53. et al. Cat. LXIII. 30. Prop. II. 23. 91.

Ida, -ae, Nympha, Hyrtaci Troiani uxor, Nisi mater. Virg. Aen. IX. 177.

Idaeus, -a, -um, a) in vel ex Ida, Cretae monte, vel ad Idam, Cretae montem, pertinens, id. q. *Cretensis*. Virg. Aen. II. 696. VII. 139. Prop. II. 23. 95. III. 15. 36. b) ad Idam, Phrygiae montem, spectans, id. q. *Troianus*. Virg. Aen. III. 105. 112.

Digitized by Google

VII. 222. Ov. Met. IV. 289. et al. Prop. II. 2. 66.

Idaeus puer, i. e. Sagittarius, in quod sidus Ganymedes post mortem conversus fingitur. Ov. Fast. II. 145.

Idaeus hospes, adulter, *iudex* vel *pastor* i. e. Paris. Ov. Her. VIII. 73. XVI. 301. XIX. 177. Fast. VI. 44. Prop. III. 11. 39.

Idaeus Simois. Prop. III. 1. 27. v. *Simois*.

Idaea mater, *parens Opis*, i. e. Cybele, in Ida praecipue culta. Virg. Aen. IX. 620. X. 252. Ov. Fast. IV. 182. Tib. I. 4. 68.

Idaei chori sunt Cybeles sacerdotes. Virg. Aen. IX. 112. v. *Cybele*.

Idaeae naves, i. e. ex materie Idae montis. Hor. Od. I. 15. 2.

Idaeae urbes, i. e. prope Idam, Phrygiae montem, sitae. Virg. Aen. VII. 207.

Idaeus, -i, fuit nomen duorum Troianorum, quorum alter, Priami regis armiger atque auriga, Troiano bello occisus fuit; alter cum Aenea in Italiam profectus est. Virg. Aen. VI. 485. IX. 500.

Idalĭa, et Idalĭum, -i, mons Cypri insulae, silvis consitus, ad cuius radices urbs eiusdem nominis exstitit, quae, uti tota insula, Veneri sacra fuit. Virg. Aen. I. 681. (685.) 693. (697.) Urbis meminit Virg. Aen, X. 86. Cat. XXXVI. 12.

Idalĭe, -es, i. e. Venus. Ov. Met. XIV. 694. v. *Idalia*.

Idalius, -a, -um, in vel ex Idalia, ad Idaliam pertinens. Virg. Aen. V. 760. X. 52. Pseudo-Virg. Cat. 62. Prop. II. 10. 54.

Idalia dea, i. e. Venus. Ov. Art. Am. III. 106.

Idas, -ae, Apharei, Messeniorum regis, ex Arene filius, Calydonii apri venator, cui et Lynceo fratri, quum Castor atque Pollux sponsas Phoeben et Hilairam vi eripuissent, nec reddere vellent, Castor a Lynceo, hic vero a Polluce caesus est. Idas autem, Pollucem adgrediens a Iove fulmine percussus periit. Ov. Fast. V. 701. 713. Met. VIII. 305. Prop. I. 2. 17. v. *Phoebe*. — Vocatur sic etiam Troianus, qui Aeneae comes in Italia a Turno interemtus est. Virg. Aen. IX. 575. Item unus e tribus Thracibus, qui cum Aenea in Italiam profecti a Clauso occisi sunt. Virg. Aen. X. 351. — Aethiops, qui in Persei nuptiis a Phineo iaculo transfixus est. Ov. Met. V. 90., — et unus e Diomedis sociis, a Venere in avem conversus. Ov. Met. XIV. 504.

Idmon, -ŏnis, Apollinis e Cyrene filius, Argivus vates, qui in Argonautarum expeditione apud Mariandynos apro percussus interiit. Ov. in Ibin 506. — Est quoque hoc nomine Arachnes pater, Colophone, Ioniae urbe, oriundus. Ov. Met. VI. 8. — Item unus e Rutulis. Virg. Aen. XII. 75.

Digitized by Google

Idmonĭus, -a, -um, ab Idmone, Arachnes patre, vel ad Idmonem, Arachnes patrem, pertinens. Ov. Her. VI 133.

Idomĕneus, -i, Deucalionis, Cretae regis, filius, Minois II. nepos, fortissimus heros, qui cum octoginta navibus ad Troianum bellum Graecis auxilio profectus Merionen comitem et aurigam habuit. Post Troiam deinde eversam in patriam redux factus a civibus regno Cretensi expulsus est; quapropter cum nonnullis Cretensibus in Italiam confugiens Salentinum, in Calabria, agrum occupavit. Hor. Od. IV. 9. 20. Virg. Aen. III. 122. 401. Ov. Met. XIII. 358.

Idrus, -i, mons Cariae, Dianae sacer. Cat. LXIV. 301.

Idumaeus, -a, -um, in vel ex Idumaea, ad Idumaeam pertinens; quae fuit Palaestinae regio, palmis abundans. Virg. Ge. III. 12.

Ilargus, -i, (*) Vindelicorum flumen, quod in Danubium effunditur, Tiberii victoria adversus Vindelicos nobile; hodie *Iler* vocatur. Alb. ad Liv. ap. Ov. 386.

Ilaira, -ae, Leucippi filia, quam Pollux rapuit. Prop. I. 2. 16. v. *Leucippus*.

Ilerda, -ae, Hispaniae Tarraconensis urbs, Ilergetum princeps, ad Sicorim fluvium sita, Caesaris victoria, a Pompeio relata, nobilis; hodie *Lerida* dicitur. Hor. Ep. I. 20. 13.

Ilĭa, -ae, quae et *Rhea Silvia*, Numitoris, Albanorum regis, filia, ab Amulio patruo Vestae sacerdos lecta, et a Marte vi compressa, Romulum Remumque uno partu peperit. Quo Amulius cognito eam ob violatum sacerdotium vivam sepeliri infantesque in Tiberim fluvium abiici iussit. Postea inter deas relata Tiberi s. Tiberino deo nupsisse fingitur. Hor Od. I. 2. 17. III. 9. 8. IV. 8, 22. Sat. I. 2. 126. Virg. Aen. I 274. (278.) VI. 779. Ov. Am. II. 14. 15. saepe al. Tib. II. 5. 52.

Ilĭăcus, -a, -um, ad Ilium s. Troiam pertinens, Troianus. Hor. Ep. I. 2. 16. Virg. Aen. I. 97. (101.) et al. Ov. Her. XIII. 38. Am. III. 6. 76. et al. Cat. LXVIII. 86. Prop. II. 20. 48.

Iliacus Macer, i. e. qui Troianum bellum carmine celebravit. Ov. ex Pont. IV. 16. 6.

Iliaca Vesta, i. e. antea Troiae culta. Ov. Fast. VI. 227. 367.

(*) Male legitur *Itargus* h. l., quem eundem volunt ac Visurgum; quippe qui in altera Germaniae parte est, nec ad hunc locum congruit, cf. Cluv. Germ. p. 747. Cell. Geogr. ant. II. 7.

Digitized by Google

v. *Vesta.*

Iliaca favilla, i. e. Troiae incendium. Prop. IV. 4. 67.

Iliacum carmen, i. e de Troiano bello. Hor. Ep. II. 3. 129.

Iliacae ruinae et *flammae* sunt Troiae incendium. Virg. I. 647. (651.) Ov. Fast. IV. 77.

Iliădes, -ae, vocatur sic *Romulus*, Iliae filius. Ov. Fast. V. 565. Met. XIV. 781. 824., vel *Remus*, Romuli frater. Trist. IV. 3. 8.; vel uterque frater. Ov. Am. III. 4. 40. Fast. III. 62. IV. 23.; vel *Ganymedes*, Ilio s. Troia, urbe oriundus. Ov. Met. X. 160. Trist. II. 406.

Ilias, -ădis, quae, in vel ex Ilio s. Troia est, vel ad Ilium s. Troiam pertinet, Troiana femina. Virg. Aen. I. 480. (484.) VII. 248. Ov. Her. XVI. 336. *Ilias* etiam vocatur praestans illud Homeri carmen de Achillis ira Troianique belli fatis. Ov. Art. Am. III. 4. 14. Trist. II. 371. ex Pont. II. 7. 34. et al. Prop. II. 1. 14. 52. II. 25. 66. v. *Homerus.*

Ilion s. Ilium, -i, saepe eadem urbs, quae *Troia*, ab Ilo, Trois e Callirrhoë filio, qui urbem auxit, nomen habens. Hor. Od. I. 15. 33. et al. Virg. Aen. II. 241. et al. Ov. Her. VII. 151. et saepe. Tib. II. 5. 22. v. *Troia.* Interdum vero alia urbs est, quae prope mare fuit sita. Prop. III. 1. 31.

Ilios, -i, id. q. Ilion (*).

Iliŏna, -ae, et Iliŏne, -es, Priami ex Hecuba filia natu maxima, Polymnestori, Thracum regi, nupta Polydori fratris nutrix fuit. Virg. Aen. I. 653. (657.) v. *Polydorus, Polymnestor.* — Fuit praeterea hoc nomine Pacuvii tragoedia, in qua Fusius aliquando e rius Ilionae personam agens obdormivit, ita ut Catienum, qui Polydori partes agebat, alloquentem non audiret; huc respexit Hor. Sat. II. 3. 61.

Iliŏneus, -ĕi, Niobes filius natu minimus, ab Apolline cum fratribus interfectus. Ov. Met. VI. 261. — Sic dicitur etiam Troianus, qui Aenean in Italiam secutus est. Virg. Aen. I. 120. (124.) sqq. Ov. Her. XVI. 360.

Ilithȳia, -ae, eadem dea, quae *Diana* et *Lucina*, parientibus opem ferre credebatur ab iisque invocari solebat. Hor. Carm. Saec. 14. Pseudo-Virg. Cir. 326. Ov. Am. II. 13. 21. Met. IX. 283.

Ilium. v. Ilion.

(*) Sic Hom. Ἴλιος ἠνεμόεσσα, Il. γ. 305. Ἴλιος ἱερή, Il. δ. 416. Ἴλιος αἰπεινή, Il. ν. 773. Alii vero minus recte *Ilion* feminino genere legere malunt, subaudito *urbs.* Hor. Od. IV. 9. 18. Ov. Art. Am. I. 363. Met. XIV. 466. cf. Heins. ad Ov. Her. I. 47.

Digitized by Google

Ilĭus, -a, -um, in vel ex Ilio s. Troia, vel ad Ilium s. Troiam pertinens, Troianus. Hor. Epod. XVII. 11. Carm. Saec. 37. Prop. IV. 1. 53.

Ilia res, i. e. regnum Troianum. Virg. Aen. I. 268. (272.)

Ilĭae maenas i. e. Cassandra, Priami filia, vatidica. Prop. III. 11. 61.

Illyrĭcus et Illyrĭus, -a, -um, in vel ex Illyria, vel ad Illyriam pertinens. Ov. Art. Am. II. 658. Med. Fac. 74. Trist. I. 4. 19. et al. Prop. II. 13. 1. 10.

Illyria s. Illyricum, -i, regio Adriaticum mare adiacens, Italiae opposita, Liburniam et Dalmatiam complectens; hodie praeter Dalmatiam, Croatiae, Bosniae et Sclavoniae partem continet. Prop. I. 8. 2.

Illyricae undae, *Illyricum aequor*, et *Illyricus sinus*, i. q. mare Adriaticum, qua parte Illyriam alluit. Hor. Od. I. 28. 22. Virg. Ecl. VIII. 7. Aen. I. 243. (247.)

Illўris, -ĭdis, quae est in vel ex Illyria, vel ad Illyriam spectat. Ov. Trist. II. 225.

Illyris (*terra*), i. e. Illyria. Ov. ex Pont. II. 2. 79.

Ilva, -ae, Graecis *Aethalia*, fuit insula in mari Tyrrheno, haud procul a Populonia, Etruriae urbe; hodie *Elba* dicitur. Virg. Aen. X. 173.

Ilus, -i, Trois, Troianorum regis, e Callirrhoë filius, Ganymedis et Assaraci frater, Laomedontis ex Eurydice pater, a quo Troia, quam condidit vel amplificavit, Ilium fuit dicta. Virg. Aen. VI. 650. Ov. Fast. VI. 419. 420. Met. XI. 756. Vocabatur sic etiam Ascanius, Aeneae filius, quamdiu Troianum regnum duravit. Virg. Aen. I. 268. (272.) — Item unus e Rutulis. Virg. Aen. X. 400.

Imbrasĭdes, -ae, i. e. Asius, Imbrasi filius. Virg. Aen. X. 123.

Imbrasidae sunt Glaucus et Lades, e Lycia oriundi, Imbrasi filii. Virg. Aen. XII. 343.

Imbrĭus, -a, -um, in vel ex Imbro, ad Imbrum pertinens; quae fuit insula Aegaei maris, Thraciae Chersoneso adiacens; hodie *Embro* dicitur. Ov. Trist. I. 10. 18.

Inachĭdes, -ae, i. e. Epaphus, Inachi nepos. Ov. Met. I. 753.; — vel Perseus, quod ex Argis erat, quorum conditor et rex Inachus fuit. Ov. Met. IV. 719.

Inăchis, -ĭdis, quae ad Inachum pertinet, id. q. Argiva, Graeca. Ov. Met. I. 640.

Inachis, i. e. Iö s. Isis, Inachi fluminis filia. Ov. Art. Am. III. 464. Fast. I. 454. Met. I. 611. Prop. I. 3. 20. II. 24. 4.

Inachis Acrisione, i. e. Danaë Argiva, Acrisii filia. Pseudo-Virg. Cat. XI. 33.

Inachides, -um, dicuntur Hy-

Digitized by Google

Iōlciăcus, -a, -um, in vel ex Iōlco, vel ad Iōlcum pertinens. Ov. Met. VII. 158. Prop. II. 1. 56.

Iolciacum votum, i.e. magicum; Fuit enim omnis Thessalia magica arte infamis. Pseudo-Virg. Cir. 377.

Iōlcos et Iōlcus, -i, Thessaliae urbs in Magnesia ad sinum Pelasgicum, veneni ferax, unde Iāson cum Argonautis in Colchidem profectus dicitur. Hor. Epod. V. 21.

Iōle, -es, Euryti, Oechaliae regis, filia, quam cum pater Herculi amanti denegaret, hic, urbe expugnata, Eurytum interfecit Iōlenque captivam abduxit; quam postea Hyllo, suo filio, uxorem dedit. Ov. Her. IX. 6. 133. Art. Am. III. 56. Met. IX. 140. 278. Trist. II. 405. Prop. II. 21. 51. — Est quoque nomen puellae. Prop. IV. 5. 35.

Iōn, -ōnis, id. q. Iō. Ov. in Ibin 624. (*).

Iōnia contr. Iōna, -ae, Asiae Minoris regio in maris Aegaei ora, inter Aeolidem et Cariam, nomen habens ab Iōne, Xuthi filio, qui Athenas patriam fugiens his in locis confedisse fertur. Ov. Fast. VI. 175. Prop. I. 6. 31. II. 21. 53.

Iōniăcus, Iōnĭcus et Iōnius, -a, -um, in vel ex Iōnia, vel ad Iōniam pertinens. Hor. Od. III. 6. 21. et al. Ov. Her. IX. 73. Art. Am. II. 219.

Iōnius sinus, *Iōnium* et *Iōnium mare*, i. e. Aegaei maris pars, qua Iōniam alluit. Hor. Epod. X. 19. Virg. Aen. III. 211. V. 193. Ov. Fast. IV. 566. Saepe tamen illud mare significat, quod ab Italiae faucibus incipiens Siciliam Graeciamque alluit et ad Cretam usque extenditur. Ov. Fast. IV. 566. Met. IV. 534. XV. 50. 700. Trist. I. 4. 3. et al. Cat. LXXXIV. 11. Prop. IV. 6. 16. 58. et. al.

Iōnici motus sunt saltationes molles ac lascivae. Hor. Od. III. 6. 21.

Iōpas, -ae, Citharoedus, qui hanc artem ab Atlante, Mauritaniae rege, doctus fertur. Virg. Aen. I. 740. (744.)

Iphĭas, -ădis, i. e. Evadne, Iphidis filia, e Thebe, filia Asopi. Ov. Trist. V. 14. 38.

Iphĭclus, -i, Phylaci e Clymene filius, Protesilai pater. Eius boves Melampus surripuit. Ov. Her. XIII. 25. Prop. II. 2. 16.

Iphigenīa, -ae, Agamemnonis e Clytaemnestra filia. Quum autem Agamemnon in Aulide cervam, Dianae sacram, inscius

(*) A Graeco Ἰώ; alii tamen *Io* legere malunt.

Digitized by Google

interfecisset, dea frata contrariis ventis, quominus Graeci Troiam navigare possent, prohibuit; quapropter Iphigenia e Calchantis vaticinio Ulyssisque dolo a matre Aulidem abducta, cum iam iam immolaretur, Diana cervam eius loco supposuit, virginemque sub nube per aëra in Tauricam Chersonesum vexit, ubi a Thoante rege deae sacerdos facta humanas victimas immolavit, donec ab Oreste et Pylade liberata sit. Ov. Met. XII. 31. Trist. IV. 4. 80. ex Pont. III. 2. 62. Prop. III. 5. 54.

Iphis, -idis, puella Cretensis, Ligdi et Telethusae filia, quam mater, insciо marito, qui, si filia nasceretur, occidi eam iusserat, virili habitu educavit. Quum vero adolevisset, et pater Ianthen puellam ei despondisset, Telethusa Isidis opem implоravit, quae ipsarum nuptiarum die Iphidem in virum mutasse fingitur. Ov. Met. IX. 667. 714. — Vocatur sic quoque Iphidis avus. Ov. Met. IX. 708. Item Cyprius iuvenis formosus, qui ab Anaxarete, quam amabat, repulsam ferens, doloris impatiens se suspendit. Ov. Met. XIV. 699. 757.

Ipsea, -ae, Aeetae, Colchorum regis, uxor, Medeae mater, Ov. Her. XII. 232.

Ipsithilla, -ae, Catulli amica, ad quam scripsit carm. XXXII.

Iris, -idis, filia Thaumantis et Electrae, Oceani filiae, deorum in primis Iunonis nuntia fingitur. Virg. Aen. IV. 694. 700. et al. Ov. Met. I. 271. et saepe.

Irus, -i, propris *Arnaeus* dictus, fuit pauper vir in Ithaca, qui se in Ulyssis aula Penelopes procis immiscuerat, eorumque mandata nuntiabat, unde et *Iri* (*) nomen traxit. Ulysses, in patriam redux factus, eum male mulcatum ex aula eiecit, et ad canes suesque abarcendas ante atrii introitum locavit. Ov. Her. I. 95. in Ibin 419. Prop. III. 3. 39.

Isaurus, -a, -um, in vel ex Isauria, ad Isauriam pertinens, quae fuit Asiae regio inter Ciliciam, Pisidiam et Lycaoniam, a qua devicta P. Servilius Isauricі cognomen meruit. Ov. Fast. I. 593.

Ischomache, -es, Perithoi Lapitharum regis uxor, quae etiam *Hippodamia* vocatur. Prop. II. 2. 61. v. *Perithous*.

Isiacus, -a, -um, ad Isin spectans, Isidi sacer. Ov. ex Pont. I. 1. 52.

Isis, -idis, Aegyptiorum dea, quae cum Osiride per totam Aegyptum colebatur, templa habebat,

(*) Ab ἴρω, s. vicinum εἴρω dico, nuntio, interrogo.

ut etiam Romae, ubi inter peregrina sacra Isidis cultus erat receptus. Ov. Am. I. 8. 74. II. 2. 25. et al. 5. 34. Tib. I. 3. 23. Prop. IV. v. *Io.*

Ismărius, contr. Ismārus, -a, -um, in vel ex Ismaro, vel ad Ismarum pertinens, id. q. Thracius. Virg. Aen. X. 351. Ov. Her. I. 46. XV. 154. et al. Prop. II. 10. 6.

Ismarius tyrannus, i. e. Tereus, Thraciae rex. Ov. Am. II. 6. 7.

Ismarius rex, i. e. Polymnestor, Thraciae rex. Ov. Met. XIII. 536.

Ismărus s. Ismăros, -i, et Ismăra, -orum, Thraciae mons cum urbe eiusdem nominis ad Hebrum flumen, quem Orpheus incoluisse fertur, vitium olearumque fertilitate nobilis. Virg. Ecl. VI. 30. Ge. II. 37. Sab. ap. Ov. I. 60. Prop. III. 10. 25. — Vocatur sic etiam Aeneae comes, Lydia oriundus, qui in Italia adversus Rutulos fortiter pugnavit. Virg. Aen. X. 139.

Ismēnis, -ĭdis, Thebana femina. Vocatur autem sic ab Ismeno flumine, quo Thebae alluuntur. Ov. Met. III. 169. 733. IV. 31. 561. VI. 159.

Ismenĭus, -a, -um, id. q. Thebanus. Ov. Met. XIII. 682.

Ismēnos, et Ismēnus, -i, Boeotiae flumen, quod e Cithaerone monte exortum Thebas alluit, et deinde apud Saganeum urbem in Euripum immittitur. Ov. Met. II. 244. Vocatur sic etiam Niobes filius natu maximus, ab Apolline et Diana iratis sagitta confossus. Ov. Met. VI. 244.

Isse, -es, Macaris, vel Macarei, Lesbi regis, filia, quae ab Apolline sub pastoria specie compressa fingitur. Ov. Met. VII. 124.

Ister s. Hister, Istri, v. Danubius.

Isthmĭus, -a, -um, in vel ex Isthmo, vel ad Isthmum pertinens.

Isthmius labor, i. e. certamen in Isthmicis ludis, qui quinto quoque anno in Neptuni honorem in Corinthi Isthmo celebrari solebant. Hor. Od. IV. 3. 3.

Isthmus s. Isthmos, -i, dicitur terra illa obloriga et angusta inter Corinthiacum et Saronicum sinus, quatuor milia passuum lata, qua Peloponnesus reliquae Graeciae continenti adhaeret, et in cuius faucibus Corinthus fuit sita. Hodie vocatur *Hexamili*. Ov. Her. IV. 105. VIII. 69. XII. 104. et al. Prop. III. 20. 22. Videtur etiam significari angustum inter Cyzicum et continentem mare. Prop. III. 21. 2.

Italĭa, -ae, pulcherrima Europae regio, inter Alpes, et mare Adriaticum et Tyrrhenum sita. Hor. Od. I. 37. 16. Virg. Aen. I. 2. (6.) et al. Ov. Met. XV. 291. et al. Prop. I. 22. 4. et al.

Digitized by Google

Ītălĭcus, et Ītălus, -a, -um, in vel ex Italia, ad Italiam spectans, saepè id. q. Romanus. Hor. Od. II. 7. 4. Ik 13. 18. et al. Virg. Aen. I. 199. (213.) III. 185. Ov. Her. VII. 10. Fast. IV. 254. Met. XIV. 17. XV. 9. 59. Cat. I. 5.

Itala per Graios ongiq ferre choros, i. e. Romana festa, carminibus ex Graecis poëtis, Latinis additis, celebrare Prop. III. 1. 4.

Ītălis, -idis, quae est in vel ex Italia, vel ad Italiam pertinet. Virg. Aen. XI. 657.

Ītălus, -i, heros, qui ex Arcadia in Italiam venit, eamque occupatam Italiam, vocavit. Virg. Aen. VII. 178.

Itargus, -i, rectius legitur Ilargus, q. v.

Ithăca, -ae, et Ithăce, -es, aspera sterilisque Ionii maris insula inter Cephallenian et Echinades insulas, Laërtae atque Ulyssis patria et regia sedes; hodie *Theaki*. Hor. Sat. II. 5. 4. Ep. I. 7. 41. Virg. Aen. III. 272. sqq. Ov. Met. XIII. 711. XIV. 169, et al. Tib. IV. 1. 48.

Ithacensis, -e, et Ithăeus, -a, -um, in. vel ex Ithaca, vel ad Ithacam, ejusve regem Ulyssem spectans. Hor. Ep. I. 6. 63. Virg. Aen. III. 629. Ov. Am. III. 12, 29. Met. XIII. 512.

Ithacus, i. e. Ulysses. Virg. Aen. II. 104. 122. III. 629. Ov. Met. XIII. 98. 103. ex Pont. I. 3. 32. et al. Prop. I. 15. 9.

Ithaci coniux, i. e. Penelope, Pseudo-Virg. Cul. 264.

Ithacis verubus mugisse boves, i. e. boves, ab Ulyssis sociis raptos, verubus affixos, dum assabantur, mugisse. Prop. III. 10. 29.

Ītōnus, -i, Thessaliae urbs, ubi Minerva nobile templum habuit, et cui saeva fuit. Cat. LXIV. 228.

Ituraeus, -a, -um, in vel ex Ituraea, vel ad Ituraeam pertinens. Erat autem *Ituraea* (†) Syriae regio, cuius gens sagittandi arte nobilis fuit. Virg. Ge. II. 448.

Ītўlus, -i, Zethi, vel ut aliis placet Polytechni, filius, ex Aëdone. Philomelae, Pandarei filia, a matre interfectus patri in epulis appositus est, ut *Ityn*, cuius fabula cum Ityli fatis miscetur. Cat. LXV. 14.

Ītys, -yos, Terei e Procne filius, a matre necatus patrique in epulis appositus in *phasianum* conversus fingitur. Hor. Od. IV. 12. 5. Pseudo-Virg. in Cul. 251. Her. XV. 154. Met. VI. 437. sqq. Prop. III. 8. 10. IV. 6. 66. v. *Philomela*. Est quoque hoc nomine Troianus, Aeneae comes, qui in Italia a Turno caesus fertur. Virg.

(†). Nonnulli minus recte *Ityraeus* legunt; est enim Graece Ἰτυραῖος.

Aen. IX. 574.

Iuba, -ae, Numidiae et Mauritaniae rex, Hiempsalis filius, qui cum Pompeio adversus Caesarem stetit, a quo postea victus se ipse interfecit. Hor. Od. I 22. 15. Ov. Fast. IV. 380. Met. XV. 755.

Iudaeus, -a, -um, in vel e Iudaea, vel ad Iudaeam pertinens. Fuit autem *Iudaea* Palaestinae regio. Ov. Art. Am. I. 76.

Iudaei sunt Iudaeae incolae, qui a Iuda, Iacobi filio, originem ducunt. Habebantur a Romanis superstitiosi ac credŭli, eorumque *trecesima sabbata* tricesimus lunaris mensis dies esse videtur, qui dies novilunium praecedit, et etiam nunc a Iudaeis Deo sacer habetur. Hor. Sat. I. 4. 143. I. 9. 69. 70.

Iugurthīnus, -a, -um, ad Iugurtham pertinens. Hor. Epod. IX. 23. Ov. ex Pont. IV. 3. 45.

Iugurtha, -ae, Numidiae rex, qui cum populo Rom. bellum gessit, et a Bocchо proditus, a Mario Consule in triumpho ductus Romae in carcere interiit. Hor. Od. II. 1. 2. 28. Prop. III. 3. 38.

Iūlēus, -a, -um, ab Iŭlo s. Ascanio, vel ad Iŭlum s. Ascanium spectans. Ov. Fast. IV. 124. V. 564. et al. Saepissime id. q. Iulius.

Iulea carina, i. e. classis Augusti, qua vicit ad Actium. Prop. IV. 6. 17.

Iulius Pedatia, v. Pedatia.

Iulius Florus, v. Florus.

Iulius, -a, -um, e Iulia gente, vel ad Iuliam gentem, praecipue vero ad Iulium Caesarem, aut Augustum pertinens. Fuit autem Iulia gens Romae nobilissima, ab Iŭlo, Aeneae filio, originem ducens, e qua Iulius Caesar fuit, qui Augustum in Iuliam familiam adoptavit. Ov. Fast. IV. 40.

Iulius s. *Iulius divus*, i. e. Iulius Caesar. Virg. Aen. I. 288. (292.) Ov. Met. XV. 842, ex Pont. II. 2. 86.

Iulia Augusta dicta fuit per anticipationem Livia Drusilla, altera Augusti uxor, cui Augusti testamento primum in nomen et gentem Iuliam assumtae post mortem divini honores a Senatu Claudii iussu decreti sunt. Ov. Fast. I. 536.

Iulia Aurunculeia, pulchra puella, in cuius nuptias cum A. Manlio Torquato carmen fecit Catullus. LXI.

Iulia unda, i. e. Iulii portus. Virg. Ge. II. 163. v. *Lucrinus lacus*.

Iulium sidus, i. e. Iulius Caesar, qui post mortem inter divos relatus, et in cometen, qui per septem dies post eius necem Romae apparuit, muta-

Digitized by Google

tis credebatur. Hor. Od. I. 12. 47.

Iulia edicta sunt leges, ab Augusto latae. Hor. Od. IV. 15. 22.

Iulia templa, i. e. Iulii Caesaris curia. Hostilia enim curia, ubi senatus habebatur, vetustate dilapsa, in eius locum a Triumviris in Iulii Caesaris honorem curia Iulia fuit exstructa, et ab Augusto post pugnam Actiacam dedicata. Ov. ex Pont. IV. 5. 21. (*).

Iūlus, -i, Ascanii, Aeneae filii, cognomen, unde Iuliae gentis nomen originem duxisse fertur. Virg. Aen. I. 267. (271.) et al. Ov. Her. VII. 75. 83. et al. Prop. IV. 1. 48. — Est quoque praenomen Antonii, filii M. Antonii. Hor. Od. IV. 2. 2. v. *Antonius*.

Iūno, -ōnis, Saturni ex Ope filia, Iovis soror et uxor, cui Vulcanum peperit, superba et iracunda femina, deorum regina habita, nuptiis et monetae praesse credebatur. Fingitur praeterea Hebes atque Martis sine Iove mater. Ob Paridis iudicium Troianis inimica, Troiam evertit. A Graecis, in primis Mycenis, Argis et in Samo, culta fuit. Hor. Od. I. 7. 8. III. 3. 17. Virg. Aen. I. 4. (8.) et al. Ov. Her. IV. 35. et saepe. Cat. LXVIII. 138. Prop. II. 4. 17. Significat autem *Iuno* saepe idem, quod *dea*, uti *Iupiter*, id. q. *deus*.

Iuno moneta, i. e. quae monetae praeest; habuitque eo cognomine templum Romae, in quo monetae officina fuit, quod L. Furius Camillus Aurunco bello vovit, et aedificatum fuit in Capitolii arce, quo loco M. Manlii Capitolini aedes antea fuerant, et centum gradibus conscendebatur. Ov. Fast. IV. 183.

Iuno, i. e. insania a Iunone iniecta. Virg. Aen. V. 679.

Iuno infera s. *Averna*, i. e. Proserpina. Virg. Aen. VI. 138. Ov. Met. XIV. 114.

Iuno Lucina, i. e. Diana, quae parturientibus opem fert. Cat. XXXIV. 13. v. *Lucina*.

Iuno natalis, i. e. quae praeest diei natali. Mulieres solebant die natali Iunoni sacrificare, ut viri suo genio faciebant. Est adeo *Iuno* idem quod *dea* et hoc loco *femineus genius*. Tib. IV. 6. 1.

Iuno pronuba, i. e. quae nuptiis praeest. Virg. Aen. IV. 166. Ov. Her. VI. 43. Met. VI. 428. IX. 761.

Iunonis urbs, i. e. Argos. Ov. Her. XIV. 28.

Iunonis avis s. *volucris*, i. e. pavo, Iunoni sacra. Ov. Met. XV. 385.

Iunonis gener, i. e. Hercules, qui post mortem in deorum numerum receptus Heben, Iunonis filiam, uxorem accepit. Ov. Trist.

(*) Cf. Dion. XLVII. et LI.

Digitized by Google

III. 5. 42. ex Pont. IV. 16. 8.

Iunonis sacra ferre, i. e. tarde et cum gravitate incedere. Ad Iunonis enim, uti et Cereris Palladisque, sacra virgines sublatis manibus canistra sustinentes, in quibus res, ad sacrificia necessariae, erant, lento gradu procedebant. Hor. Sat. I. 3. 11.

Iunonālis, -e, id. q. Iunonius. Ov. Fast. VI. 63.

Iunonĭcŏla, -ae, qui Iunonem colit. Ov. Fast. VI. 49.

Iunonĭgĕna, -ae, i. e. Vulcanus, Iunonis filius. Ov. Met. IV. 173.

Iunonĭus, -a, -um, a Iunone, vel ad Iunonem pertinens, Iunoni sacer. Ov. Her. XIV. 85. Am. II. 2. 45. Met. VIII. 220.

Iunonius custos, i. e. Argus, a Iunone Is appositus. Ov. Met. I. 678.

Iunonius mensis, i. e. Iunius, Iunoni sacer. Ov. Fast. VI. 61.

Iunonia Hebe, i. e. Iunonis filia. Ov. Met. IX. 400.

Iunonia Iris, i. e. a Iunone missa. Ov. Met. XIV. 85.

Iunonia hospitia, i. e. Carthaginiensium, quorum urbs Iunoni sacra erat. Virg. Aen. I. 671. (675.)

Iuppiter et Iupiter, Iovis, Saturni ex Ope s. Rhea filius, deorum rex atque pater habitus. Hic in Creta insula eodem partu cum Iunone editus clam patre, qui filias ex pacto cum Titane devoraret, a matre Curetibus traditus, et ab Amalthea caprino lacte in Ida monte eductus fuisse fingitur. Deinde quum adolevisset, Titanem eiusque filios, qui Saturnum regno expulerant, bello persecutus domuit; et patrem in regnum restituit. Cum vero hic postea Iovem interficere conaretur, Iupiter, cognitis insidiis, Saturnum coelo deiecit regnumque cum Neptuno ac Plutone fratribus divisit, ita ut ipse coeli et terrae summum imperium teneret, et fulmina, tonitrua ac tempestates, in sua potestate essent. E Iunone, quam uxorem duxit, Vulcanum suscepit; plurimarum autem virginum uxorumque pudicitiae in varias mutatus formas, ut aemulantis Iunonis inquisitiones effugeret, insidias struxit, et ex iis innumeram procreavit subolem. A Graecis et Romanis praecipue et ante ceteros deos cultus fuit; habuitque pro rebus, quas gessit, et pro locorum diversitate varia cognomina, multisque in locis templa, inter quae tamen Romae in Capitolii arce, Olympiae in Elide, Dodonae in Molossia illustrissima feruntur. Fingitur plerumque summa cum maiestate sedens in eburneo solio, dextra fulmen, sinistra sceptrum tenens, aquila ad eius pedes stante, quae ex utribus, uti ex ar-

Digitized by Google

boribus quercus, ei sacra erat. Hor. Od. I. 2. 29. et al. Virg. Ecl. III. 60. Ov. Her. X. 68. et saepe. Cat. XXXIV. 6. Prop. I. 13. 29. et al. v. *Saturnus*, *Titan*.

Iupiter, i. e. Iovis auxilium. Ov. Met. XIII. 91. Favebat enim Iupiter Troianis adversus Graecos. Cf. Met. XIII. 384.

Iupiter malus, i. e. aër, frigore et densitate noxius. Hor. Od. I. 22. 20. Significatur enim ex Stoicorum sententia Iovis nomine *aether*, *coelum* et *aer*. Cf. Hor. Od. III. 10. 8. Epod. XIII. 2. Virg. Ecl. VII. 60. Ge. I. 418. II. 419. et al.

Iupiter pluvius, i. e. a quo pluvia demittitur; colebatur autem hoc nomine et simulacrum habebat. Tib. I. 7. 26.

Iupiter Stygius, i. e. Pluto. Virg. Aen. IV. 638. Ov. Fast. V. 448. Est enim Iupiter saepe id. q. deus.

Iupiter secundus, i. e. ventus. Cat. IV. 20.

Iovis ales, *praepes* et *armiger*, i. e. aquila, quae avis, Iovi sacra, fulmina ferre fingebatur. Virg. Aen. V. 255. IX. 564. XII. 247. Ov. Art. Am. III. 420. Met. IV. 713. VI. 517. XV. 386.

Iovis proles et *Iove natus*, i. e. Mercurius. Ov. Met. I. 673. II. 697., vel Hercules. Ov. Fast. I. 559. V. 390. Met. IX. 229. XV. 12.

Iovis tutela, i. e. stella Iovis, quae iis, qui sub ea nascebantur, salutaris credebatur. Hor. Od. II. 17. 22.

Iovis aestuosi oraculum, i. e. Iovis Ammonis in Libya. Cat. VII. 5.

Iove cornigero natus, i. e. Alexander Magnus, qui se Iovis Ammonis filium finxit. Ov. in Ibin 300. v. *Ammon*.

Sub Iove frigido, i. e. sub coelo. Hor. Od. I. 1. 15. v. *Iupiter malus*.

Iuturna, -ae, fuit saluber Italiae fons, qui iuxta Numici amnis fontem ex Albani montis radicibus exortus mox in lacum eiusdem nominis effunditur, unde in Tiberim prope Romam defertur. Fabulantur autem, Iuturnam, huius lacus et fontis Nympham, Dauni e Venilia filiam, Turnique sororem, a Iove amatam et immortalitate donatam fuisse. Cum autem a Iunone Turno auxilio adversus Aenean missa fratris mortem instare videret, se in sui nominis lacum immisisse fingitur. Virg. Aen. XII. 146. sqq. Ov. Fast. II. 585. sqq. — Fuit praeterea hoc nomine Romae in urbe lacus, a templo, quod Lutatius Catulus huic Nymphae in Campo Martio exstruxit, nomen habens. Ov. Fast. I. 708.

Iuventius, -i, unus ex nobili gente Iuventia, de quo meminit Catullus XX. 1.

Digitized by Google

Ixion, -ōnis, Lapitharum, Thessali populi, rex, Phlegyae filius, ex Dia, Deionei filia, Perithoum procreavit; mox a Iove in coelum recepto, et illicitos Iunonis amplexus petenti, dea ei nubem opposuit, ex qua Centauri nati sunt; quod ut Iupiter sensit, indigniatus, eum ad inferos detrusit, ubi anguibus ad rotam alligatus est, qua perpetuo circumagitur. Hor. Od. III. 11. 21. Ep. II. 3. 124. Virg. Ge. III. 38. Aen. VI 601. Ov. Met. IV. 460. sqq. Tib. I. 3. 73. Prop. IV. 2. 23.

Ixione natus, i. e. Perithous. Ov. Met. XII. 210 338.

Ixione nati sunt Centauri. Ov. Met. XII. 504.

Ixionĭdes, -ae, i. e. Perithous, Ixionis filius. Ov. Met. VIII. 566. Prop. II. 1. 38.

Ixionĭus, -a, -um, ad Ixionem, vel ad Ixionem pertinens. *Ixionius orbis*, i. e. rota Ixionis. Virg. Ge. IV. 484.

L.

Labĕo, -ōnis, homo quidam, qui Horatii tempore insanis ineptiis famosus fuit. Hor. Sat. I. 3. 82.

Laberĭus (Decimus), -i, Eques Romanus et poëta clarus, qui a C. Iulio Caesare invitatus, ut in scenam prodiens mimum, quem scripsisset, ipse ageret, quingentis millibus sestertiorum aureoque annulo donatus est; fuit autem tam mordax, ut ne Caesari quidem pepercerit. Hor. Sat. I. 10. 6.

Labrci, -orum, incolae Labici, quae urbs in Latio inter Gabios et Tusculum fuit sita; hodie *Zagaruolo* dicitur. Virg. Aen. VII. 796.

Lacaena, -ae, quae in vel e Lacedaemone est, vel ad Lacedaemonem pertinet, Lacedaemonia femina. Hor. Od. II. 11. 23. IV. 9. 16. Virg. Ge. II. 487.

Lacaena, *Lacaena adultera*, et *Lacaena Tyndaris*, i. e. Helena, Tyndarei, Lacedaemoniorum regis, filia. Hor. Od. III. 3. 25. Virg. Aen. II. 601. VI. 511. Ov. Her. V. 99. Prop. II. 12. 13.

Lacedaemon, -ōnis, quae et *Sparta* antea dicta fuit, celebris in Peloponneso urbs, Laconiae caput, a Lacedaemone, Iovis adulteri ex Taygeta filio, qui ibi regnavit, nomen habens, et severa disciplina nobilis. Ex murice, qui ad Laconiae oram captebatur, optimus Europae purpureus color fiebat. Hodie eo fere loco *Misitra* est. Hor. Od. I. 7. 10. Virg. Aen. VII. 363. Ov. Her. I. 5. et al.

Lacedaemonĭus, -a, -um, in vel ex Lacedaemone, vel ad Lacedaemonem spectans. Virg. Aen. III. 328.

Lacedaemonium Tarentum, i. e. a Phalanto Lacedaemonio amplificatum. Hic enim cum Partheniis, [i. e. iis, qui dum Spartani decem annos in bello cum Messeniis occupati fuerant, e promiscuo omnium feminarum concubitu cum relictis viris nati sunt] inopiae metu et ob materni pudoris notam circa Olymp. XIX. s. A. U. L. in coloniam abiit, et in Italiam delatus, Tarentinorum arcem occupavit, veteribusque expulsis incolis, sedem ibi constituit. Hor. Od. III. 5. 56. Ov. Met. XV. 50.

Lachĕsis, -is, fuit una ex tribus Parcis. Ov. Trist. V. 10. 45. et al. v. *Parcae*.

Lacinĭus, a, -um, in vel

Digitized by Google

quod indicto bello adeuntibus et supplicantibus patebat, et facta pace claudebatur, unde *Patulcius* et *Clusius* audit. Fingitur bifrons, quod, cum coeli praesses esset, orientem et occidentem solem respiceret, vel quod ut prudens solersque rex praeterita novisse futuraque prospexisse videtur. Calendis Ianuariis tus, mel, ficus aliaque dulcia, ei sacrificare solebant. Hor. Sat. II. 6. 20. Ep. I. 16. 59. Virg. Aen. VI. 180. 12. 198. Ov. Rem. Am. 561. Fast. I. 43. et al.

Ianus Quirinus est id. q. Martius, belli potens. Hor. Od. IV. 15. 9. v. *Quirinus*.

Ianus et *Iani mensis*, i. e. Ianuarius, Iano sacer. Ov. Fast. II. 1. 48. 51.

Iani dies, vel *calendae*, i. e. primus Ianuarii mensis dies. Ov. ex Pont. IV. 9. 60. in Ibin 65.

Ianus summus ab imo, i. e. omnis Iani vicus s. omnes foeneratores, qui ibi habitare mensasque habere solebant. Hor. Ep. I. 1. 54. Erat enim Iani nomine Romae vicus, a tribus Iani simulacris nomen habens, ubi bibliopolarum pilae s. columnae erant, et a foeneratoribus res pecuniaria agebatur; praecipue vero hoc ad medium Ianum pertinuit.

Iăpetĭdes, -ae, unus ex Iăpeti posteris, citharoedus in Persei nuptiis. Ov. Met. V. 111.

Iăpetionĭdes, -ae, i. e. Atlas, Iăpeti filius. Ov. Met. IV. 631.

Iăpĕtus, -i, unus e Titanibus, Coeli e Tellure filius, qui e Clymene Atlantem, Hesperum, Prometheum et Epimetheum, procreavit. Virg. Ge. I. 279.

Iăpeti genus s. *Iăpeto satus*, i. e. Prometheus. Hor. Od. I. 3. 27. Ov. Met. I. 82.

Iăpis, -ĭdos, (†) Iăsi filius, medendi artem ab Apolline doctus; qui quum Aenean, in Italia sagitta vulneratum, sanare non posset, herba, a Venere data, medicinam attulit. Virg. Aen. XII. 391. 420. 425.

Iăpydius, -a, -um, ad Iăpydiam pertinens. Fuit autem *Iapydia* regio Liburniae, nunc *Morlachia* dicta, cuius incolae cum Illyrici et Pannoniae populis a. u. c. 718 rebellarunt; partim vero ab Augusto, partim a Messala victi sunt. Tib. IV. 1. 108.

Iăpygĭa, -ae, fuit regio in extrema Italia inter Tarentum et Brundusium, nomen habens ab Iăpyge, Daedali filio, qui ibi regnavit; aliquando tamen hoc nomine Apulia, Calabria, Messapia et Salentinorum regio comprehenditur. Ov. Met. XV. 703.

(†) Alii minus recte *Iăpyx* legunt; cf. Heyne l. l.

Digitized by Google

Iăpys, -ўdis, (*) in vel ex Iăpydibus, vel ad Iăpydes spectans. Fuerunt autem *Iăpydes* Illyrici populus, qui Liburniae partem incoluit, *Iăpydiam* inde dictam. Virg. Ge. III. 475. v. *Iăpydius*.

Iăpyx, -ўgis, Daedalў filius, qui in extrema Italiae ora consedit, regionemque Iăpygiam appellevit. Ov. Met. XV. 52. Hinc etiam cauro s. vento occidentali, ex Italia in Graeciam navigantibus secundo, idem tribuitur nomen. Hor. Od. I. 3. 4. III. 27. 20. Virg. Aen. VIII. 710.

Iăpyx, -ўgis, in vel ex Iăpygia, ad Iăpygiam pertinens, Iăpygius, nonnumquam id. q. Apulus. Virg. Aen. XI. 247. 678. Ov. Met. XIV. 458. 510.

Iărba et Iărbas, -ae, fuit Getuliae rex, Iovis e Garamantide nympha filius, qui Didonem amavit, sed repulsam ferens, post reginae mortem Carthaginis regnum invasit. Virg. Aen. IV. 36. sqq. Ov. Her. VII. 125. Fast. III. 552.

Iărbўta, -ae, homo e Mauritania, cuius rex olim Iărbas fuit, oriundus. Scholiastes eum *Cordum* vocavit. Hor. Ep. I. 19. 15. v. *Timagenes*.

Iărdănis, -ўdis, i. e. Omphale regina, Iărdani filia. Ov. Her. IX. 103.

Iăsўdes, -ae, i. e. Palinurus, Iăsii, vel Iăpis, Iăsi filius. Virg. Aen. V. 843. XII. 392.

Iăsis, -idis, est Atalanta, Iasii filia. Prop. I. 1. 10.

Iăsўus, -i, et Iăsўon, -ōnis, Iovis adulteri ex Electra, Corythi regis uxore, filius, cum fratre Dardano ex Italia in Samothraciam profectus, ibi Iovis fulmine percussus periit. Virg. Aen. III. 168. Alii hunc, agriculturae studiosissimum, a Cerere in Creta amatum fuisse narrant. Ov. Am. III. 10. 25. Met. IX. 422. Trist. II. 300.

Iāson, -ōnis, Aesonis, Iolci in Thessalia regis, ex Alcimede filius, Peliae patrui iussu cum Argonautis in Colchidem, ut vellus aureum, ibi asservatum, inde peteret, dux profectus, adiutrice Medea, Colchorum regis filia, vellus abstulit; Medea vero cum hoc aufugiens duos filios peperit. Hor. Epod. III. 12. Ov. Her. VI. 77. XII. 151. Fast. I. 491. et al. Prop. II. 17. 11. v. *Hypsipyle*, *Medea*.

Iāsonўus, -a, -um, ab Iāsone, vel ad Iāsonem pertinens. Prop. II. 19. 31.

Iāsonius remex, i. e. Argonautae, Iāsone duce profecti. Ov. ex Pont. III. 1. 1.

(*) Male in nonnullis *Iăpis* legitur; cf. Drakenb. ad Liv. Hist. XLIII. 5.

Digitized by Google

Iăzўx, -ўgis, unus ex Iazygibus, qui fuerunt Sarmatiae Europaeae populus, Danubii accola. Ov. Trist. II. 191. ex. Pont. I. 2. 79. IV. 7. 9.

Iber s. Hiber, -ĕris, id. q. Hispanus. Hor. Od. II. 20. 20.

Ibĕrĭa s. Hiberĭa, -ae, dicta est Hispania ab *Ibero*, maximo regionis flumine, quod hodie *Ebro* vocatur. Hor. Od. IV. 5. 28. IV. 14. 50. Est etiam hoc nomine regio ad Pontum Euxinum inter Colchidem et Albaniam, veneni feracissima; hodie Georgicae regionis pars est. Hor. Epod. V. 21.

Iberĭcus s. Hiberĭcus et Ibĕrus s. Hibĕrus, -a, -um, id. q. Hispanus. Virg. Aen. VII. 663. IX. 582. XI. 913. Ov. Her. IX. 91. Fast. VI. 519. et al. Cat. IX. 6. XII. 14. Prop. II. 2. 21.

Iberus pastor, i. e. Geryon. Ov. Met. IX. 184.

Iberus piscis, i. e. scomber, piscis, qui frequens in Hispaniae ora capiebatur, et e quo garum s. liquamen conficiebatur, quod liquidi condimenti genus ad cibos condiendos adhibebatur, a Romanis maximi fiebat, magnoque constabat. Hor. Sat. II. 8. 46.

Iberus gurges, i. e. mare Atlanticum, Iberiam s. Hispaniam alluens. Ov. Met. VII. 324.

Ibis, -ĭdis, vocatur Ovidii carmen, quo posta quendam graviter perstringit, Callimachum imitatus, qui ficto Ibidis nomine in Apollonium Rhodium, ingratum discipulum, acerbe invectus fuit. Ov. in Ibin 55. sqq.

Ibўcus, -i, pauper homo, Cliforidis coniux. Hor. Od. III. 15. 1.

Icariōtis et Icăris, -ĭdis, i. e. vel *Penelope*, Icarii s. Icari filia. Pseudo-Virg. Cul. 264. Ov. in Ibin 593. Prop. III. 11. 10., vel quae a Penelope est, ad Penelopen pertinet. Ov. ex Pont. III. 1. 113.

Icarius, -i, Perieris e Gorgophone filius, Tyndarei et Hipocoontis frater, qui e Periboea nympha Penelopen genuit. Ov. Her. I. 81. XVIII. 50. Trist. V. 5. 44.

Icarii gener, i. e. Ulysses, Penelopes maritus. Ov. in Ibin 570.

Icarius s. Icărus, -i, (*) Atheniensis, Erigones pater, qui a Baccho, benigne hospitio excepto, vinum accepit, ad quod bibendum quum vicinos pastores invitasset, ab his inebriatis sibique venenum datum ratis, occisa et insepultus proiectus est. A Iove deinde inter sidera relatus *Bootes*, vel *Arcturus* fuit dictus. Ov. Met. X. 450. in

(*) Cf. Munck. ad Hyg. f. 130.

Digitized by Google

Ibin 611. Tib. IV. 1., 10. Prop. II. 24. 29. v. *Erigone*. A nonnullis idem habetur, qui Penelopes, Ulyssis uxoris, parens.

Icarii boves sidera flectunt, i. e. instat diluculum. Prop. II. 24. 24.

Icarĭus, -a, -um, ad Icarum, Daedali filium, aut Icarium, Erigones patrem, pertinens.

Icarium, *Icārii fluctus* et *Icariae aquae*, i. e. mare Icarium, in quod Icarus decidit. Hor. Od. I. 1. 15. III. 7. 21. Ov. Fast. IV. 283. 566. Trist. I. 1. 90. V. 2. 28. v. *Icarus*.

Icarius canis, i. e. Maera, Icarii canis, qui suo latratu Erigonen in locum allexit, ubi Icarius interfectus iacebat. A Baccho inter sidera relatus, *Procyon* audit. Ov. Am. II. 16. 4. in Nuc. 118. Fast. IV. 939. v. *Erigoneius*, *Procyon*.

Icărus, -i, Daedali filius, qui fugae patris comes nimis pennis, quas pater cera coniunctas fecerat, fretus, propius solem volavit, ita ut, cera liquefacta, in mare deciderit, atque Aegaeum mare, qua Samo proximum est, a se Icarium, insulamque, ubi ab Hercule sepultus fingitur, Icariam denominaverit. Hor. Od. II. 20. 13. Virg. Aen. VI. 31. Ov. Art. Am. II. 94. Fast. IV. 284. Met. VIII. 195. et al.

Iccĭus, -i, Romanus, qui, quum Augustus, Arabiae Felicis divitiis illectus, exercitum eo mitteret, Philosophiae studio, cui totum se tradiderat, spe lucri relicto, ad bellum proficisci parat, quapropter ab Horatio amico facete perstringitur. Hinc autem redux factus postea Agrippae procurator in Sicilia exstitit. Hor. Od. I. 29. 1. Ep. I. 12. 1.

Icĕlos, -i, id. q. Phobetor, q. v.

Ida, -ae, et Ide, -es. Vocantur sic duo altissimi montes, Cybelae sacri, quorum alter in Creta fuit, in quo Iupiter eductus fingitur. Virg. Aen. XII. 412. Ov. Am. III. 10. 25. Art. Am. I. 289. Fast. V. 115., alter in Phrygia, haud procul a Troia, silvis abundans, ex quo plurimi fontes atque flumina manant, et unde Ganymedes a Iove in coelum raptus est: Troiani quippe e Creta in Phrygiam transeuntes etiam locorum nomina deorumque cultum secum transtulisse videntur. Hor. Od. III. 20. 16. Virg. Ge. IV. 41. Aen. II. 801. et al. Pseudo-Virg. Cul. 310. Ov. Her. V. 73. XIII. 53. et al. Cat. LXIII. 30. Prop. II. 23. 91.

Ida, -ae, Nympha, Hyrtaci Troiani uxor, Nisi mater. Virg. Aen. IX. 177.

Idaeus, -a, -um, a) in vel ex Ida, Cretae monte, vel ad Idam, Cretae montem, pertinens, id. q. *Cretensis*. Virg. Aen. II. 696. VII. 139. Prop. II. 23. 95. III. 15. 36. b) ad Idam, Phrygiae montem, spectans, id. q. *Troianus*. Virg. Aen. III. 105. 112.

Digitized by Google

Vll. 222. Ov. Met. IV. 289. et al. Prop. ll. 2. 66.

Idaeus puer, i. e. Sagittarius, in quod sidus Ganymedes post mortem conversus fingitur. Ov. Fast. ll. 145.

Idaeus hospes, adulter, iudex vel *pastor* i. e. Paris. Ov. Her. Vlll. 73. XVI. 301. XIX. 177. Fast. Vl. 44. Prop. lll. 11. 39.

Idaeus Simois. Prop. lll. 1. 27. v. *Simois*.

Idaea mater, parens Opis, i. e. Cybele, in Ida praecipue culta. Virg. Aen. IX. 620. X. 252. Ov. Fast. IV. 182. Tib. I. 4. 68.

Idaei chori sunt Cybeles sacerdotes. Virg. Aen. IX. 112. v. *Cybele*.

Idaeae naves, i. e. ex materie Idae montis. Hor. Od. l. 15. 2.

Idaeae urbes, i. e. prope Idam, Phrygiae montem, sitae. Virg. Aen. Vll. 207.

Idaeus, -i, fuit nomen duorum Troianorum, quorum alter, Priami regis armiger atque auriga, Troiano bello occisus fuit; alter cum Aenea in Italiam profectus est. Virg. Aen. Vl. 485. IX. 500.

Idalĭa, et Idalĭum, -i, mons Cypri insulae, silvis consitus, ad cuius radices urbs eiusdem nominis exstitit, quae, uti tota insula, Veneri sacra fuit. Virg. Aen. l. 681. (685.) 693. (697.) Urbis meminit Virg. Aen, X. 86. Cat. XXXVI. 12.

Idalĭe, -es, i. e. Venus. Ov. Met. XIV. 694. v. *Idalia*.

Idalius, -a, -um, in vel ex Idalia, ad Idaliam pertinens. Virg. Aen. V. 760. X. 52. Pseudo-Virg. Cat. 62. Prop. ll. 10. 54.

Idalia dea, i. e. Venus. Ov. Art. Am. lll. 106.

Idas, -ae, Apharei, Messeniorum regis, ex Arene filius, Calydonii apri venator, cui et Lynceo fratri quum Castor atque Pollux sponsas Phoeben et Ilairam vi eripuissent, nec reddere vellent, Castor a Lynceo, hic vero a Polluce caesus est. Idas autem, Pollucem adgrediens a Iove fulmine percussus periit. Ov. Fast. V. 701. 713. Met. Vlll. 305. Prop. l. 2. 17. v. *Phoebe*. — Vocatur sic etiam Troianus, qui Aeneae comes in Italia a Turno interemtus est. Virg. Aen. IX. 575. Item unus e tribus Thracibus, qui cum Aenea in Italiam profecti a Clauso occisi sunt. Virg. Aen. X. 351. — Aethiops, qui in Persei nuptiis a Phineo iaculo transfixus est. Ov. Met. V. 90., — et unus e Diomedis sociis, a Venere in avem conversus. Ov. Met. XIV. 504.

Idmon, -ŏnis, Apollinis e Cyrene filius, Argivus vates, qui in Argonautarum expeditione apud Mariandynos apro percussus interiit. Ov. in Ibin 506. — Est quoque hoc nomine Arachnes pater, Colophone, Iŏniae urbe, oriundus. Ov. Met. Vl. 8. — Item unus e Rutulis. Virg. Aen. XII. 75.

Digitized by Google

Idmonĭus, -a, -um, ab Idmone, Arachnes patre, vel ad Idmonem, Arachnes patrem, pertinens. Ov. Her. VI 133.

Idomĕneus, -i, Deucalionis, Cretae regis, filius, Minois II. nepos, fortissimus heros, qui cum octoginta navibus ad Troianum bellum Graecis auxilio profectus Merionen comitem et aurigam habuit. Post Troiam deinde eversam in patriam redux factus a civibus regno Cretensi expulsus est; quapropter cum nonnullis Cretensibus in Italiam confugiens Salentinum, in Calabria, agrum occupavit. Hor. Od. IV. 9. 20. Virg. Aen. III. 122. 401. Ov. Met. XIII. 358.

Idrus, -i, mons Cariae, Dianae sacer. Cat. LXIV. 301.

Idumaeus, -a, -um, in vel ex Idumaea, ad Idumaeam pertinens; quae fuit Palaestinae regio, palmis abundans. Virg. Ge. III. 12.

Ilargus, -i, (*) Vindelicorum flumen, quod in Danubium effunditur, Tiberii victoria adversus Vindelicos nobile; hodie *Iler* vocitur. Alb. ad Liv. ap. Ov. 386.

Ilaira, -ae, Leucippi filia, quam Pollux rapuit. Prop. I. 2. 16. v. *Leucippus*.

Ilerda, -ae, Hispaniae Tarraconensis urbs, Ilergetum princeps, ad Sicorim fluvium sita, Caesaris victoria, a Pompeio relata, nobilis; hodie *Lerida* dicitur. Hor. Ep. I. 20. 13.

Ilĭa, -ae, quae et *Rhea Silvia*, Numitoris, Albanorum regis, filia, ab Amulio patruo Vestae sacerdos lecta, et a Marte vi compressa, Romulum Remumque uno partu peperit. Quo Amulius cognito eam ob violatum sacerdotium vivam sepelirī infantesque in Tiberim fluvium abiici iussit. Postea inter deas relata Tiberi s. Tiberino deo nupsisse fingitur. Hor Od. I. 2. 17. III. 9. 8. IV. 8, 22. Sat. I. 2. 126. Virg. Aen. I 274. (278.) VI. 779. Ov. Am. II. 14. 15. saepe al. Tib. II. 5. 52.

Ilĭăcus, -a, -um, ad Ilium s. Troiam pertinens, Troianus. Hor. Ep. I. 2. 16. Virg. Aen. I. 97. (101.) et al. Ov. Her. XIII. 38. Am. III. 6. 76. et al. Cat. LXVIII. 86. Prop. II. 20. 48.

Iliacus Macer, i. e. qui Troianum bellum carmine celebravit. Ov. ex Pont. IV. 16. 6.

Iliaca Vesta, i. e. antea Troiae culta. Ov. Fast. VI. 227. 365.

(*) Male legitur *Itargus* h. l., quem eundem volunt ac Visurgum; quippe qui in altera Germaniae parte est, nec ad hunc locum congruit, cf. Cluv. Germ. p. 747. Cell. Geogr. ant. II. 7.

Digitized by Google

v. *Vesta.*

Iliaca favilla, i. e. Troiae incendium. Prop. IV. 4. 67.

Iliacum carmen, i. e de Troiano bello. Hor. Ep. II. 3. 129.

Iliacae ruinae et *flammae* sunt Troiae incendium. Virg. I. 647. (651.) Ov. Fast. IV. 77.

Ĭlĭădes, -ae, vocatur sic *Romulus*, Iliae filius. Ov. Fast. V. 565. Met. XIV. 781. 824., vel *Remus*, Romuli frater. Trist. IV. 3. 8.; vel uterque frater. Ov. Am. III. 4. 40. Fast. III. 62. IV. 23.; vel *Ganymedes*, Ilio s. Troia, urbe oriundus. Ov. Met. X. 160. Trist. II. 406.

Ĭlĭas, -ădis, quae, in vel ex Ilio s. Troia est, vel ad Ilium s. Troiam pertinet, Troiana feminina. Virg. Aen. I. 480. (484.) VII. 248. Ov. Her. XVI. 336. *Ilias* etiam vocatur praestans illud Homeri carmen de Achillis ira Troianique belli fatis. Ov. Art. Am. III. 4. 14. Trist. II. 371. ex Pont. II. 7. 34. et al. Prop. II. 1. 14. 52. II. 25. 66. v. *Homerus.*

Ĭlĭon s. Ĭlĭum, -i, saepe eadem urbs, quae *Troia*, ab Ilo, Trois e Callirhoë filio, qui urbem auxit, nomen habens. Hor. Od. I. 15. 33. et al. Virg. Aen. II. 241. et al. Ov. Her. VII. 151. et saepe. Tib. II. 5. 22. v. *Troia.* Interdum vero alia urbs est, quae prope mare fuit sita. Prop. III. 1. 31.

Ĭlĭos, -i, id. q. Ilion (*).

Ĭlĭŏna, -ae, et Ĭlĭŏne, -es, Priami ex Hecuba filia natu maxima, Polymnestori, Thracum regi, nupta Polydori fratris nutrix fuit. Virg. Aen. I. 653. (657.) v. *Polydorus, Polymnestor.* — Fuit praeterea hoc nomine Pacuvii tragoedia, in qua Fusius aliquando e rius Ilionae personam agens obdormivit, ita ut Catienum, qui Polydori partes agebat, alloquentem non audiret; huc respexit Hor. Sat. II. 3. 61.

Ĭlĭŏneus, -ĕi, Niobes filius natu minimus, ab Apolline cum fratribus interfectus. Ov. Met. VI. 261. — Sic dicitur etiam Troianus, qui Aenean in Italiam secutus est. Virg. Aen. I. 120. (124.) sqq. Ov. Her. XVI. 360.

Ĭlĭthўia, -ae, eadem dea, quae *Diana* et *Lucina*, parientibus opem ferre credebatur ab iisque invocari solebat. Hor. Carm. Saec. 14. Pseudo-Virg. Cir. 326. Ov. Am. II. 13. 21. Met. IX. 283.

Ĭlium. v. Ilion.

(*) Sic Hom. Ἴλιος ἐκπέρσασα, Il. γ. 305. Ἴλιος ἐξ, Il. δ. 416. Ἴλιος αἰπεινή, Il. ρ. 773. Alii vero minus recte *Ilion* feminino genere legere malunt, subaudito *urbs*. Hor. Od. IV. 9. 18. Ov. Art. Am. I. 363. Met. XIV. 466. cf. Heins. ad Ov. Her. I. 47.

Digitized by Google

Ilĭus, -a, -um, in vel ex Ilio s. Troia, vel ad Ilium s. Troiam pertinens, Troianus. Hor. Epod. XVII. 11. Carm. Saec. 37. Prop. IV. 1. 53.

Ilia res, i. e. regnum Troianum. Virg. Aen. I. 268. (272.)

Ilia maenas i. e. Cassandra, Priami filia, vatidica. Prop. III. 11. 61.

Illyrĭcus et Illyrĭus, -a, -um, in vel ex Illyria, vel ad Illyriam pertineus. Ov. Art. Am. II. 658. Med. Fac. 74. Trist. I. 4. 19. et al. Prop. II. 13. 1. 10.

Illyria s. Illyricum, -i, regio Adriaticum mare adiacens, Italiae opposita, Liburniam et Dalmatiam complectens; hodie praeter Dalmatiam, Croatiae, Bosniae et Sclavoniae partem continet. Prop. I. 8. 2.

Illyricae undae, *Illyricum aequor*, et *Illyricus sinus*, i. q. mare Adriaticum, qua parte Illyriam alluit. Hor. Od. I. 28. 22. Virg. Ecl. VIII. 7. Aen. I. 243. (247.)

Illўris, -ĭdis, quae est in vel ex Illyria, vel ad Illyriam spectat. Ov. Trist. II. 225.

Illyris (*terra*), i. e. Illyria. Ov. ex Pont. II. 2. 79.

Ilva, -ae, Graecis *Aethalia*, fuit insula in mari Tyrrheno, haud procul a Populonia, Etruriae urbe; hodie *Elba* dicitur. Virg. Aen. X. 173.

Ilus, -i, Trois, Troianorum regis, e Callirrhoë filius, Ganymedis et Assaraci frater, Laomedontis ex Eurydice pater, a quo Troia, quam condidit vel amplificavit, Ilium fuit dicta. Virg. Aen. VI. 650. Ov. Fast. VI. 419. 420. Met. XI. 756. Vocabatur sic etiam Ascanius, Aeneae filius, quamdiu Troianum regnum duravit. Virg. Aen. I. 268. (272.) — Item unus e Rutulis. Virg. Aen. X. 400.

Imbrasĭdes, -ae, i. e. Asius, Imbrasi filius. Virg. Aen. X. 123.

Imbrasidae sunt Glaucus et Lades, e Lycia oriundi, Imbrasi filii. Virg. Aen. XII. 343.

Imbrĭus, -a, -um, in vel ex Imbro, ad Imbrum pertinens; quae fuit insula Aegaei maris, Thraciae Chersoneso adiacens; hodie *Embro* dicitur. Ov. Trist. I. 10. 18.

Inachĭdes, -ae, i. e. Epaphus, Inachi nepos. Ov. Met. I. 753.; — vel Perseus, quod ex Argis erat, quorum conditor et rex Inachus fuit. Ov. Met. IV. 719.

Inăchis, -ĭdis, quae ad Inachum pertinet, id. q. Argiva, Graeca. Ov. Met. I. 640.

Inachis, i. e. Iö s. Isis, Inachi fluminis filia. Ov. Art. Am. III. 464. Fast. I. 454. Met. I. 611. Prop. I. 3. 20. II. 24. 4.

Inachis Acrisione, i. e. Danaë Argiva, Acrisii filia. Pseudo-Virg. Cat. XI. 33.

Inachides, -um, dicuntur Hy-

Digitized by Google

permnestra et sorores, quia genus ab Inacho referebant; Epaphus enim, Iūs filius, Inachi nepos, ex Memphi, Nili filia, Libyam procreavit, quae e Neptuno Belum, Danai patrem, peperit. Ov. Her. XIV. 23.

Inachĭus, -a, -um, ab Inacho, vel ad Inachum pertinens. id. q. Argivus, Graecus. Virg. Aen. VII. 286. XI. 286. Prop. I. 13. 31. II. 10. 8.

Inachia iuvenca s. *bos*. i. e. Iō, Inachi filia. Virg. Ge. III. 153. Ov. Fast. III. 657.

Inachium litus, i. e. Argolici sinus. Ov. Fast. V. 656.

Inăchus s. Inăchos, -i, primus Argivorum rex; Iūs pater, Argorum urbis conditor, qui et Inacho flumini nomen dedit, et eius deus fingitur. Hor. Od. II. 3. 21. III. 19. 1. Virg. Aen. VII. 372. 792. Ov. Met. I. 642. 645. 651.

Inăchus s. Inăchos, -i, Peloponnesi fluvius, qui e Lyceo, Arcadiae monte, exortus Argos oppidum praeterfluit et in Argolicum sinum effunditur, nomen habens ab Inacho rege, qui huius deus in fabulis habetur. Ov. Am. III. 6. 25. 103. Met. I. 583.

Inarĭme, -es, quae et *Aenaria*, fuit insula Tyrrheni maris in Campaniae ora, sub qua Typhoeus Gigas a Iove fulmine percussus iacere fingitur. Virg. Aen. IX. 716. Ov. Met. XIV. 89. v. *Pithecusae*.

Indĭa, -ae, latissima Asiae regio ad utramque Gangis partem sita, ab Indo flumine nomen habens, Romanis parum cognita; tam late vero Indiae nomen olim patuit, ut omnes remotiores orientis regiones, Parthorum, Indis vicinorum, Arabum, quin immo Aethiopum, eo significarentur. Bacchus eam primus vicisse fertur; fuitque unionibus, gemmis aliisque pretiosis rebus, abundans, quae omnia ex illa regione Romam advehebantur. Hor. Od. III. 24. 2. et al. Virg. Ge. I. 57. et al. Ov. Art. Am. I. 190. Fast. I. 341. Met. IV. 605. XV. 413. Prop. II. 8. 19. Cat. XLV. 6.

Indĭcus, -a, -um, in vel ex India, vel ad Indiam pertinens, Indiae incola. Hor. Od. I. 12. 56. et al. Prop. II. 18. 10. III. 15. 22.

Indica aqua, i. e. mare Indicum. Ov. ex Pont. I. 5. 80.

Indus, -a, -um, id. q. Indicus. Hor. Ep. I. 145. Virg. Ge. II. 138. et al. Ov. Am. II. 6. 1. et saepe. Tib. II. 2. 15. Cat. XI. 2.

Indus turifer, i.e. Arabs; Arabia enim turis ferax, nunc a Parthis, Indiae conterminis, victa, nunc societate iis iuncta, saepe a veteribus ad Indiam refertur. Ov. Fast. III. 720.

Indus imbellis, i. e. Parthus. Virg. Ge. II. 172. v. *India*.

Digitized by Google

Indus et *Indus niger*, i. e. Aethiops. Prop. II. 14. 13. Tib. IV. 2. 18.

Inda bellua, i. e. elephantus. Est enim India prae ceteris terrae regionibus elephantis abundans. Ov. Trist. IV. 6. 7.

Indi dentes, i. e. elephantorum s. ebur. Ov. Met. VIII. 288. XI. 167. cf. Hor. Od. I. 31. 6. Cat. LXIV. 48.

Indae conchae sunt uniones Indicae. Prop. I. 8. 39.

Ino, -us et -ōnis, Cadmi ex Harmonia filia, Bacchi mater nutritia, Athamanti, Thessaliae regi, nupta Learchum et Melicerten peperit. Quum autem Athamas, insania a Iunone iniecta, Learchum interemisset, Ino se cum Melicerta e scopulo in mare praecipitem dedit; Veneris vero precibus ambo a Neptuno in marinos deos mutati sunt, materque a Graecis *Leucothee*, a Romanis *Matuta*, filius autem *Palaemon* dictus est. Hor. Ep. II. 3. 123. Ov. Fast. VI. 485. 528. Met. III. 313. et al. Prop. II. 21. 21.

Inōus, -a, -um, ab Ino, vel ad Ino pertinens. Ov. Art. Am. III. 176. Met. III. 722. IV. 496.

Inous Melicerta, i. e. Palaemon, Inus filius. Virg. Ge. I. 437. cf. Aen. V. 823. v. *Ino*.

Inŭus, -i, fuit prisco tempore Italiae incolis idem deus, qui Graecis *Pan*.

Inui castrum fuit urbs in Rutulorum agro inter Aphrodisium et Volscorum oppidum Antium, sic dicta ab Inuo s. Pane, qui ibi colebatur. Virg. Aen. VI. 776. Vocatur et simpliciter *Castrum*. Ov. Met. XV. 727.

Iō, -ūs, et ōnis, Inachi, Argivorum regis, e Melissa filia, a Iove amata, et ad Iunonem supervenientem decipiendam in iuvencam conversa, et a Iunone exagitata tandem in Aegyptum devenit, ubi implorato Iovis auxilio pristinam formam recuperavit et Epaphum peperit; deinde Osiridi regi nupta, post mortem ab Aegyptiis dea habita et *Isis* appellata fuit. Hor. Ep. II. 3. 124. Virg. Aen. VII. 789. Ov. Her. XIV. 103. Am. I. 3. 21. Met. I. 588. et al. Prop. II. 21. 19. v. *Argus*, *Isis*.

Iōlas et Iōllas, -ae, Troianus, Aeneae comes, a Catillo in Italia occisus. Virg. Aen. XI. 640. Est quoque pastor, Corydonis dominus, Virg. Ecl. II. 57., et Phyllidis amator. Virg. Ecl. III. 76. 79.

Iōlāus, -i, Boeotius, Iphicli filius, Herculis patruelis perpetuusque comes, Calydonii apri venationi interfuit; senex autem Herculis precibus ab Hebe, altera eius coniuge, in iuvenem mutatus fertur. Ov. Met. VIII. 310. IX. 399. 429.

Digitized by Google

Iōlciăcus, -a, -um, in vel ex Iōlco, vel ad Iōlcum pertinens. Ov. Met. VII. 158. Prop. II. 1. 56.

Iolciacum votum, i.e. magicum; Fuit enim omnis Thessalia magica arte infamis. Pseudo-Virg. Cir. 377.

Iōlcos et Iōlcus, -i, Thessaliae urbs in Magnesia ad sinum Pelasgicum, veneni ferax, unde Iāson cum Argonautis in Colchidem profectus dicitur. Hor. Epod. V. 21.

Iōle, -es, Euryti, Oechaliae regis, filia, quam cum pater Herculi amanti denegaret, hic, urbe expugnata, Eurytum interfecit Iōlenque captivam abduxit; quam postea Hyllo, suo filio, uxorem dedit. Ov. Her. IX. 6. 133. Art. Am. III. 56. Met. IX. 140. 278. Trist. II. 405. Prop. II. 21. 51. — Est quoque nomen puellae. Prop. IV. 5. 35.

Iōn, -ōnis, id. q. Iō. Ov. in Ibin 624. (*).

Iōnia contr. Iōna, -ae, Asiae Minoris regio in maris Aegaei ora, inter Aeolidem et Cariam, nomen habens ab Iōne, Xuthi filio, qui Athenas patriam fugiens his in locis confedisse fertur. Ov. Fast. VI. 175. Prop. I. 6. 31. II. 21. 53.

Iōniăcus, Iōnĭcus et Iōnius, -a, -um, in vel ex Iōnia, vel ad Iōniam pertinens. Hor. Od. III. 6. 21. et al. Ov. Her. IX. 73. Art. Am. II. 219.

Iōnius sinus, *Iōnium* et *Iōnium mare*, i. e. Aegaei maris pars, qua Iōniam alluit. Hor. Epod. X. 19. Virg. Aen. III. 211. V. 193. Ov. Fast. IV. 566. Saepe tamen illud mare significat, quod ab Italiae faucibus incipiens Siciliam Graeciamque alluit et ad Cretam usque extenditur. Ov. Fast. IV. 566. Met. IV. 534. XV. 50. 700. Trist. I. 4. 3. et al. Cat. LXXXIV. 11. Prop. IV. 6. 16. 58. et. al.

Iōnici motus sunt saltationes molles ac lascivae. Hor. Od. III. 6. 21.

Iōpas, -ae, Citharoedus, qui hanc artem ab Atlante, Mauritaniae rege, doctus fertur. Virg. Aen. I. 740. (744.)

Iphĭas, -ădis, i. e. Evadne, Iphidis filia, e Thebe, filia Asopi. Ov. Trist. V. 14. 38.

Iphīclus, -i, Phylaci e Clymene filius, Protesilai pater. Eius boves Melampus surripuit. Ov. Her. XIII. 25. Prop. II. 2. 16.

Iphigenīa, -ae, Agamemnonis e Clytaemnestra filia. Quum autem Agamemnon in Aulide cervam, Dianae sacram, inscius

(*) A Graeco Ἰών; alii tamen *Io* legere malunt.

Digitized by Google

interfecisset, dea irata contrariis ventis, quominus Graeci Troiam navigare possent, prohibuit; quapropter Iphigenia e Calchantis vaticinio Ulyssisque dolo a matre Aulidem abducta, cum iam iam immolaretur, Diana cervam eius loco supposuit, virginemque sub nube per aëra in Tauricam Chersonesum vexit, ubi a Thoante rege deae sacerdos facta humanas victimas immolavit, donec ab Oreste et Pylade liberata sit. Ov. Met. XII. 31. Trist. IV. 4. 80. ex Pont. III. 2. 62. Prop. III. 5. 54.

Iphis, -idis, puella Cretensis, Ligdi et Telethusae filia, quam mater, inscio marito, qui, si filia nasceretur, occidi eam iusserat, virili habitu educavit. Quum vero adolevisset, et pater Ianthen puellam ei despondisset, Telethusa Isidis opem imploravit, quae ipsarum nuptiarum die Iphidem in iuvenem mutatae fingitur. Ov. Met. IX. 667. 714. — Vocatur sic quoque Iphidis deus. Ov. Met. IX. 708. Item Cyprius iuvenis formosus, qui ab Anaxarete, quam amabat, repulsam ferens, doloris impatiens se suspendit. Ov. Met. XIV. 699. 757.

Ipsa, -ae, Aeetae, Colchorum regis, uxor, Medeae mater, Ov. Her. XII. 232.

Ipsithilla, -ae, Catulli amica, ad quam scripsit carm. XXXII.

Iris, -idis, filia Thaumantis et Electrae, Oceani filiae, deorum in primis Iunonis nuntia fingitur. Virg. Aen. IV. 694. 700. et al. Ov. Met. I. 271. et saepe.

Irus, -i, proprio *Arnaeus* dictus, fuit pauper vir in Ithaca, qui se in Ulyssis aula Penelopes procis immiscuerat, eorumque mandata nuntiabat, unde et *Iri* (*) nomen traxit. Ulysses, in patriam redux factus, eum male mulctatum ex aula eiecit, et ad canes suesque abarcendas ante atrii introitum locavit. Ov. Her. I. 95. in Ibin 419. Prop. III. 3. 39.

Isaurus, -a, -um, in vel ex Isauria, ad Isauriam pertinens, quae fuit Asiae regio inter Ciliciam, Pisidiam et Lycaoniam, a qua devicta P. Servilius Isauricus cognomen meruit. Ov. Fast. I. 593.

Ischomache, -es, Perithoi Lapitharum regis uxor, quae etiam *Hippodamia* vocatur. Prop. II. 2. 6. v. *Perithous*.

Isiacus, -a, -um, ad Isin spectans, Isidi sacer. Ov. ex Pont. I. 1. 52.

Isis, -idis, Aegyptiorum dea, quae cum Osiride per totam Aegyptum colebatur, templa habebat,

(*) Ab ἴρω, s. vicinum εἶρω dico, nuntio, interrogo.

ut etiam Romae, ubi inter peregrina sacra Isidis cultus erat receptus. Ov. Am. I. 8. 74. II. 2. 25. et al. 5. 34. Tib. I. 3. 23. Prop. IV. v. *Io.*

Ismarĭus, contr. Ismārus, -a, -um, in vel ex Ismaro, vel ad Ismarum pertinens, id. q. Thracius. Virg. Aen. X. 351. Ov. Her. I. 46. XV. 154. et al. Prop. II. 10. 6.

Ismarius tyrannus, i. e. Tereus, Thraciae rex. Ov. Am. II. 6. 7.

Ismarius rex, i. e. Polymnestor, Thraciae rex. Ov. Met. XIII. 530.

Ismărus s. Ismăros, -i, et Ismăra, -orum, Thraciae mons cum urbe eiusdem nominis ad Hebrum flumen, quem Orpheus incoluisse fertur, vitium olearumque fertilitate nobilis. Virg. Ecl. VI. 30. Ge. II. 37. Sab. ap. Ov. I. 60. Prop. III. 10. 25. — Vocatur sic etiam Aeneae comes, Lydia oriundus, qui in Italia adversus Rutulos fortiter pugnavit. Virg. Aen. X. 139.

Ismēnis, -ĭdis, Thebana femina. Vocatur autem sic ab Ismeno flumine, quo Thebae alluuntur. Ov. Met. III. 169. 733. IV. 31. 561. VI. 159.

Ismenĭus, -a, -um, id q. Thebanus. Ov. Met. XIII. 682.

Ismēnos, et Ismēnus, -i, Boeotiae flumen, quod e Cithaerone monte exortum Thebas alluit, et deinde apud Saganeum urbem in Euripum immittitur. Ov. Met. II. 244. Vocatur sic etiam Niobes filius natu maximus, ab Apolline et Diana iratis sagitta confossus. Ov. Met. VI. 244.

Isse, -es, Macaris, vel Macarei, Lesbi regis, filia, quae ab Apolline sub pastoria specie compressa fingitur. Ov. Met. VII. 794.

Ister s. Hister, Istri, v. Danubius.

Isthmĭus, -a, -um, in vel ex Isthmo, vel ad Isthmum pertinens.

Isthmius lator, i. e. certamen in Isthmicis ludis, qui quinto quoque anno in Neptuni honorem in Corinthi Isthmo celebrari solebant. Hor. Od. IV. 3. 3.

Isthmus s. Isthmos, -i, dicitur terra illa oblonga et angusta inter Corinthiacum et Saronicum sinus, quatuor milia passuum lata, qua Peloponnesus reliquae Graeciae continenti adhaeret, et in cuius faucibus Corinthus fuit sita. Hodie vocatur *Hexamili*. Ov. Her. IV. 105. VIII. 69. XII. 104. et al. Prop. III. 20. 22. Videtur etiam significari angustum inter Cyzicum et contimentem mare. Prop. III. 21. 2.

Italĭa, -ae, pulcherrima Europae regio, inter Alpes, et mare Adriaticum et Tyrrhenum sita. Hor. Od. I. 37. 16. Virg. Aen. I. 2. (6.) et al. Ov. Met. XV. 291. et al. Prop. I. 22. 4. et al.

Digitized by Google

Ităl̆ĭcus, et Ităl̆us, -a, -um, in vel ex Italia, ad Italiam spectans, saepe id. q. Romanus. Hor. Od. II. 7. 4. Ib. 13. 18. et ab Virg. Aen. I. 199. (213.) III. 185. Ov. Her. VII. 10. Fast. IV. 251. Met. XIV. 17. XV. 9. 59. Cat. I. 5.

Itala per Graios orgia ferre choros, i. e. Romana festa, carminibus ex Graecis poëtis, Latine redditis, celebrare Prop. III. 1. 4.

Ităl̆is, -idis, quae est in vel ex Italia, vel ad Italiam pertinet. Virg. Aen. XI. 657.

Ităl̆us, -i, heros, qui ex Arcadia in Italiam venit, eamque occupatam Italiam, vocavit. Virg. Aen. VII. 178.

Itargus, -i, rectius legitur Largus, q. v.

Ithăca, -ae, et Ithăce, -es, aspera sterilisque Ionii maris insula inter Cephalleniam et Echinades insulas, Laërtae atque Ulyssis patria et regia sedes; hodie *Theaki*. Hor. Sat. II. 5. 4. Ep. I. 7. 41. Virg. Aen. III. 272. sqq. Ov. Met. XIII. 711. XIV. 169, et al. Tib. IV. 1. 48.

Ithacensis, -e, et Ithăeus, -a, -um, in. vel ex Ithaca, vel ad Ithacam, ejusve regem Ulyssem spectans. Hor. Ep. I. 6. 63. Virg. Aen. III. 629. Ov. Am. III. 12. 29. Met. XIII. 512.

Ithacus, i. e. Ulysses. Virg. Aen. II. 104. 122. III. 629. Ov. Met. XIII. 98. 103. ex Pont. I. 3. 32. et al. Prop. I. 15. 9.

Ithaci coniux, i. e. Penelope, Pseudo-Virg. Cul. 264.

Ithacis verubus mugisse boves, i. e. boves, ab Ulyssis sociis raptos, verubus affixos, dum assabantur, mugisse. Prop. III. 10. 29.

Itōnus, -i, Thessaliae urbs, ubi Minerva nobile templum habuit, et cui saeva fuit. Cat. LXIV. 228.

Ituraeus, -a, -um, in vel ex Ituraea, vel ad Ituraeam pertinens. Fuit autem *Ituraea* (†) Syriae regio, cuius gens sagittandi arte nobilis fuit. Virg. Ge. II. 448.

Ităl̆us, -i, Zethi, vel ut allis placet Polytechni, filius, ex Aëdones. Philomela, Pandarei filia, a matre interfectus patri in epulis appositus est, ut *Itys*, cuius fabula, cum Ituli fatis misceatur. Cat. LXV. 14.

Ităl̆ys, -ўos, Terei e Procne filius, a matre necatus patrique in epulis appositus in *phasianum* conversus fingitur. Hor. Od. IV. 12. 5. Pseudo-Virg. in Cul. 251. Her. XV. 154. Met. VI. 437. sqq. Prop. III. 8. 10. IV. 6. 66. v. *Philomela*. Est quoque hoc nomine Troianus, Aeneae comes, qui in Italia a Turno caesus fertur. Virg.

(†). Nonnulli minus recte *Ityraeus* legunt: est enim Graece Ἰτυραῖα.

Aen. IX. 574.

Iuba, -ae, Numidiae et Mauritaniae rex, Hiempsalis filius, qui cum Pompeio adversus Caesarem stetit, a quo postea victus se ipse interfecit. Hor. Od. I 22. 15. Ov. Fast. IV. 380. Met. XV. 755.

Iudaeus, -a, -um, in vel e Iudaea, vel ad Iudaeam pertinens. Fuit autem *Iudaea* Palaestinae regio. Ov. Art. Am. I. 76.

Iudaei sunt Iudaeae incolae, qui a Iuda, Iacobi filio, originem ducunt. Habebantur a Romanis superstitiosi ac crèduli, eorumque *trecesima sabbata* tricesimus lunaris mensis dies esse videtur, qui dies novilunium praecedit, et etiam nunc a Iudaeis Deo sacer habetur. Hor. Sat. I. 4. 143. I. 9. 69. 70.

Iugurthīnus, -a, -um, ad Iugurtham pertinens. Hor. Epod. IX. 23. Ov. ex Pont. IV. 3. 45.

Iugurtha, -ae, Numidiae rex, qui cum populo Rom. bellum gessit, et a Bocco proditus, a Mario Consule in triumpho ductus Romae in carcere interiit. Hor. Od. II. 1. 2. 28. Prop. III. 3. 38.

Iūlēus, -a, -um, ab Iūlo s. Ascanio, vel ad Iūlum s. Ascanium spectans. Ov. Fast. IV. 124. V. 564. et al. Saepissime id. q. Iulius.

Iulea carina, i. e. classis Augusti, qua vicit ad Actium. Prop. IV. 6. 17.

Iulius Pedatia, v. Pedatia.

Iulius Florus, v. Florus.

Iulius, -a, -um, e Iulia gente, vel ad Iuliam gentem, praecipue vero ad Iulium Caesarem, aut Augustum pertinens. Fuit autem Iulia gens Romae nobilissima, ab Iūlo, Aeneae filio, originem ducens, e qua Iulius Caesar fuit, qui Augustum in Iuliam familiam adoptavit. Ov. Fast. IV. 40.

Iulius s. Iulius divus, i. e. Iulius Caesar. Virg. Aen. I. 288. (292.) Ov. Met. XV. 842. ex Pont. II. 2. 86.

Iulia Augusta dicta fuit per anticipationem Livia Drusilla, altera Augusti uxor, cui Augusti testamento primum in nomen et gentem Iuliam assumtae post mortem divini honores a Senatu Claudii iussu decreti sunt. Ov. Fast. I. 536.

Iulia Aurunculeia, pulchra puella, in cuius nuptias cum A. Manlio Torquato carmen fecit Catullus. LXI.

Iulia unda, i. e. Iulii portus. Virg. Ge. II. 163. v. *Lucrinus lacus*.

Iulium sidus, i. e. Iulius Caesar, qui post mortem inter divos relatus, et in cometen, qui per septem dies post eius necem Romae apparuit, muta-

Digitized by Google

tis credebatur. Hor. Od. I. 12. 47.

Iulia edicta sunt leges, ab Augusto latae. Hor. Od. IV. 15. 22.

Iulia templa, i. e. Iulii Caesaris curia. Hostilia enim curia, ubi senatus habebatur, vetustate dilapsa, in eius locum a Triumviris in Iulii Caesaris honorem curia Iulia fuit exstructa, et ab Augusto post pugnam Actiacam dedicata. Ov. ex Pont. IV. 5. 21. (*).

Iūlus, -i, Ascanii, Aeneae filii, cognomen, unde Iuliae gentis nomen originem duxisse fertur. Virg. Aen. I. 267. (271.) et al. Ov. Her. VII. 75. 83. et al. Prop. IV. 1. 48. — Est quoque praenomen Antonii, filii M. Antonii. Hor. Od. IV. 2. 2. v. *Antonius*.

Iuno, -ōnis, Saturni ex Ope filia, Iovis soror et uxor, cui Vulcanum peperit, superba et iracunda femina, dearum regina habita, nuptiis et monetae praeesse credebatur. Fingitur praeterea Hebes atque Martis sine Iove mater. Ob Paridis iudicium Troianis inimica, Troiam evertit. A Graecis, in primis Mycenis, Argis et in Samo, culta fuit. Hor. Od. I. 7. 8. III. 3. 17. Virg. Aen. I. 4. (8.) et al. Ov. Her. IV. 35. et saepe. Cat. LXVIII. 138. Prop. II. 4. 17. Significat autem *Iuno* saepe idem, quod *dea*, uti *Iupiter*, id. q. *deus*.

Iuno moneta, i. e. quae monetae praeest; habuitque eo cognomine templum Romae, in quo monetae officina fuit, quod L. Furius Camillus Aurunco bello vovit, et aedificatum fuit in Capitolii arce, quo loco M. Manlii Capitolini aedes antea fuerant, et centum gradibus conscendebatur. Ov. Fast. IV. 183.

Iuno, i. e. insania a Iunone iniecta. Virg. Aen. V. 679.

Iuno infera s. *Averna*, i. e. Proserpina. Virg. Aen. VI. 138. Ov. Met. XIV. 114.

Iuno Lucina, i. e. Diana, quae parturientibus opem fert. Cat. XXXIV. 13. v. *Lucina*.

Iuno natalis, i. e. quae praeest diei natali. Mulieres solebant die natali Iunoni sacrificare, ut viri suo genio faciebant. Est adeo *Iuno* idem quod *dea* et hoc loco *femineus genius*. Tib. IV. 6. 1.

Iuno pronuba, i. e. quae nuptiis praeest. Virg. Aen. IV. 166. Ov. Her. VI. 43. Met. VI. 428. IX. 761.

Iunonis urbs, i. e. Argos. Ov. Her. XIV. 28.

Iunonis avis s. *volucris*, i. e. pavo, Iunoni sacra. Ov. Met. XV. 385.

Iunonis gener, i. e. Hercules, qui post mortem in deorum numerum receptus Heben, Iunonis filiam, uxorem accepit. Ov. Trist.

(*) Cf. Dion. XLVII. et LI.

Digitized by Google

III. 5. 42. ex Pont. IV. 16. 8.

Iunonis sacra ferre, i. e. tarde et cum gravitate incedere. Ad Iunonis enim, uti et Cereris Palladisque, sacra virgines sublatis manibus canistra sustinentes, in quibus res, ad sacrificia necessariae, erant, lento gradu procedebant. Hor. Sat. I. 3. 11.

Iunonālis, -e, id. q. Iunonius. Ov. Fast. VI. 63.

Iunonĭcŏla, -ae, qui Iunonem colit. Ov. Fast. VI. 49.

Iunonĭgĕna, -ae, i. e. Vulcanus, Iunonis filius. Ov. Met. IV. 173.

Iunonĭus, -a, -um, a Iunone, vel ad Iunonem pertinens, Iunoni sacer. Ov. Her. XIV. 85. Am. II. 2. 45. Met. VIII. 220.

Iunonius custos, i. e. Argus, a Iunone Io appositus. Ov. Met. I. 678.

Iunonius mensis, i. e. Iunius, Iunoni sacer. Ov. Fast. VI. 61.

Iunonia Hebe, i. e. Iunonis filia. Ov. Met. IX. 400.

Iunonia Iris, i. e. a Iunone missa. Ov. Met. XIV. 85.

Iunonia hospitia, i. e. Carthaginiensium, quorum urbs Iunoni sacra erat. Virg. Aen. I. 671. (673.)

Iuppiter et Iupiter, Iovis, Saturni ex Ope s. Rhea filius, deorum rex atque pater habitus. Hic in Creta insula eodem partu cum Iunone editus clam patre, qui filias ex pacto cum Titane devoraret, a matre Curetibus traditus, et ab Amalthea caprino lacte in Ida monte eductus fuisse fingitur. Deinde quum adolevisset, Titanem eiusque filios, qui Saturnum regno expulerant, bello persecutus domuit; et patrem in regnum restituit. Cum vero hic postea Iovem interficere conaretur, Iupiter, cognitis insidiis, Saturnum coelo deiecit regnumque cum Neptuno ac Plutone fratribus divisit, ita ut ipse coeli et terrae summum imperium teneret, et fulmina, tonitrua ac tempestates, in sua potestate essent. E Iunone, quam uxorem duxit, Vulcanum suscepit; plurimarum autem virginum uxorumque pudicitiae in varias mutatus formas, ut aemulantis Iunonis inquisitiones effugeret, insidias struxit, et ex iis innumeram procreavit sobolem. A Graecis et Romanis praecipue et ante ceteros deos cultus fuit; habuitque pro rebus, quas gessit, et pro locorum diversitate varia cognomina, multisque in locis templa, inter quae tamen Romae in Capitolii arce, Olympiae in Elide, Dodonae in Molossia illustrissima feruntur. Fingitur plerumque summa cum maiestate sedens in eburneo solio, dextra fulmen, sinistra sceptrum tenens, aquila ad eius pedes stante, quae ex avibus, uti ex ar-

Digitized by Google

boribus quercus, et sacra erat. Hor. Od. I. 2. 29. et al. Virg. Ecl. III. 60. Ov. Her. X. 68. et saepe. Cat. XXXIV. 6. Prop. I. 13. 29. et al. v. *Saturnus*, *Titan*.

Iupiter, i. e. Iovis auxilium. Ov. Met. XIII. 91. Favebat enim Iupiter Troianis adversus Graecos. Cf. Met. XII. 384.

Iupiter malus, i. e. aër; frigore et densitate noxius. Hor. Od. I. 22. 20. Significatur enim ex Stoicorum sententia Iovis nomine *aether*, *coelum* et *aer*. Cf. Hor. Od. III. 10. 8. Epod. XIII. 2. Virg. Ecl. VII. 60. Ge. I. 418. II. 419. et al.

Iupiter pluvius, i. e. a quo pluvia demittitur; colebatur autem hoc nomine et simulacrum habebat. Tib. I. 7. 26.

Iupiter Stygius, i. e. Pluto. Virg. Aen. IV. 638. Ov. Fast. V. 448. Est enim Iupiter saepe id. q. deus.

Iupiter secundus, i. e. ventus. Cat. IV. 20.

Iovis ales, *praepes* et *armiger*, i. e. aquila, quae avis, Iovi sacra, fulmina ferre fingebatur. Virg. Aen. V. 255. IX. 564. XII. 247. Ov. Art. Am. III. 420. Met. IV. 713. VI. 517. XV. 386.

Iovis proles et *Iove natus*, i. e. Mercurius. Ov. Met. I. 673. II. 697., vel Hercules. Ov. Fast. I. 559. V. 390. Met. IX. 229. XV. 12.

Iovis tutela, i. e. stella Iovis, quae iis, qui sub ea nascebantur, salutaris credebatur. Hor. Od. II. 17. 22.

Iovis aestuosi oraculum, i. e. Iovis Ammonis in Libya. Cat. VII. 5.

Iove cornigero natus, i. e. Alexander Magnus, qui se Iovis Ammonis filium finxit. Ov. in Ibin 300. v. *Ammon*.

Sub Iove frigido, i. e. sub coelo. Hor. Od. I. 1. 25. v. *Iupiter malus*.

Iuturna, -ae, fuit saluber Italiae fons, qui iuxta Numici amnis fontem ex Albani montis radicibus exortus mox in lacum eiusdem nominis effunditur, unde in Tiberim prope Romam defertur. Fabulantur autem, Iuturnam, huius lacus et fontis Nympham, Dauni e Venilia filiam, Turnique sororem, a Iove amatam et immortalitate donatam fuisse. Cum autem a Iunone Turno auxilio adversus Aenean missa fratris mortem instare videret, se in sui nominis lacum immisisse fingitur. Virg. Aen. XII. 146. sqq. Ov. Fast. II. 585. sqq. — Fuit praeterea hoc nomine Romae in urbe lacus, a templo, quod Lutatius Catulus huic Nymphae in Campo Martio exstruxit, nomen habens. Ov. Fast. I. 708.

Iuventius, -i, unus ex nobili gente Iuventia, de quo meminit Catullus XX. 1.

Digitized by Google

Ixion, -ōnis, Lapitharum, Thessali populi, rex, Phlegyae filius, ex Dia, Deionei filia, Perithoum procreavit; thox a Iove in coelum recepto, et illicitos Iunonis amplexus petenti, dea ei nubem opposuit, ex qua Centauri nati sunt; quod ut Iupiter sensit, indignatus, eum ad inferos detrusit, ubi anguibus ad rotam alligatus est, qua perpetuo circumagitur. Hor. Od. III. 11. 21. Ep. II. 3. 124. Virg. Ge. III. 38. Aen. VI 601. Ov. Met. IV. 460. sqq. Tib. I. 3. 73. Prop. IV. 2. 23.

Ixione natus, i. e. Perithous. Ov. Met. XII. 210 338.

Ixione nati sunt Centauri. Ov. Met. XII. 504.

Ixionĭdes, -ae, i. e. Perithous, Ixionis filius. Ov. Met. VIII. 566. Prop. II. 1. 38.

Ixionĭus, -a, -um, ad Ixionem, vel ad Ixionem pertinens.

Ixionius orbis, i. e. rota Ixionis. Virg. Ge. IV. 484.

Digitized by Google

L.

Labĕo, -ōnis, homo quidam, qui Horatii tempore insanis ineptiis famosus fuit. Hor. Sat. I. 3. 82.

Laberĭus (Decimus), -i, Eques Romanus et poëta clarus, qui a C. Iulio Caesare invitatus, ut in scenam prodiens mimum, quem scripsisset, ipse ageret, quingentis millibus sestertiorum aureoque annulo donatus est; fuit autem tam mordax, ut ne Caesari quidem pepercerit. Hor. Sat. I. 10. 6.

Labīci, -orum, incolae Labici, quae urbs in Latio inter Gabios et Tusculum fuit sita; hodie *Zagaruolo* dicitur. Virg. Aen. VII. 796.

Lacaena, -ae, quae in vel e Lacedaemone est, vel ad Lacedaemonem pertinet, Lacedaemonia femina. Hor. Od. II. 11. 23. IV. 9. 16. Virg. Ge. II. 487.

Lacaena, *Lacaena adultera*, et *Lacaena Tyndaris*, i. e. Helena, Tyndarei, Lacedaemoniorum regis, filia. Hor. Od. III. 3. 25. Virg. Aen. II. 601. VI. 511. Ov. Her. V. 99. Prop. II. 12. 13.

Lacedaemon, -ŏnis, quae et *Sparta* antea dicta fuit, celebris in Peloponneso urbs, Laconiae caput, a Lacedaemone, Iovis adulteri ex Taygeta filio, qui ibi regnavit, nomen habens, et severa disciplina nobilis. Ex murice, qui ad Laconiae oram captebatur, optimus Europae purpureus color fiebat. Hodie eo fere loco *Misitra* est. Hor. Od. I. 7. 10. Virg. Aen. VII. 363. Ov. Her. I. 5. et al.

Lacedaemonĭus, -a, -um, in vel ex Lacedaemone, vel ad Lacedaemonem spectans. Virg. Aen. III. 328.

Lacedaemonium Tarentum, i. e. a Phalanto Lacedaemonio amplificatum. Hic enim cum Partheniis, [i. e. iis, qui dum Spartani decem annos in bello cum Messeniis occupati fuerant, e promiscuo omnium feminarum concubitu cum relictis viris nati sunt] inopiae metu et ob materni pudoris notam circa Olymp. XIX. s. A. U. L. in coloniam abiit, et in Italiam delatus, Tarentinorum arcem occupavit, veteribusque expulsis incolis, sedem ibi constituit. Hor. Od. III. 5. 56. Ov. Met. XV. 50.

Lachĕsis, -is, fuit una ex tribus Parcis. Ov. Trist. V. 10. 45. et al. v. *Parcae*.

Lacinĭus, a, -um, in vel

Digitized by Google

ex Lacinio, vel ad Lacinium pertinens, quod fuit promontorium Bruttiorum in Italia, haud procul a Crotona urbe, splendidissimo Iunonis templo nobile, quae et inde *Lacinia diva* dicta fuit. Nomen autem habet a Lacinio latrone, quem Hercules interfecit; hodie *Capo delle Colonne* vocatur. Virg. Aen. III. 552. Ov. Met. XV. 13. 701.

Laco s. Lacon, -ōnis, id. q. Spartanus s. Lacedaemonius. Fuit autem *Laconia* Peloponnesi regio ad mare sita, cuius princeps urbs Sparta fuit. Hodie *Brazzo di Maina*. Hor. Od. II. 6. 11. Prop. III. 12. 33.

Lacon, i. e. Laconicus canis, quod canum genus ceteris sagacitate atque odoratu multo praestabat. Hor. Epod. VI. 5. Ov. Met. III. 219.

Laconĭcus, -a, -um, id. q. Lacedaemonius. Hor. Od. II. 18. 7. v. *Lacedaemon*.

Lacōnis, -ĭdis, quae in vel e Laconia et Lacedaemone est, vel ad Laconiam et Lacedaemonem pertinet. Ov. Met. III. 223.

Ladas, -ae, nobilis cursor Alexandri M. et in Olympiis victor, qui tam velociter currebat, ut ne vestigia quidem in arena videri possent. Cat. LV. 25.

Ladon, -ōnis, Arcadiae flumen, quod e Phenei paludibus exortum in Alpheum fluvium influit, quocum in mare immittitur. Huius fluminis deus pater Daphnes a poëtis fingitur. Ov. Fast. II. 274. V. 89. Met. I. 702. — Est quoque hoc nomine Arcas, Aeneae socius in Italia, ubi ad Haleso caesus est. Virg. Aen. X. 413. — Item unus ex Actaeonis canibus. Ov. Met. III. 216.

Laelaps, -ăpis, unus ex Actaeonis canibus. Ov. Met. III. 211. — Item canis, quem Procris a Diana acceptum Cephalo marito dono dedit, quique ceteris animalibus celeritate multo praestabat. Quum vero vulpes, ab irata Themide missa, Thebanorum agros impune vastaret, Cephalus rogatus Laelapem in feram immisit, quam cum diu frustra persecutus esset, Iupiter utrosque in lapides convertit. Ov. Met. VII. 771.

Laelĭus (C), -ī, Romanus, sapiens cognominatus, Scipioni Africano minori intimus. Hor. Sat. II. 1. 65. 72.

Laenas (M. Popillius), -ae, Romanus, qui A. U. DLXXX. cum L. Postumio Albino Consul annua sacra Florae deae instituit. Ov. Fast. V. 330.

Laërtes et Laërta, -ae, Acrisii e Chalcomedusa filius, Ithacae rex, ex Argonautica expeditione in patriam redux factus Calydonii apri venator adfuit. Ex Anticlea, Autolyci filia,

Digitized by Google

uxore ducta, Ulyssem filium habuit, quem e Sisypho, Aeoli filio, ante Laërtae nuptias clam conceperat Anticlea. Ov. Her. I. 98. 105. 113. Met. XII. 625. XIII. 144.

Laërta satus, i. e. Ulysses. Ov. Her. III. 29.

Laërtiădes, -ae, i. e. Ulysses, Laërtae filius habitus. Hor. Od. I. 15. 21. Sat. II. 5. 59. Ov. Met. XIII. 48.

Laërtĭus, -a, -um, a Laërte, vel ad Laërten pertinens. Virg. Aen. III. 272.

Laërtius heros, et *Laërtia proles*, i. e. Ulysses, Pseudo-Virg. Cul. 326. Ov. Met. XIII. 124. Trist. V. 5. 3.

Laestrўgon, -ŏnis, e Laestrygonibus unus. Fuerunt autem *Laestrygones* fera et immanis gens, quae cum Lamo rege, Neptuni filio, Formianum in Latio agrum incoluit, et Formias urbem condidisse videtur. Antiphates, illorum rex, unum ex Ulyssis sociis devorasse fertur. Pseudo-Virg. Cul. 329. Ov. Met. XIV. 237. ex Pont. II. 9. 41. et al. Tib. IV. 1. 59. v. *Lamus*.

Laestrygonis Lami urbs, i. e. Formiae. Ov. Met. XIV. 233. ex Pont. IV. 10. 21.

Laestrygonĭus, -a, -um, a Laestrygonibus, vel ad Laestrygones spectans, id. q. Formianus. Hor. Od. III. 21. 34.

Laestrygoniae domus, i. e. Formiae urbs. Ov. in Ibin 390.

Laevīnus (P. Valerius), -i, Romanus civis, qui ob morum turpitudinem non ultra Quaesturae dignitatem provectus fuit; genus autem ducebat a P. Valerio Poplicola, cuius opera Tarquinius Superbus, ultimus Romanorum rex, Roma expulsus fuit, quique in L. Tarquinii Collatini locum a populo Romano Consul suffectus, pro meritis in rempublicam in publica Villa domum accepit. Hor. Sat. I. 6. 12.

Laïădes, -ae, i. e. Oedipus, Laii ex Iocasta filius. Ov. Met. VII. 759.

Laïs, -ĭdis, Timandrae filia, famosa meretrix Corinthi, quae suae sibi pulchritudinis conscia, ingenti pretio se vendere solebat. Ov. Am. I. 5. 12. Prop. II. 5. 1.

Lalăge, -es, puella, quam Horatius amavit et meminit Od. I. 22. 10. II. 5. 16. et al. — etiam Propertii amica. IV. 7. 41.

Lamĭa, -ae, fuit Aeliae gentis cognomen: Nobiles autem fuerunt *Q. Aelius Lamia*, rebus, in Cantabrico bello gestis, clarissimus. Hor. Od. I. 26. III. 17., et *L. Aelius Lamia* frater A. U. DCCLV. Consul, qui fratrem mortuum graviter doluit. Fuit autem utrique Horatio amicus, natus ex patre *L. Aelio*

Digitized by Google

Lam'a, qui A. U. DCCXI. Praetor, Ciceroni carissimus fuit, et genus referebat ad Lamum, Neptuni filium, Laestrygonum regem. Hor. Od. I. 36. 7. Ep. I. 14. 6.

Lamĭe, -es, v. Scylla.

Lampetĭe, -es, una e Phaëthontis sororibus. Ov. Met. II. 349. v. *Heliades*, et *Phaëthontiades*. — Fuit etiam hoc nomine Solis s. Phoebi ex Neaera filia, quae cum patris Phoebi armenta in Sicilia pasceret, et Ulyssis socii boves rapuissent, hoc patri detulit. Prop. III. 10. 29. v. *Ithacus*.

Lampsăcos, -i, Asiae Minoris urbs, ad Hellespontum sita, ad Granici fluminis ostia, ubi Priapus praecipuo honore cultus fuit. Hodie *Lepsek*. Ov. Fast. VI. 345. Trist. I. 10. 26. Cat. XVIII. 3.

Lamus, -i, fuit antiquissimus Laestrygonum in Italia rex, urbis Laestrygoniae conditor, quae, postea a Lacedaemoniis instaurata, Hormiae s. Formiae dicta fuit. Ov. Met. XIV. 233. — Est quoque huius nominis Lydiae rex, Herculis et Omphales, cui successit, filius. Ov. Her. IX. 54. Et unus e Rutulis, quem Nisus in Italia interfecit. Virg. Aen. IX. 334.

Lanuvīnus, -a, -um, in vel e Lanuvio, ad Lanuvium spectans. Hor. Od. III. 27. 3. Cat. XXXIX. 12.

Lanuvĭum, -i, Latii urbs ad viam Appiam, inter Ariciam, Albam Longam et Ardeam, sita, in qua dracones tanquam dii tutelares colebantur. Hodie *Lavina* s. *Ludovina* esse videtur. Ov. Fast. VI. 60. Prop. IV. 8. 3.

Laocŏon, -ontis, Troianus, qui dum sorte sacerdos Neptuno sacra in litore parat, cum duobus filiis ab anguibus duobus crudeliter necatus fertur. Virg. Aen. II. 41. 201. sqq.

Laodamīa -ae, pulcherrima Acasti filia, Protesilaum maritum tanto prosecuta est amore, ut ei, ab Hectore caeso, superstes esse noluerit; ante tamen quam moreretur, umbrae maritalis conspectum a diis efflagitatum impetravit, quam complecti studens, mortua fingitur. Virg. Aen. VI. 447. Ov. Her. XIII. 2. sqq. Cat. LXVIII. 74. 105.

Laodĭce, -es, puella, quae Neptuni amore dignata fertur. Ov. Her. XIX. 135.

Laomĕdon, -ontis, fuit Troiae rex, Ili ex Eurydice filius, Podarcae s. Priami, Antigones Hesionesque pater, Neptunum et Apollinem, qui Troiam muris cinxerant, pacta laboris mercede fraudavit, quapropter Neptunus iratus agris mare immisit, et ut Hesione marino monstro obiiceretur, poposcit; quam scopulo alligatam ut Hercules ab expedi-

Digitized by Google

tione contra Amazones rediens vidit, filiam liberaturum se patri pollicitus est, si equos, quos e divino semine creatos habebat, sibi in praemium daret. Hesione igitur hoc modo liberata, pater Herculi pactos equos abnegavit; quocirca heros Troiam expugnavit, perfidumque Laomedontem interfecit, Hesionenque Telamoni, itineris comiti, nuptum dedit. Hor. Od. III. 3. 2. Ov. Her. XVII. 58. Am. III. 6. 54. Fast. VI. 430. et al.

Laomedontis nurus, i. e. Aurora, Tithono, Laomedontis filio, nupta. Ov. Fast. VI. 729.

Laomedontis opes, i. e. Troia. Prop. II. 11. 2.

Laomedonteus et Laomedontius, -a, -um, a Laomedonte, ad Laomedontem pertinens. Virg. Ge. I. 502. Ov. Met. XI. 196. Nonnumquam id. q. Troianus. Virg. Aen. IV. 542. VII. 105.

Laomedontius heros, i. e. Aeneas. Virg. Aen. VIII. 18.

Laomedontiades, -ae, i. e. Priamus, Laomedontis filius. Virg. Aen. VIII. 158. 162.

Laomedontiadae sunt Troiani, quorum rex Laomedon. Virg. Aen. III. 248.

Lapitha, -ae, unus e Lapithis; qui Thessaliae populus fuerunt, frenosque et equorum strata invenisse dicuntur. Horum rex Pirithous quum ad suas cum Hippodamia nuptias celebrandas Centauros vicinos invitasset, hi vino ebrii facti, stimulante Marte, sponsam aliasque mulieres rapere sunt conati. qua re pugna exorta, partim fugati, partim trucidati sunt. Hor. Od. I. 18. 8. II. 12. 5. Virg. Ge. II. 457. III. 115. Aen. VI. 601. VII. 305. Pseudo-Virg. Cul. 28. Ov. Am. II. 12. 19. Met. XII. 250. sqq. Prop. II. 2. 61.

Lapithaeus et Lapitheius, -a, -um, a Lapithis, vel ad Lapithas pertinens. Ov. Met. XII. 417. XIV. 670.

Lar, v. Lares.

Lara, -ae, antea *Lalăra* dicta, fuit Naïas, Almonis, Latii fluminis, filia, quae Iunoni Iovis furta cum Iuturna quum detexisset, deus iratus ei linguam eripuit, ipsamque a Mercurio ad inferos duci iussit, a quo vi compressa geminos peperit, qui, a matris nomine *Lares* dicti, compitorum, Romae urbis praesides, et domestici dii fuerunt habiti. Ov. Fast. II. 599.

Larentalia, -um, dicuntur sacra, quae XXIII. Decembris die in Accae Larentiae honorem Romae celebrabantur. Ov. Fast. III. 55. sqq.

Larentia, -ae. v. Acca.

Lares, -um et -ium, duo Mercurii e Lara filii, qui Romae dii domestici, mox compitorum,

Digitized by Google

vicorum, uti et urbium custodes habiti sunt, et nonnunquam cum *Penatibus* confunduntur (*). Fingebantur autem parva sigilla, caninis pellibus amicta, adstante cane; et in aedibus privatis in foco, iis sacro, erant positi, ubi quisque eorum auxilium, quoties vellet, implorabat. In aede autem, quam Romae habebant, quotannis Calendis Maiis publice iis fundi primitiae, porca aliaque, offerri solebant. Hor. Od. III. 23. 4. et al. Ov. Fast. V. 129. et saepe. Tib. I. 1. 20. et saepe. Prop. IV. 1. 128. Hinc quoque non raro pro *ipsis aedibus*, *patria urbe* atque *re familiari* a poëtis ponuntur. Hor. Od. IV. 5. 34. Epod. II. 66. et al. Virg. Ge. III. 344. et al. Ov. Am. I. 8. 113. et al.

Lar hesternus, i. e. ignis prioris diei in foco. Virg. Aen. VIII. 543.

Largus, -i, Latini poëtae cognomen, qui de Antenore, e Phrygia in Italiam profugo, Patavii que conditore, carmen scripsit, quod periit. Ov. ex. Pont. IV. 16. 17.

Larīna, -ae, puella fortis, quae Camillam in bello Turni adversus Aenean comitata est. Virg. Aen. XI. 655.

Larissa, -ae, Thessaliae urbs, ad Peneum flumen sita, agrorum fertilitate nobilis; hodie idem nomen habet. Hor. Od. I. 7. 11.

Larissaeus, -a, -um, in vel e Larissa, vel ad Larissam pertinens, id. q. Thessalus. Ov. Met. II. 542. in Ibin 325. 334. Cat. LXIV. 36.

Larissaeus Achilles, i. e. Thessalus. Est autem more, poëtis consueto, nomen a vicino loco petitum. Virg. Aen. II. 197. XI. 404.

Larĭus, -a, -um, ad lacum Larium spectans. Cat. XXXV. 4.

Larĭus, -i, magnus Galliae Cisalpinae lacus, Alpibus vicinus; hodie *Lago di Como*. Virg. Ge. II. 159.

Latiālis, -e, ad Latium pertinens, id. q. Latinus. Ov. Met. XV. 481.

Latīnus, -i, fuit Latii rex, Fauni e Marica, Laurente Nympha, filius, Pici nepos, Saturni pronepos, qui ex Amata, Ardeatium regis filia, Laviniam procreavit, quam pater Aeneae, ut ad haec loca venit, in matrimonium dedit; quapropter bellum inter Turnum atque Aenean exarsit, in quo Latinus periit. Virg. Aen. VI. 7. 45. et al. Ov. Am. II. 12. 22. Fast. II. 5. 44. et al. v. *Turnus*. — Est quoque hoc nomine Albae Longae rex, Aeneae Silvii filius, Aeneae nepos, Al-

(*) Virg. Aen. V. 744. Prop. III. 2. 11.

Digitized by Google

haeque Silvii regis pater. Ov. Fast. IV. 43. Met. XIV. 611. sq.

Latini urbs, i. e. Laurentum. Virg. Aen. VI. 892. XII. 137. v. *Laurens*.

Latīnus et Latĭus, -a, -um, in vel e Latio, ad Latium pertinens, Latii incola, saepe id q. *Romanus*. Hor. Od. I. 32. 3. II. 1. 29. IV. 14. 7. et al. Virg. Aen. l. 6. (10.) Ov. Fast. I. 539. et al. Prop. III. 3. 6. IV. 10. 37.

Latina urbs, i. e. Laurentum. Virg. Aen. IX. 367. v. *Laurens*.

Latinae feriae vocabantur ludi, qui quotannis per quattuor dies Consulis iussu in Albano monte a Romanis et Latinis celebrabantur, unde cuique e tauro, Iovi Latiali sacrificato, carnem domum referre licebat; et per id tempus Romanorum nobiliores rusticari, et negotiis urbanis vacantes se recreare solebant. Hor. Ep. I. 7. 76.

Latĭum, -i, Italiae regio ad mare sita, nomen habens, ut fingunt, a Saturno, quod ibi latuerat. Eius caput sub Latino Laurentum fuit; mox sub Aenea Lavinium, sub Ascanio Alba, tandemque Roma, a Romulo Remoque condita. Duplex autem fuit, vetus ac novum, illud a Tiberi ad Circaeum promontorium, hoc ad Lirin flumen usque extendebatur, et Aequos, Volscos, Hernicos Ausonesque continebat. Hodie *Campagna Romana* vocatur. Hor. Od. I. 35. 10. IV. 4. 40. et al. Virg. Aen. I. 6. 10. et al. Ov. Art. Am. I. 202. Fast. I. 238. Met. XIV. 452.

Latĭus, -a, -um, id. q. Latinus, Romanus. Ov. Fast. I. 1. et al..

Latium forum dicebatur Romae locus, ubi agebantur causae. Trist. IV. 4. 6.

Latia vulnera, i. e. Romanorum militibus inflicta. Ov. Art. Am. I. 414.

Latmĭus, -a, -um, in vel e Latmo, ad Latmum pertinens. Fuit autem *Latmus* Cariae mons, in Ioniae confinio apud Miletum urbem, in quo Endymioni dormienti Lunam oscula dedisse fingunt; hodie *Monte di Palatia*. Ov. Her. XVIII. 62. Art. Am. III. 83. Cat. LXIV. 5. v. *Endymion*.

Latmius heros, i. e. Endymion. Ov. Trist. II. 299.

Latōe, -es, id. q. Latona. Hor. Od. I. 31. 18.

Latōis et Letōis, (*)-ĭdis, et -ĭdos, quae ad Latonam pertinet, Latonae sacra est. Ov. Met. VII. 384.

Latoïs s. *Letois*, i. e. Diana, Latonae filia. Ov. Her. XXI.

(*) Est enim Graece Λητώ, Dorice Λατώ.

Digitized by Google

153. Met. VIII. 278.

Latoĭus et Letoius, contr. Latōus et Letōus, -a, -um, a Latona, vel ad Latonam spectans, Latonae sacer. Ov. Met. VI. 274.

Letoĭus et *Latoĭus*, i. e. Apollo. Hor. Od. I. 13. 18. Ov. Met. VI. 384. XI. 196.

Letoïa, i. e. Diana. Ov. Met. VIII. 541.

Latoïa s. Letoïa proles, i. e. Apollo. Ov. Met. VIII. 15. Trist. III. 2. 3., vel Apollo et Diana. Ov. Trist. V. 1. 57.

Latōna, -ae, Coei e Phoebe Titanide filia, e Iove adultero gravida est facta, quod ut Iuno sensit, Latonae omni terra ad pariendum interdixit, Pythonemque serpentem ad eam persequendam misit. Itaque e longo errore et fuga tandem ad Delum delata, quae insula, antea aquis submersa, Iovis iussu conspicua erat reddita, ibi Apollinem et Dianam peperit, et dea est habita. Hor. Od. I. 21. 3. III. 28. 12. IV. 6. 37. Virg. Aen. I. 502. (506.) Pseudo-Virg. Cul. 11. 236. Ov. Fast. V. 543. Met. VI. 160. et al. Tib. II. 3. 23. et al. v. *Niobe*.

Latonae genus duplex, i. e. Apollo et Diana. Virg. Aen. XII. 198.

Latonigĕnae, -arum, i. e. Apollo ac Diana, Latonae proles. Ov. Met. VI. 160.

Latonĭus, -a, -um, id. q. Latoïus. Virg. Ge. II. 6. Ov. in Ibin 479.

Latonia et *Latonia virgo*, i. e. Diana. Virg. Aen. IX. 405. XI. 534. 557. Ov. Met. I. 696. Cat. XXXIV. 5.

Latonia Luna, i. e. Latonae filia. Tib. III. 4. 29.

Latris, -ĭdis, nomen servae ap. Prop. IV. 7. 75.

Laverna, -ae, Nymphа quaedam, in cuius luco Romani sub Romulo rapinam deposuerunt; postea dea est habita, in cuius tutela praedones, fures, et omnes ii, qui arcana tractabant, fuisse credebantur. Hor. Ep. I. 16. 60., ubi hypocrita palam preces ad Apollinem simulat, quas clam ad Lavernam mittit.

Lavinia, -ae, Latini regis ex Amata filia, a matre Turno, Rutulorum regi, desponsata est: quum vero Aeneas in Italiam venisset, Latinus, oraculo monitus, cum eo foedus iniit et ei filiam in matrimonium dedit, unde, bello inter Laviniae procos exorto, Aeneas post varia proelia tandem singulari certamine Turnum interfecit, et e Lavinia Aenean Silvium genuit. Virg. Aen. VI. 764. VII. 72. et al. Ov. Fast. III. 629. Met. XIV. 570. v. *Silvius*.

Lavinium, -i, Latii oppidum prope Ardeam, ab Aenea,

Digitized by Google

qui e uxoris nomen imposuit, conditum, et, quamdiu Aeneas regnavit, Latii caput. Virg. Aen. I. 258. (262.) et al. Ov. Met. XV. 728. Tib. II. 5. 49.

Lavinĭus, contr. Lavīnus, -a, -um, in vel e Lavinio, vel ad Lavinium pertinens. Virg. Aen. I. 2. (6.) IV. 236. Prop. II. 25. 64.

Laurens, -ntis, in vel e Laurento, vel ad Laurentum spectans, Laurenti incola. Fuit autem *Laurentum* Latii urbs, sub Latino rege regionis princeps, ad mare sita inter Ardeam et Tiberis ostia, silvis et paludibus plena, ubi Latini regia fuit; locus hodie dicitur *Paterno*. Hor. Sat. II. 4. 42. Virg. Aen. V. 797. VI. 892. et al. Ov. Fast. II. 231. Met. XIV. 336. 342. 598. Tib. II. 5. 41. 49.

Laurens tyrannus, i. e. Latinus, Laurenti rex. Virg. Aen. VII. 342.

Laurentālĭa, rectius legitur Larentalia, q. v.

Laurentĭus, -a, -um, id. q. Laurens.

Laurentia palus, i. e. in Laurente agro; fuit autem totus Laurenti tractus paludum plenus. Virg. Aen. X. 709.

Laurentĭa. v. Acca.

Lausus, -i, Mezentii, Etruscorum regis, filius, ab Aenea in bello, quod adversus Turnum in Italia gessit, occisus. Virg. Aen. VII. 649. X. 426. sqq. — Est quoque hoc nomine Numitoris filius, Iliae frater, quem Amulius patruus interfecit. Ov. Fast. IV. 54. v. *Ilia*.

Leander et Leandrus, -i, iuvenis ex Abydo, Asiae urbe maritima, qui Hero amavit. Ov. Her. XIX. 1. sqq. v. *Hero*.

Learchēus, -a, -um, a Learcho, vel ad Learchum pertinens. Ov. Fast. VI. 491.

Learchus, -i, Athamantis ex Ino filius, quem pater furens interemit. Ov. Fast. VI. 490. Met. IV. 515. v. *Ino*.

Lebĕdus, -i, Ioniae urbs maritima, inter Teum et Colophonem sita, ex Lysimachi tempore, qui eam evertit eiusque incolas Ephesum deduxit, deserta. Hor. Ep. I. 11. 6. sq.

Lebynthos, -i, Cretici maris insula, haud procul a Calymne; hodie *Levita*. Ov. Art. Am. II. 81. Met. VIII. 222.

Lechaeon, -i, fuit portus Corinthi in sinu Corinthiaco ad Isthmum. Prop. III. 20. 19.

Lēda, -ae; s. Lede, -es, Thestii filia, quae Tyndareo, Laconiae regi, nupta, duo ova peperit, e quorum altero, quod e Iove, in cycnum converso, conceperat, Pollux et Helena nati sunt, ex altero, quod Tyndarei fuit, Castor et Clytaemnestra. Hor. Od. I. 12. 25. Virg. Aen. I. 652. Pseudo-Virg. Cir. 489.

Digitized by Google

Ov. Her. VIII. 78. XVI. 85. et al. Prop. l. 13. 29. Alii autem, alios narrandi modos secuti, Ledam unum ovum, e quo Castor, Pollux et Helena, exclusi sunt, peperisse fingunt. Hor. Sat. II. 1. 26.

Ledaeus, -a, -um, a Leda, vel ad Ledam pertinens.

Ledaea, i. e. Helena, Ledae filia. Ov. Her. XVI. 1. cf. Virg. Aen. VII. 364.

Ledaea Hermione, i. e. Ledae neptis, Helenae et Menelai filia. Virg. Aen. III. 328.

Ledaei dii s. *fratres*, i. e. Castor et Pollux, Ledae filii. Ov. Fast. l. 706. Alb. ad Liv. ap. Ov. 283. v. *Castor*.

Lelegēis, -ĭdis, quae e Lelegibus est, vel ad Leleges pertinet. Ov. Met. IX. 651.

Lelegēĭus, -a, -um, ad Lelegem pertinens. Fuit autem *Lelex*, Neptuni filius, Megarensium regulus, unde Megarae incolae etiam Leleges dicti fuerunt.

Lelegeia moenia, i. e. Megara. Ov. Met. VII. 4[illegible]

Lelegeia litora, i. e. Megarae. Ov. Met VIII. 6.

Lelĕges, -um, fuerunt Asiae Minoris populi, qui diu errabundi partim in Mysia, partim eo Ioniae maritimo tractu, qui Cariae est proximus, consederunt. Virg. Aen. VIII. 725. Ov. Met. IX. 644.

Lelex, -ĕgis, vocatur Calydonii apri venator, Naryce, Locrorum urbe, oriundus. Ov. Met. VIII. 312. — Est forsitan Pitthei, Troezeniorum regis, filius, qui cum Theseo et Pirithoo ab Acheloo fuit hospitio exceptus. Ov. Met. VIII. 567. 617.

Lemnĭas, -ădis, femina e Lemno insula. Ov. Her. VI. 52. Art. Am. III. 672.

Lemnicŏla, -ae, i. e. Vulcanus, qui etiam in Lemno insula officinam habuit et praecipue cultus est.

Lemnicolae stirps, i. e. Erichthonius. Ov. Met. II. 757.

Lemnĭus, -a, -um, in vel e Lemno, vel ad Lemnum spectans. Ov. Trist. V. 1. 62.

Lemnius pater, i. e. Vulcanus. Virg. Aen. VIII. 454. Ov. Met. IV. 185.

Lemnia turba, i. e. Lemniae uxores, quae, ob hircinum foetorem a maritis relictae, hos omnes cum pellicibus, quae e Thracia secum adduxerant, una nocte trucidarunt; Hypsipyle vero Thoanti patri pepercit. Ov. in Ibin 398. v. *Hypsipyle*, *Thoas*.

Lemnos, -i, nobilis maris Aegaei insula, Vulcano sacra; hodie idem nomen servat; a nautis vero *Stalimene* vocatur. Ov. Her. VI. 50. et al.

Lenaeus, -i, Bacchi cognomen (*). Hor. Od. III. 25.

(*) Graece Ληναῖος, ἀπὸ τοῦ ληνοῦ, i. e. torculari.

Digitized by Google

29. Virg. Ge. II. 47. et al. Ov. Met. IV. 14. XI. 132. Tib. III. 6. 38. — Vocatur sic Ienam quidam vir, Amastri urbe oriundus, qui in Achillea peninsula nudus relictus est; de quo porro non constat. Ov. in Ibin 331.

Lenaei latices et *Lenaeus honor*, i. e. vinum, Virg. Ge. III. 510. Aen. IV. 207.

Leo, -ōnis, unum e duodecim Zodiaci circuli signis, inter Cancrum et Virginem, quodi sol XX. Iulii mensis ingreditur, quo tempore aestus ardentissimus esse incipit. Hor. Od. III. 29, 19. Ep. I. 10. 16. Ov. Fast. I. 655. II. 71. et. al. Cat. LXVI. 65. Prop. IV. 1. 7.

Leontīni, -orum, celeberrima Siciliae urbs mediterranea, quae hodie *Lentini* vocatur. Ov. Fast. IV. 467.

Leoprepĭdes, -ae, i. e. Simonides, Leoprepis filius, egregius epigrammatum et elegiarum scriptor, qui Iülide, urbe Ceae insulae, natus circa Olymp. LXII. s. A. U. CCXXIII. floruit. Eius scripta praeter pauca fragmenta perierunt (*). Ov. in Ibin 514.

Lepĭdus (Q. Aemilius), -i, Romanus, qui A. U. DCCXXXIII. cum M. Lollio Consul fuit. Hor. Ep. I. 20. 28.

Lerna, -ae, et Lerne, -es, fuit palus et flumen in Peloponneso prope Argos, ubi Hercules Lernaeam Hydram interfecit, et Neptunus Amymonen vitiavit. Virg. Aen. VI. 287. 804. XII. 518. Ov. Met. I. 597. Prop. II. 20. 48.

Lernaeus, -a, -um, ad Lernam paludem pertinens.

Lernaeus anguis, vel *Lernaea Echidna*, vocatur monstrosus ille serpens, e Typhaone et Echidna ortus, in Lerna, Argivi agri palude, qui centum capita habuisse fingitur; cui quum Hercules unum abscidisset caput, statim duo rursus succrescebant, quibus virium incrementum capiebat: tandem vero Hercules eum Iölai auxilio interfecit, qui, ne nova capita pullularent, incisas cervices statim ardenti face adurebat, sagittasque eius veneno tingebat, quibus inflicta vulnera sanari non possent. Virg. Aen. VIII. 300. Ov. Fast. V. 405. Met. IX. 69. 158. — Vocatur tantum Hydra. Hor. Ep. II. 1. 10. Prop. II. 19. 9.

Lernaeum venenum, i. e. ex Lernaea Hydra. Ov. Her. IX. 115. Met. IX. 130. in Ibin 493.

Lesbias, -ădis, et Lesbis, -ĭdis, quae in vel e Lesbo est, ad Lesbum insulam pertinet, Lesbia femina. Ov. Her. XV. 16. 199. Fast. II. 82.

(*) Haec exstant in Brunkii Anal. vet. poët. Graec. Vol. I. p. 120. sqq.

Digitized by Google

Lesbis lyra cum domino, i. e. lyra cum Arione, e Lesbo oriundo. Ov. Fast. II. 82.

Lesbis puella, vel *amata*, i. e. Sappho, poëtria e Lesbo. Ov. Her. XV. 100. Am. II. 18. 26.

Lesbius, -a, -um, in vel e Lesbo, vel ad Lesbum pertinens. Prop. I. 14. 2.

Lesbius civis, i. e. Alcaeus, lyricorum apud Graecos poëtarum fere princeps, ad cuius exemplar in primis Horatius se composuit. Hor. Od. I. 32. 5.

Lesbius nomen hominis impuri ap. Cat. LXXIX.

Lesbius pes, i. e. carmen lyricum. Hor. Od. IV. 6. 35.

Lesbia vates, i. e. Sappho poëtria. Ov. Trist. III. 720.

Lesbia, fictum puellae nomen, quam Catullus carmine celebravit. Ov. Trist. II. 428. Cat. V. 2. et al. Vocatur sic etiam *lena*. Hor. Epod. XII. 17. — Item puella ap. Prop. II. 22. 101. II. 25. 88.

Lesbium innocens, i. e. vinum e Lesbo, quod lene atque dulce tam olim quam hodie nobilissimum fuit. Hor. Od. I. 17. 21. cf. Epod. IX. 34.

Lesbium plectrum, i. e. quo Alcaeus ac Sappho, Lesbii, lyrica poësi nobiles, usi sunt. Hor. Od. I. 26. 11.

Lesbos, -i, Aegaei maris insula, Troadis orae opposita, Alcaei et Sapphus patria, cuius vinum et puellarum formositas celebrabantur; hodie *Metelino* vocatur. Hor. Ep. I. 11. 1. Virg. Ge. II. 90. Ov. Her. XV. 52. Fast. IV. 281. et al.

Lesbōus, -a, -um, id. q. Lesbius.

Lesbous barbitos. Hor. Od. I. 1. 34. v. *Lesbium plectrum*.

Lethaea, -ae, Oleni, Achaine regis, coniux, quae quum se deabus pulchritudine praetulisset; hae autem iratae ob hanc superbiam supplicium de illa sumere vellent, Olenus uxoris crimen in se recipere studuit, quam ob rem ambo in Ida monte in lapides sunt mutati. Ov. Met. X. 70.

Lethaeus, -a, -um, in vel e Lethe, ad Lethen pertinens, id. q. oblivionem vel somnum adferens. Virg. Ge. I. 78. IV. 545. Aen. V. 854. et al. Ov. Art. Am. III. 648. Trist. I. 8. 36. Met. VII. 152. Tib. I. 3. 80. Prop. IV. 7. 10. 91.

Lethaeus gurges, i. e. Lethe. Cat. LXV. 5.

Lethaea ratis, i. e. Charontis cymba. Tib. III. 3. 10. III. 5. 24.

Lethaea vincula abrumpere, i. e vincula, quibus in inferis tenetur, vi solvere, et hinc in vitam reducere. Hor. Od. IV. 7. 28.

Lethaeis aquis dare, i. e. perpetuae oblivioni tradere. Ov. Art. Am. III. 340. ex Pont. IV. 9. 2.

Digitized by Google

Lethe, -es, inferorum, ut fingunt, flumen, in Elysiorum camporum finibus, unde umbrae, inferos adeuntes, praeteritarum rerum oblivionem bibunt. Non raro hinc pro ipsa oblivione adhibetur. Ov. Met. XI. 603. Trist. IV. 1. 47. ex Pont. II. 2. 3. IV. 1. 17.

Letōis et Letoïus. v. *Latois*, *Latoïus*.

Leucadius, -a, -um, in vel e Leucade, ad Leucadem pertinens. Ov. Her. XV. 180. 187. 220.

Leucadius deus, i. e. Apollo, qui in Leucade, Leucadis promontorio, egregium habuit templum. Ov. Trist. III. 1. 42. V. 2. 76. Prop. III. 9. 69.

Leucadia, puella a Varrone amata. Prop. II. 25. 86. v. *Varro*.

Leucadio, modo, i. e. Leucadiorum, qui quotannis in Apollinis sacris, sontium aliquem de montis praecipitio in mare dejiciebant, ita tamen alis et avibus ei alligatis fustentatum, ut potius volaret, quam caderet. In subiecto praeterea mari navibus in orbem dispositis cadentem, quam celerrime poterant, servabant, ne aqua periret, extractumque extra fines emittebant. Ov. Fast V. 630.

Leucas, -ădis, fuit olim peninsula in Ionio mari, Acarnaniae coniuncta, cum urbe eiusdem nominis et promontorio, *Leucate* dicto; deinde vero Peloponnesiaco bello, Isthmo ab incolis perfosso, insula facta est, quae hodie *Sancta Maura* vocatur. Ov. Met. XV. 289. Ponitur pro ipso promontorio. Ov. Her. XV. 172.

Leucaspis, -is, Lycius, qui Aenea duce in Italiam profectus, in mari Tyrrheno naufragio periit. Virg. Aen VI. 334.

Leucăte, -es, et Leucătes, -ae, promontorium Leucadis insulae, in quo Apollinis templum, positum, quodque amantium saltu nobile fuit: qui enim se amari frustra desiderabant, hinc se in mare praecipitare solebant, ut amore liberarentur, id quod Sappho Phaoni minata est et postea fecit. Virg. Aen. III. 274. VIII. 677. v. *Sappho*.

Leucippis, -ĭdis, i. e. Phoebe, Leucippi filia. Prop. I. 2. 15.

Leucippĭdes, -um, i. e. Ilaira et Phoebe, Leucippi filiae. Ov. Her. XVI. 327.

Leucippus, -i, Messenius, Perieris e Gorgophone filius, Apharei frater, et Calydonii apri venator, e Philodoce Ilairam Phoebenque procreavit, quarum altera Minervae, altera Dianae, sacerdos fuit. Hae autem Idae et Lynceo, Apharei filiis, desponsatae, a Castore et Polluce raptae feruntur. Ov. Fast. V. 702. Met. VIII. 306. v. *Idas*.

Leucon, -ōnis, fuit rex

Digitized by Google

quidam Ponti, qui a fratris uxore, cui stupri iniuriam adferre tentabat; interfectus traditur. Ov. in Ibin 312.—Item unus ex Actaeonis canibus. Ov. Met. III. 218.

Leuconŏe, -es, Minyae, Iŏlci regis, filia, cum qua Alcithoë et Arsippe, sorores, domi rei familliari operam dantes et Baccho sacra facere recusantes, a deo irato in vespertiliones mutatae finguntur. Ov. Met. IV. 168.—Est quoque puellae nomen, ad quam est Horatii Od. II. L. I.

Leucosĭa, -ae, Tyrrheni maris insula contra Lucaniam; hodie *Licosa*. Ov. Met. XV. 708.

Leucothĕa, -ae, et Leucothĕē, -es, fuit Graecis marina dea, quae Romanis *Matuta* est dicta, in quam Ino conversam fingunt, quae Ulyssi naufrago velum dedit, quo incolumis ad Phaeacum litus enatavit. Pseudo-Virg. Cir. 396. Ov. Fast. VI. 501. 545. Met. IV. 541. Prop. II. 20. 10. II. 21. 22. v. *Ino*, *Matuta*. — Vocatur praeterea *Leucothee* (*) Orchami, Achaemeniorum regis, ex Eurynome Nympha filia, quae, e Sole gravida facta, a parente, ut rem e Clytie, antea a Sole amata, audivit, viva in terram defossa et a Sole in turiferam arborem conversa fingitur. Ov. Met. IV. 196. 208. 220.

Libas, puellae nomen, cuius meminit Ovidius Am. III. 7. 24.

Liber, -ĕri, vocatur Bacchus, quasi *curis liberans*. Hor. Od. I. 17. 7. et al. Ov. Am. I. 6. 60. et saepe. Tib. III. 6. 1. et al. Prop. I. 3. 14. — Stoici philosophi, uti per Cererem *lunam*, sic per Liberum *solem* significari voluerunt; quo respexisse videtur Virg. Ge. I. 7. — Est etiam *Liber* viri cuiusdam nomen. Cat. LXXXIV. 5.

Libero natus, i. e. Thyoneus, Bacchi et Ariadnes filius, Thoantis pater, qui quum iuvencum a Phrygiis pastoribus abegisset, et hi eum persequerentur, Bacchus, quo filii furtum lateret, iuvencum in servum mutavit. Ov. Met. VII. 360.

Libĕra, -ae, i. e. Ariadne, Liberi s. Bacchi uxor. Ov. Fast. III. 512.

Libethrĭdes, -um, dicuntur Musae, a Libethra, Magnesiae in Thessalia fonte, vel ex aliorum opinione Boeotiae in Helicone monte, musis sacro. Virg. Ecl. VII. 21.

Libitīna et Venus Libitīna, - fuit Romae dea, funeribus praeposita, in cuius templo, a Servio Tullio, Romanorum rege, exstructo, quae ad sepulturam pertinebant, locaban-

(*) Alii *Leucothoe*, v. Munck. ad Anton. Lib. XV.

Digitized by Google

tur atque vendebantur. Hor. Sat. II. 6. 19. Hinc et pro *ipsa morte* saepe sumitur. Hor. Od. III 30. 7. Ep. II. 1. 49.

Libo, -ōnis, cognomen gentis *Scriboniae*, ex qua Cornelia, Paulli Aemilii uxor, materno genere originem ducebat. Prop. IV. 11. 31. — Est quoque civis Romanus, de quo non constat, nisi quod Libonis puteal in Romano foro ad arcum Fabianum fuerit, quo foeneratore convenire, et rem pecuniariam agere solebant. Hor. Ep. I. 19. 8. — Etiam homo impurus ap. Cat. LIV. 3.

Libra, -ae, unum e duodecim Zodiaci circuli signis, inter Virginem et Scorpionem, quod sole XXII. Septembris die ingrediente, aequinoctium auctumnale efficitur. Hor. Od. II. 17. 17. Virg. Ge. I. 208. Ov. Fast. IV. 386. v. *Chelae*.

Liburnus, -a, -um, a Liburnis, vel ad Liburnos spectans. *Liburni*, qui Illyrici maritimam partem inter Istriam et Dalmatiam incoluerunt, exigua velocissimaque navigia, *Liburnas* dicta, habuerunt, quibus piraticam exercebant, et quorum auxilio Augustus Actiaco proelio M. Antonii et Cleopatrae naves praecipue disiecit. Hodie autem Liburnorum regio *Croatia* vocatur. Hor. Od. I. 37. 30. Epod. I. 1. Virg. Aen. I. 244. (248.) Prop. III. 9. 44.

Libya, -ae, et Libye, -es, fuit Africae pars [ad] mediterraneum mare, inter Aethiopiam et Atlanticum mare, aut strictiore sensu inter Aegyptum et Syrtes; saepissime tamen pro *universa Africa* ponitur. Hor. Od. II. 2. 10. Sat. II. 3. 101. Virg. Ge. I. 241. III. 249. et al. Ov. Met. II. 237. Praesertim pro *Aegypto* ceterisque frugiferis Africae regionibus ponitur. Hor. Od. I. 1. 10.

Libyae clades, i. e. Carthaginis. Virg. Aen. VI. 844.

Libyae Iovis antrum arenosum, i. e. oraculum Iovis Ammonis in Libyae desertis. Prop. IV. 1. 99.

Libycus, Libyssinus (Libystinus) et Libyssus, -a, -um, in vel e Libya, vel ad Libyam spectans, Africus. Hor. Od. I. 1. 10. Virg. Ge. II. 105. et al. Ov. Am. II. 16. 21. et al. Cat VII. 3. LX. 1. Prop. IV. 9. 46.

Libycus Iupiter, i. e. Iupiter Ammon. Ionuit autem poëta Cambysen, Persarum regem, qui ad Iovis templum expugnandum exercitum quinquaginta milium hominum misit, qui in desertis arena obrutus periit. Ov. in Ibin 315. v. *Ammon*.

Libyeus cursus, i. e. navigatio per mare, quod Libyam alluit. Virg. Aen. VI. 338.

Libyeus dens, i. e. ebur. Prop. II. 23. 12.

Digitized by Google

Libyca fera, i. e. leaena. Ov. Fast. V. 178.

Libyci lapilli, i. e. Numidicum marmor, quod varii coloris erat, et unde tessellata et sectilia pavimenta, olim consternebantur. Hor. Ep. I. 10. 19.

Libys, -ўos, qui est in vel ex Libya, vel ad Libyam pertinet. Ov. Fast. IV. 570. Met. V. 76. 328.

Libys lectulus, i. e. e citreo ligno confectus; citrus autem arbor, olim Romanis in magno pretio, in Mauritania plurimum nascebatur. Pseudo-Virg. Cir 440.

Libys dicitur unus e Tyrrhenis nautis, qui a Baccho in delphines mutati sunt. Ov. Met. III. 617. 676.

Libystis, -ĭdis et -ĭdos, quae est e Libya, ad Libyam pertinet. Virg. Aen. V. 37. VIII. 368.

Lichas, -ae, Rutulus, ab Aenea in Italia caesus. Virg. Aen. X. 315. — Vocatur sic etiam Herculis famulus, qui vestem, venenato Nessi sanguine imbutam, a Deïanira acceptam, ad Herculem inscius tulit, quam ob causam a domino, ira incenso, in Euboicum mare dejectus in saxum induruisse et in parvam insulam mutatus esse fingitur. Ov. Met. IX. 155. 211. 213. 229.

Licinĭus Varro Murena. Hor. Od. II. 10. 1. v. *Proculeius*. *Licinius* apud Cat. v. *Calvus*.

Licĭnus, -i, fuit tonsor, quem ob odium in Pompeium Caesar senatorem fecit, et Horatius perstringit Ep. II. 3. 301.

Licymnia, -ae, fictum nomen pulcherrimae feminae citharistriae et psaltriae, qua Terentiam, Maecenatis uxorem, denotari nonnulli putant. Hor. Od. II. 12. 13. — Est etiam servae nomen, e qua Lydiae rex Helenorem suscepit. Virg. Aen. IX. 546.

Ligea, -ae, una e Nymphis e Cyrenes consortio. Virg. Ge. IV. 336.

Liger, -ĕris, insigne Galliae flumen, quod, ex Cebenna monte (Cevennes) ortum, in sinum Aquitanicum exoneratur. Hodie *Loire*. Tib. I. 7. 12.

Ligdus, -i, Cretensis, Telethusae maritus, Iphidis pater. Ov. Met. IX. 669—683.

Ligur et Ligus, -ŭris, in vel e Liguria, ad Liguriam pertinens, Liguriae incola. Fuit autem *Liguria* Italiae regio maritima, Macra, Varo et Pado, fluminibus circumscripta, cuius princeps urbs et olim et hodie *Genua* vocatur. Virg. Ge. II. 168. Aen. X. 185. XI. 715. Ov. Met. II. 370.

Ligurĭnus, -i, pueri formosi ac superbi nomen, quem ad suum obsequium perducere studet Hor. Od. IV. 1. 33. IV. 10. 5.

Digitized by Google

Ligurĭus, -i, vir quidam, de cuius fossâ loquitur Cat. XVII. 19.

Lilybaeum et Lilybaeon, -i, unum e tribus Siciliae promontoriis occidentem versus, cuius extremus excursus planus ac depressus est, et ad tria millia passuum sub undis protenditur, tribus circiter cubitis altus; hodieque *Capo di Marsala* et *di Boéo* dicitur. Ov. Fast. IV. 479. Met. V. 351. XIII. 726.

Lilybēĭus, (*) -a, -um, e Lilybaeo, vel ad Lilybaeum pertinens. Virg. Aen. III. 706.

Limnāte, -es, Nympha, Gangis fluminis filia, Athidis mater. Ov. Met. V. 48.

Limŏne, -es, Hippomenae Atheniensis filia, quae ob admissum stuprum a patre cum equo in stabulo inclusa, quoniam neutri cibus praebebatur, ab equo discerpta est. Virginis autem corruptorem, ad curium alligatum, pater dilacerari iussit. Ov. in Ibin 461.

Limўre, -es, (†) Lyciae fluvius cum urbe eiusdem nominis, qui in mediterraneum mare effunditur; hodie *Mira*. Ov. Met. IX. 645.

Linternum, rectius Liternum. q. v.

Linus s. Līnos, -i, Apollinis et Uraniae Musae filius, celeber musicus, et Herculis in ea arte magister. Virg. Ecl. IV. 56. VI. 67. Prop. II. 10.8. — Est quoque hoc nomine Apollinis filius e Psamathe, Crotopi, Argivorum regis, filia, quem mater patris iussu pastori educandum tradidit; Linus vero negligentia canes eum discerpserunt. Ov. in Ibin 482.

Liparaeus, -a, -um, in vel e Lipare, vel ad Liparen pertinens. Hor. Od. III. 12. 5.

Lipăre, -es, insula Tyrrheni maris inter Siciliam et Italiam, earum, quae *Aeoliae*, *Vulcaniae* et *Liparaeae* vocantur, princeps; hodie *Lipari*. Virg. Aen. VIII. 417. v. *Aeolius*.

Liriŏpe, -es, Nympha marina, Oceani e Tethye filia, quae a Cephiso compressa Narcissum peperit. Ov. Met. III. 342.

Liris, -is, Italiae amnis lenissime fluens, in Latii ac Campaniae confinio, qui haud procul ab Atina urbe exortus inter Formias et Sinuessam per paludes Minturnenses in mare immittitur; hodie *Garigliano* vocatur. Hor. Od. I. 31. 7. III. 17. 8. — Est quoque hoc nomine Troianus, in Italia a Camilla interfectus. Virg. Aen. XI. 670.

(*) Male in Burm. edit. *Lilibaeus* legitur.

(†) Rectius quam *Lymire*: est enim Graece Λίμυρος, v. Strabo XIV. p. 981. Steph. Byz. in voce, et Pomp. Mel. I. 15. 15.

Digitized by Google

Liternum, (†) -i, Italiae maritima urbs cum flumine eiusdem nominis, in Campania inter Vulturnum et Cumas; hodie eo loco est specula, quae Italis *Torre di Patria* dicitur. Ov. Met. XV. 714.

Livĭus, -a, -um, fuit Romanae gentis nomen. Dicuntur autem sic *L. Livius Andronĭcus*, poëta comicus, M. Livii Saliuatoris servus, cuius filiae magister fuerat. Manumissus A. U. DXIV. omnium primus Romae fabulam docuit, eoque tempore admodum placuit; postea tamen eius fabulae non magni aestimebantur. Hor. Ep. II. 1. 62. 69.

Livia Drusilla, altera Caesaris Augusti coninx, e Tib. Claudio Nerone, priore marito, Tib. Neronem, postea Imperatorem, et Drusum Neronem Germanicum habuit, quorum prior e Vipsania Agrippina, Pomponii Attici nepte, Drusum, posterior ex Antonia minore, M. Antonii Triumviri ex Octavia filia, Caesarem Germanicum, Livillam et Claudium, postea Imperatorem, suscepit. Ov. Fast. V. 157. et al. Alb. ad Liv. ap. Ov. 40. sqq.

Livia porticus fuit Romae ab Augusto in dirutae Pollionis aedis area, in Liviae uxoris honorem exstructa. Ov. Art. Am. I. 72. Fast. VI. 640.

Locri, -orum, fuerunt Locridis incolae, quae Graeciae regio ex adverso Euboeae insulae fuit sita. Hi cum Aiace, Oïlei filio, Naryce, Locridis urbe, oriundo, ad bellum Troianum profecti, capta Troia, alii in Italiam inferiorem pervenerunt, ibique in Bruttiis Locros urbem condiderunt; alii ad Africam delati in eius extrema ora consedisse videntur. Virg. Aen. III. 399. XI. 265.

Locris, -ĭdis, mulier quaedam, cuius meminit Ov. in Ibin 354.

Lollĭus (M.) Palicānus, -i, Romanus civis, qui A. U. DCCXXXIII. cum Q. Aemilio Lepido Consul fuit; quadriennio vero post Caesaris legatus in Germaniam missus gravem cladem a Germanis accepit. Laudatur ab Horatio, ei amicissimo, tanquam iustus et temperans, a quo tamen vitae instituto postea deflexit; nam in Orientem profectus immensas opes Orientis regibus extorsit, quo quum Augustum offendisset, non sine sumti veneni suspicione mortuus est. Hor. Od. IV. 9. 33. Ep. I. 20 28. — Ad huius filium natu maximum est Hor. Ep. I. 2. I. 18.

(†) Alii minus recte *Linternum* legunt; Graece enim Λίτερνον dicitur. Cf. Cluv. Geogr. ant. Italiae, p. 1097. sq. Heins. ad Ov. l. l.

Digitized by Google

Longarēnus, -i, quidam Faustae moechus, Villio, altero eius moecho, felicior. Hor. Sat. I. 2. 67.

Lotis, -ĭdis, Nympha, quae Priapum persequentem fugiens in lotum arborem conversa fingitur. Ov. Fast. I. 416. Met. IX. 347.

Lucānus, -a, -um, in vel e Lucania, vel ad Lucaniam pertinens. Hor. Sat. II. 1, 34. II. 3. 234. et al. Ov. Halieut. 57.

Lucanĭa, -ae, fuit inferioris Italiae regio maritima inter Campaniam, Apuliam et Bruttios, montibus silvisque abundans, et pecuaria re nobilis, olim a feris hominibus inculta; hodie *Basilicata* eius pars est. Hor. Sat. II. 1. 38.

Lucĕres, -um, dicuntur una e tribus equitum centuriis, a Romulo institutis. Ov. Fast. III. 132. Prop. IV. 1. 31.

Lucerĭa, -ae, Apuliae urbs infra Teanum ad Cerbalum flumen; hodie *Foggia* dicitur. Hor. Od. III. 15. 14.

Lucĭfer, -ĕri, Veneris stella, quae omnium siderum nitidissima conspicitur, et mane solem antegredi; vespertino vero tempore, *Hesperus* dicta, subsequi videtur. Fingitur autem Cephali ex Aurora filius, Ceycis et Daedalionis pater. Virg. Ecl. VIII. 17. Ge. III. 324. Aen. II. 801. VIII. 589. Ov. Her. XVIII. 112. Am. II. 12. 56. Met. II. 115. et al. Ponitur interdum pro *ipso die*. Ov. Fast. I. 46. Tib. I. 3. 94. 9. 62.

Lucĭlius (C.), -i, eques Romanus, Scipionis Africani iunioris et Laelii sapientis familiaris, primus satyras invenit, quas multa eruditione, libertate, acerbitate nec mimore sale scripsit. Hor. Sat. I. 4. 6. et saepe al.

Lucīna, -ae, Graecis *Ilithyia*, dicitur *Diana*, parturientibus praesens, nomen habens a luco vel luce. Hor. Epod. V. 6. Virg. Ecl. IV. 10. Ov. Her. VI. 122. Fast. II. 449. et al. Tib. III. 4. 13. Prop. IV. 1. 95. — Vocatur etiam sic *Iuno*, quatenus et haec nuptiarum dea est habita; sed potius Iuno iis in locis tantummodo *deam* significat. Ov. Fast. III. 255. VI. 39. Cat. XXXIV. 13. v. *Iuno*. — Ponitur deinde tam pro partu hominum, quam animalium. Virg. Ge. III. 60. IV. 340.

Lucmo contr. ex voce Lucumo, quo nomine a Propertio significari videtur T. Tatius, rex S. Lucumo Sabinorum, qui primus Romam obsedit exercitu. IV. 1. 29.

Lucretĭlis, -is, mons in Sabinis in Horatii villae propinquitate; hodie *Libretti* vocatur. Hor. Od. I. 17. 1.

Lucretĭa, -ae, Romana matrona, Sp. Lucretii Tricipitini filia, quae Tarquinio Collatino

Digitized by Google

nupta a Sex. Tarquinio, Tarquinii Superbi, Romanorum regis, filio, vi stuprata est, et scelere marito ac patri detecto, cultro se ipsa interfecit, et sic regiae potestatis tollendae ansam praebuit. Ov. Fast. II. 741. 725. v. *Brutus*.

Lucretius (T.) Carus, -i, eques Romanus, Epicureus, natus A. U. DCLIX., fuit primus e Romanis, qui philosophicum argumentum Latino carmine illustraret; scripsit autem de rerum natura libros sex, qui ad nostram aetatem pervenere. Ov. Am. I. 15. 23. Trist. II. 425.

Lucrīnus, -i, lacus in Campania ad Baianum sinum, ostreis, quae in eo optimi saporis capiebantur, nobilis. Augustus cum Lucrino Avernum lacum conjunxit, marique per aggerem, quo antea a Lucrino lacu excludebatur, immisso, novum portum, qui *Iulius* dictus est, fecit, atque molibus oppositis ita munivit, ut a fluctibus superari haud posset, atque adeo naves in eo a mari tutae essent. Terrae motu P. C. M. DCLXXXI., et mox secuta subterranei ignis eruptione lacus cineribus repletus fuit, ut hodie eius situs plane incertus sit. Hor. Od. II. 15. 3. Virg. Ge. II. 161.

Lucrīnus, -a, -um, in vel e Lucrino lacu, vel ad Lucrinum lacum pertinens. Hor. Epod. II. 49. Sat. II. 4. 32. Prop. I. 11. 19.

Lucullus (L.), -i, civis Romanus, nobilis, prudens et opulentus, domi et belli clarus, qui primus profusae Romanis luxuriae in victu et cultu, ut et in aedificiis exstruendis auctor fuit. Hor. Ep. I. 6. 40. II. 2. 26.

Lucumonius, -a, -um, i. e. Porsena Etruscus. Prop. IV. 2. 51.

Luna, -ae, eadem, quae *Diana* et *proserpina* habita, in Latmo, Cariae monte, ex Endymione quinquaginta liberos peperisse fertur. Fingitur autem femina bicornis, qualis lunae effigies est primis novilunii diebus, currui duarum rotarum, a duobus niveis equis tracto, insidens. Hor. Carm. Saec. 36. Virg. Aen. IX. 403. Ov. Rem. Am. 258. Fast. IV. 374. et al. Cat. XXXV. 16.

Lupercal, -ālis, dicitur Romae antrum sub Palatino monte, Pani deo sacrum, ubi quotannis XV. Februarii die Lupercalia festa in Panos honorem a Lupercis celebrabantur. Habebat autem nomen a lupa, quae Romulum Remumque ibi aluisse fingitur, vel potius a Lycaeo, Arcadiae monte, Fani sacro, Virg. Aen. VIII. 343. Ov. Fast. II. 381.

Lupercus, -i, unus e Panos sacerdotibus. Solebant hi Lupercalibus sine veste discurrere, et Pani caprum sacrificare,

Digitized by Google

Virg. Aen. VIII. 663. Ov. Fast. II. 31. sqq. Prop. IV. 1. 26 v. *Lupercal.*

Lupus (P. Rutilius), -i, civis Romanus, qui A. U. DCLXIII. Consul fuit, et a C. Lucilio in satyris acriter perstringitur. Hor. Sat. II. 1. 68. — Vocatur quoque *Lupus* comicus poëta Siculus, qui de Menelai et Helenae in Spartam reditu carmen composuit. Ov. ex Pont. IV. 16. 26.

Lyaeus, -i, (*) Bacchi cognomen, vini dei. Virg. Ge. II. 229. Aen. IV. 58. Ov. Am. II. 12. 49. III. 15. 17. Met. IV. 11. et al. Saepe pro ipso *vino* adhibetur. Hor. Od. I. 7. 22. III. 21. 16. Epod. IX. 38. Ov. Am. II. 11. 49. Met. VIII. 274. et al. Prop. II. 24. 25. III. 3. 43.

Lyaeus annosus, i. e. vetus vinum. Tib. III. 2. 19.

Lybia perperam legitur pro *Libya*. Cat. XLV. 6. q. v.

Lyaeus, -a, -um, ad Lyaeum s. Bacchum pertinens.

Lyaeus latex, i. e. vinum. Virg. Aen. I. 686. (690.)

Lycăbas, -ae, unus e Tyrrhenis nautis, quos a Baccho in delphines mutatos fingunt. Ov. Met. III. 624. 673. — Item Assyrius, Phinei socius, qui a Perseo caesus est. Ov. Met. V. 60. — Est tandem hoc nomine Lapitha, qui in Pirithoi nuptiis Centaurorum cum Lapithis pugnam fuga evitavit. Ov. Met. XII. 302.

Lycaeus. v. Lyceus.

Lycambes, -ae, Lacedaemonius, qui Neobulen filiam, Archilocho desponsatam, alteri in matrimonium dedit, quapropter Archilochus iratus iambico carmine tam acerbo in utrumque invectus fuit, ut ambo dolore et contumelia vitam laqueo finiverint. Hor. Epod. VI. 13. Ep. I. 19. 25.

Lycambēus, -a, -um, a Lycambe, ad Lycamben spectans. Ov. in Ibin 54.

Lycāon, -ŏnis, fuit crudelis Arcadiae rex, Pelasgi e Meliboea vel Cyllene filius, Callistus pater, qui dum Iovem hospitio exceptum clam interficere parat, et periculum facturus, an deus sit, humanam ei carnem apponit, in lupum mutatus, fingitur. Ov. Met. I. 198. sqq.

Lacaon, i. e. Arctophylax s. Bootes, in quam stellam Arcadem, Callistus e Iove filium, mutatum fabulantur. Ov. Fast. VI. 235. — Est etiam hoc nomine artifex Cretensis, qui ensem, quam Euryalo dedit Ascanius, fecit. Virg. Aen. IX. 304.

Lycaonis Arctos, i. e. Ursa maior s. Helice, signum coeleste, in quod Callisto, Lycaonis

(*) Graece Λυαῖος, ἀπὸ τοῦ λύειν a solvendo, uti Latino vocabulo *Liber* dicitur, quod vinum homines curis liberare solet, v. *Liber*.

nis filia, conversa fertur. Virg. Ge. I. 138.

Lycaŏnis, -ĭdis, i. e. Callisto, Lycaonis filia. Ov. Fast. II. 173.

Lycaonĭus, -a, -um, a Lycaone, vel ad Lycaonem pertinens. Ov. Met. I. 165. in Ibin 433.

Lycaonius Ericetes [al. *Erichates* s. *Ericates*], i. e. ex Lycaonia; quae fuit parva Asiae Minoris regio inter Cappadociam atque Pisidiam sita; hodie *Cogni*. Virg. Aen. X. 749.

Lycaonius axis, i. e. septemtrionalis s. sub Ursae sidere. Ov. Trist. III. 2. 2.

Lycaonia Arctos. Ov. Fast. III. 793. v. *Lycaonis Arctos*.

Lycaonia parens et *virgo*, i. e. Callisto, Arcadis mater. Ov. Met. II. 496. Cat. LXVI. 66.

Lycēum, i, fuit nobile gymnasium, haud procul ab Athenis ad Ilissum fluvium, a Pisistrato iuxta Apollinis Lycii templum exstructum, eique dedicatum, ubi postero tempore Aristoteles philosophiam docuit. Ov. Met. II. 710.

Lycēus et Lycaeus, -i, altissimus Arcadiae mons, Fauno s. Graecorum Pani, uti tota Arcadia, sacer. Hor. Od. I. 17. 2. Virg. Ecl. X. 15. Ge. I. 16. III. 2. et al. Ov. Met. I. 217. 698. et al.

Lycēus et Lycaeus, -a, -um, in vel e Lyceo, vel ad Lyceum pertinens. Virg. Aen. VIII. 344. Ov. Met. VIII. 317.

Lycĭa, -ae, Asiae Minoris regio maritima, inter Cariam ac Pamphyliam sita, fertilitate nobilis, Apolliniquè sacra, qui *Pataris* in urbe celeberrimum oraculum habuit; hodie *Aidinelli*. Hor. Od. III. 4. 62. Virg. Aen. IV. 143. VII. 721. et al. Ov. Met. IV. 296. VI. 317. 340. IX. 644. v. *Patareus*.

Lycĭdas, -ae, Centaurus, qui in Pirithoi nuptiis a Dryante Lapitha occisus est. Ov. Met. XII. 310. — Est quoque nomen formosissimi pueri, a Sextio amati. Hor. Od. I. 4. 19., — et pastoris cuiusdam apud Virg. Ecl. VII. 67.

Lycinna, -ae, puella Propertii. Prop. III. 13. 6.

Lycĭus, -a, -um, in vel e Lycia, vel ad Lyciam spectans. Hor. Sat. I. 7. 17. Virg. Aen. I. 113. (117.) VI. 334. et al. Ov. Met. IV. 296. sqq.

Lycius deus, i. e. Apollo. Prop. III. 1. 38.

Lycia hasta, i. e. Sarpedonis, Lyciae regis, qui cum fortissima manu Troianis adversus Graecos auxilio venit. Ov. Her. I. 19. Unde et *Lyciae catervae* pro universis Troianis sumuntur. Hor. Od. I. 8. 16.

Lyciae sortes sunt responsa Apollinis Patarei. Virg. Aen. IV. 346. 377. v. *Patareus*.

Digitized by Google

Lycŏphron, -ŏnis, Tragicus poëta, Chalcide, Euboeae urbe, oriundus, qui tam oratione soluta, quam ligata multa scripsit, quae perierunt praeter *Cassandram* s. *Alexandram*, poëma iambicum, et fragmentum e Pelopidis tragoedia (*). Floruit autem Ptolemaeo Philadelpho regnante s. inter A. U. CCCCLXXX. et DXXXIII., et ab inimico quodam sagitta transfixus periit. Ov. in Ibin 533.

Lycorĭas, -ădis, Nympha marina, Nerei e Doride filia, una e Cyrenes comitibus. Virg. IV. 339.

Lycŏris, -ĭdis, formosa femina a Gallo poëta amata ac carmine celebrata, quem postea reliquit, atque militem quendam, cum exercitu in Gallias proficiscentem, secuta est. Virg. Ecl. X. 2. 22. 42. Ov. Am. I. 15. 30. Art. Am. III. 537. Trist. II. 445. Prop. II, 25. 91. — Vocatur sic etiam pulchra puella, quae Cyri pueri amore flagrat. Hor. Od. I. 33. 5.

Lycormas, -ae, Aetoliae flumen, cuius arena aurei coloris fuit, postea *Evenus* dictum est. Ov. Met. II. 245. v. *Evenus*. — Est quoque huius nominis unus e Persei sociis, qui in huius nuptiis Pettalum occidit. Ov. Met. V. 119.

Lycōtes, -ae, viri nomen, ad quem Arethusae epistola exstat apud Propertium IV. 3. 1.

Lyctĭus, -a, -um, ad Lyctum, Cretae urbem, pertinens, id. q. Cretensis. Virg. Ecl. V. 72. Aen. III. 401. Ov. Met. VII. 490.

Lycurgĭdes, -ae, i. e. Ancaeus, Lycurgi, Arcadiae regis, filius, in Calydonii apri venatione caesus. Ov. in Ibin 505.

Lycurgus, -i, fuit Edonorum, Thraciae populi, rex saevus, Dryantis filius, qui Bacchum deum negans e regno expulit, et vites ubique excidi iussit; quapropter ab irato deo in furorem actus Dryantem filium interfecit, et sibi ipse falce pedem pro vite amputavit. Hor. Od. II. 19. 16. Virg. Aen. III. 14. Ov. Her. II. 111. Fast. III. 722. Met. IV. 22. Trist. V. 3. 39. in Ibin 609. Prop. III. 15. 23.

Lycus, -i, Phrygiae Maioris flumen, quod e Cadmo monte exortum prope Colossas urbem terram subit, nec procul inde rursus emergens in Maeandrum effunditur; hodie *Licho* vocatur. Ov. Met. XV. 273. — Item Bithyniae flumen, quod haud longe ab Heraclea, urbe in Pontum Euxinum inmittitur. Ov. ex Pont. IV. 10. 47. — Tandem sic etiam vocatur fluvius in Armenia Minore, oriens et in Ponto re-

(*) v. Stobaeus, Serm. CXX.

Digitized by Google

gione se in Irim exonerans, quotcum in Pontum Euxinum defertur. Virg. Ge. IV. 367.

Lycŭs, -i, vocatur sic pulcher puer, ab Alcaeo poëta amatus. Hor. Od. I. 33. 11. — Et senex quidam, uxorem tenerae aetatis habens. Hor. Od. III. 19. 23. — Troianus ex Aeneae sociis, quem in Italia Turnus interfecit. Virg. Aen. IX. 545. 556. — Centaurus in Pirithoi nuptiis ab hoc occisus. Ov. Met. XII. 332. — Et Diomedis socius, a Venere in avem mutatus. Ov. Met. XIV. 504. — Thebarum rex. Prop. III. 13. 12. v. *Lyci coniux.*

Lyci coniux, i. e. Dirce, Lyci, Thebarum regis, uxor, quae verita, ne Lycus Antiopen, repudiatam uxorem, e Iove gravidam, reduceret, eam in vincula coniecit, e quibus aufugit, et Zethum Amphionemque peperit, qui adulti Lycum interfecerunt Dircenque, ad feri tauri caudam alligatam, ita necavisse traduntur. Ov. in Ibin 538.

Lyde, -es, est nomen trium diversarum puellarum. Hor. Od. II. 11. 22. III. 11. 7. III. 28. 3., uti et Antimachi poëtae amicae. Ov. Trist. I. 6. 1.

Lydĭa, -ae, Asiae Minoris regio, inter Mysiam Maiorem, Phrygiam, Cariam et Ioniam, quondam inter Asiaticas ditissima, Croesique regnum; hodie Turcis *Carasia* vocatur. Virg. Ge. IV. 211. Ov. Met. VI. 146.

Lydĭa, -ae, nomen puellarum, quarum meminit Horatius Od. I. 8. 1. 13. I. 24. III. 9.

Lydĭus, contr. Lydus, -a, -um, in vel ex Lydia, vel ad Lydiam pertinens, Lydiae incola. Hor. Sat. I. 6. 1. Virg. Aen. VIII. 479. Ov. Her. IX. 54. Met. VI. 11. XI. 98., Prop. III. 3. 39. 15. 30. IV. 9. 49 — et quia Etrusci ex veterum opinione ex Lydia oriundi fuerunt, id. q. *Etruscus.* Virg. Aen. IX. 11. X. 155. cf. Virg. Aen. VIII. 479. Ov. Am. III. 1. 14.

Lydius amnis, i. e. Pactolus. Tib. III. 3. 29.

Lydius Thybris, i. e. Etruscus. Virg. Aen. II. 781.

Lyda puella, i. e. Omphale, Lydiae regina. Ov. Fast. II. 356. Prop. III. 9. 18.

Lydiae lacus undae, i. e. aqua Lacus Benaci, quia Rhaeti, eius accolae, ab Etruscis originem ducebant. Hodie *Lago di Garda.* Cat. XXXI. 13.

Lydia regna, i. e. Croesi. Tib. IV. 1. 199.

Lygdamus, -i, hoc nomine Tibullus se vocat, Graeca voce *Albium* exprimens. Tib. III. 3. 29. — Est quoque servi nomen, cui Propertius libertatem promittit, si vera sibi de domina nuntiat. Prop. III. 4. 2. et saepe.

Digitized by Google

Lymire, -es, rectius pro eo legitur Limyre, q. v.

Lyncestĭus, -i, vocatur fluvius prope Lyncum, Macedoniae oppidum defluens, cuius acida aqua bibentes ebrios reddere fingitur. Ov. Met. XV. 329.

Lynceus, -ĕi Apharei ex Arene filius, Idae frater, qui oculorum acie ceteros antecessit homines. Colchicae navigationi et postea Calydonii apri venationi interfuit, unde redux factus a Polluce interfectus est. Hor. Sat. I. 2. 90. Ep. I. 1. 28. Ov. Fast. V. 709. 711. Ov. Met. VIII. 304. v. *Idas*. — Vocatur sic etiam Troianus, a Turno caesus. Virg. Aen. IX. 768. — Et Aegypti regis filius, Hypermnestrae maritus. Ov. Her. XIV. 123. — Romanus, qui amore captus erat Cynthiae, Propertii amicae. Prop. II. 25. 9. 25.

Lyncēus, -a, -um, a Lynceo, Apharei filio, vel ad Lynceum, Apharei filium, pertinens. Ov. Fast. V. 709.

Lyncīdes, -ae, Perseus esse videtur, genus a Lynceo, Abantis patre, referens. Ov. Met. V. 99. 185. (*) v. *Abanteus*.

Lyncus, -i, Scythiae rex, qui dum Triptolemum, a Cerere ad homines agriculturam docendos missum, et hospitio receptum, interficere parat, ab irata dea in lyncem bestiam conversus fingitur. Ov. Met. V. 650.

Lyrcaeus et Lyrcēĭus, -a, -um, Lyrceo, vel ad Lyrceum pertinens, qui Argolidis mons fuit, ex quo Inachus flumen exoritur. Ov. Met. I. 598.

Lyrĭcē, -es, puella quaedam, ab Orione amata, de qua non constat. Ov. Art. Am. I. 731.

Lyrnessis et Lyrnēsis, -ĭdis, i. e. Hippodamia s. Briseis, quae Lyrnesso oriunda fuit. Ov. Art. II. 430. 711. Trist. IV. 1. 15.

Lyrnesĭus et Lyrnessĭus, -a, -um, in vel e Lyrnesso, vel ad Lyrnessum pertinens. Virg. Aen. X. 128. Ov. Her. III. 45. Met. XII. 108. XIII. 176.

Lyrnēssus et Lyrnēsus, -i, Troadis urbs, a Graecis, duce Achille, per bellum Troianum capta et direpta. Virg. Aen. XII. 547.

Lysippus, -i, statuarius nobilissimus, Sicyone oriundus, a quo solo Alexander Magnus se fingi voluit. Hor. Ep. II. 1. 240. Prop. III. 7. 9.

(*) Item Ov. Met. IV. 767., ubi alius intelligi videtur; veruntamen hunc versum plures non agnoscunt.

Digitized by Google

M.

Macarēis, -ĭdis, dicitur *Isse*, Macaris, vel Macarei, Lesbi insulae regis, filia. Ov. Met. VI. 124.

Macăreus, -ĕi, Aeoli ex Anarete filius, Canaces sororis amore captus ex hac filium procreavit. Ov. Her. XI. 21. Am. II. 18. 23. in Ibin 564. — Est quoque hoc nomine unus e Lapithis, qui in Pirithoi nuptiis Erygdupum Centaurum prostravit. Ov. Met. XII. 452. — Item Ulyssis in Troiano bello socius, qui postea ad Italiam delatus, relictis sociis, Caietae, Latii urbe, consedit. Ov. Met. XIV. 159. 318. 441.

Macĕdo, -ŏnis, Macedoniae incola. Fuit autem *Macedonia* Europae regio inter Thraciam, Epirum et Graeciam.

Macedo vir, i. e. Philippus, Macedoniae rex, Alexandri Magni pater, qui omnia castella, in quae dummodo asellus auro onustus adscendere posset, expugnari posse dixit. Hor. Od. III. 16. 14.

Macedo dicitur Lycaonis filius, qui, patris aedibus fulmine percussis, harum ruina cum uxore periisse traditur. Ov. in. Ibin 477.

Macedonĭus, -a, -um, in vel e Macedonia, vel ad Macedoniam pertinens. Ov. Met. XII. 466.

Macer (Aemilius), -cri, nobilis Latinus poëta, Verona urbe oriundus, Virgilio, Tibullo et Ovidio familiaris, qui de *herbarum viribus* atque *serpentum* et *avium natura*, uti et *Troiae fatis* carmina scripsit, quamquam nonnulli Iliacorum scriptorem ab Aemilio Macro diversum recte statuunt. Ex scriptis nil superest. Ov. Am. II. 183. Trist. IV. 10. 44. ex Pont. II. 10. 2. IV. 166. Tib. II. 6. 1.

Machāon, -ŏnis, Aesculapii filius, qui cum Podalirio fratre cum triginta navibus ad Troianum bellum profectus multa gessit, in primis autem vulnera sanandi arte ita excelluit, ut ei, ab Eurypylo occiso, divini honores a Graecis sint habiti. Virg. Aen. II. 263. Ov. ex Pont. III. 4. 7. Prop. II. 1. 61.

Machaonĭus, -a, -um, a Machaone, vel ad Machaonem pertinens. Ov. Art. Am. II. 491. Rem. Am. 546. ex Pont. I. 3. 5.

Maeandrĭus, -a, -um, ad Maeandrum fluvium pertinens.

Digitized by Google

Maeandrius iuvenis, i. e. Cannus, Cyanees, Maeandri filiae, filius. Ov. Met. IX. 573.

Maeandria unda, i. e. Maeandrus. Prop. II. 25. 35.

Maeandros, Maeandrus et Maeander, -dri, in fabulis Cyanees nymphae pater fingitur. Est autem Asiae Minoris flumen, quod in Phrygia Maiore prope Celaenas urbem exortum cursu tam flexuoso, ut saepe reverti videatur, per Cariam atque Ioniam haud procul a Mileto oppido in mare Aegaeum effunditur; hodie *Madre*. In eius ripis cycnorum multitudo olim inveniebatur. Ov. Her. VII. 2. IX. 55. et al. Prop. II. 23. 85. Hinc omne id, quod Maeandri ad instar plurimos flexus habet, *Maeandrus* appellatur. Virg. Aen. V. 251.

Maecēnas (C. Cilnius), -ātis, (*) Romanus eques ditissimus atque elegans, ab Etruscis regibus genus ducens, qui tantum apud Augustum gratia valuit, ut hic et Agrippa, absente Augusto, epistolas et edicta, eius nomine proponenda, etiam ipsius sigillo signarent; fuitque doctorum hominum, in primis Virgilii et Horatii poëtarum fautor, quorum posteriorem Augusto commendavit, et praedio in Sabinis donavit. Virg. Ge. II. 40. et al. Prop. II. 1. 17. et al. Virgilius ei Georgica dicavit; Horatius vero plurima ad eum carmina scripsit (†).

Maecius s. Maenius, v. Tarpa.

Maenădes, -dum, dicuntur Bacchae s. Bacchi sacerdotes a furore (‡), quo Bacchi orgia celebrabant. Ov. Fast. IV. 458. Met. XI. 22. Cat. LXIII. 23. v. *Baccha*.

Maenălis, -ide, quae in vel e Maenalo monte est, ad Maenalum montem spectat.

Maenalis ora, i. e. Arcadia. Ov. Fast. III. 84.

Maenalis Ursa, i. e. Ursa maior s. Helice, sidus coeleste, in quod Callisto, Lycaonis, Arcadiae regis, filia mutata fingitur. Ov. Trist. III. 11. 8. v. *Arctos*, *Callisto*.

Maenalis nympha, i. e. Carmenta, Evandri, Arcadiae regis, mater. Ov. Fast. I. 634.

Maenalĭus, -a, -um, in vel e Maenalo, vel ad Maenalum pertinens, id. q. Arca-

(*) Alii *Mecaenas* male legunt. Est enim Graece Μαικήνας cf. Plut. in Aug. fere med. Ael. Var. Hist. XII. 25.

(†) cf. Od. I. 1. et 20. II. 12. 17. 20. III. 8. 16. 29. Epod. I. III. IX. XIV. Sat. I. 1. 3. 6. Ep. I. 7. 19.

(‡) Est enim Μαίνεσθαι, id. q. furere.

Digitized by Google

dius. Ov. Her. IV. 99. Am. I. 7. 14. et al.

Maenalius deus, i. e. Pan, in Arcadia maxime cultus. Ov. Fast. IV. 650.

Maenalius versus, i. e. pastorale carmen, quale pastores in Maenalo canere solebant. Virg. Ecl. VIII. 21. sqq.

Maenalius ramus, i. e. Herculis clava, quam ex Maenalo monte habuit. Prop. IV. 9. 15.

Maenalia Arctos. Ov. Fast. II. 192. v. *Maenalis Ursa*.

Maenălus s. Maenălos, -i, Maenăla, -orum, nobilissimus Arcadiae mons silvestris cum urbe eiusdem nominis haud procul ab Argis, Pani, pastorum deo, sacer. Virg. Ecl. VIII. 22. X. 15. et al. Ov. Fast. V. 89. Met. I. 216. II. 415. et al. Cat. LXIII. 69. Prop. III. 6. 14.

Maenas, -ădis, id. q. Baccha. Ov. Fast. IV. 458. VI. 504. v. *Maenades*.

Maenas, id. q. vaticinans, vel vates. Ov. Am I. 9. 38.

Maenȳus, -i, Romanus, homo nequam et luxuriosus, qui bona dilapidabat. Hor. Sat. I. 1. 101. 104. I. 3. 21. Ep. I. 15. 26.

Maeonȳa, -ae, antiquum fuit Lydiae nomen a Maeonibus, priscis Lydiae incolis, qui in Etruriam colonia deducta etiam huic regioni nomen dederunt. Virg. Aen. VIII. 499. Ov. Met. III. 583. VI. 149.

Maeonȳdes, -ae, i. e. Homerus, Smyrna vel Colophone, Ioniae urbibus, utpote quae regio olim ex parte ad Maeoniam pertinuit, oriundus; aut ex aliorum opinione a Maeone, quem Homeri patrem dicunt, nomen habens. Ov. Am. I. 15. 9. et saepe al. Est quoque id. q. *Etruscus*. Virg. Aen. XI. 759. v. *Maeonia*.

Maeŏnis, -ĭdis, quae e Maeonia s. Lydia est, ad Maeoniam s. Lydiam pertinet. Ov. Am. II. 5. 40.

Maeonis, i. e. *Arachne*, quod e Maeonia s. Lydia oriunda erat. Ov. Met. VI. 103., vel *Omphale*, Lydiae regina. Ov. Fast. II. 310.

Maeonides, Ov. Met. V. 268. Rectius pro eo legitur Mnemonides, q. v.

Maeonȳus, -a, -um, id. q. *Lydius*. Ov. Her. IX. 65. Met. II. 252. VI. 5., vel *Etruscus*. Ov. Met. IV. 423., vel ab *Homero*, ad *Homerum* pertinens. Ov. ex Pont. IV. 16. 27.

Maeonius Bacchus, i. e. vinum, e Tmolo, Lydiae monte, vino praestanti nobilissimo. Virg. Ge. IV. 380.

Maeonius senex, vel *vates*, i. e. Homerus. Ov. Art. Am. II. 4. Trist. I. 6. 21. cf. Hor. Od. IV. 9. 5.

Maeonius rex, i. e. Lydiae. Quis vero ille rex, Helenoris pater, fuerit, latet. Virg. Aen. IX. 546.

Digitized by Google

Maeonius pes, i. e. carmen heroicum s. epicum, quale Homerus scripsit. Ov. Rem. Am. 373.

Maeonia mitra, i. e. Phrygia. Phrygia enim Lydiae contermina fuit. Virg. Aen. IV. 216.

Maeonia iuventus, i. e. Etrusca. Virg. Aen. VIII. 499.

Maeonium carmen, i. e. quale Homerus scripsit. Hor. Od. I. 6. 2. Ov. ex Pont. III. 3. 31. cf. IV. 12. 27.

Maeoniae chartae, i. e. Odyssea, Homeri carmen, Pseudo-Virg. Cir. 62. Ov. ex Pont. IV. 12. 27.

Maeoniae heroides sunt Musae. Prop. II. 21. 31.

Maeŏtĭdae, -arum, id. q. Maeotae, -Europaeae Scythiae populus, Maeotidis paludis accola. Sab. ap. Ov. II. 9.

Maeōtis, -ĭdis, quae ad Maeotas, vel ad Maeotin paludem pertinet. Fuit autem *Maeotis palus* Ponti Euxini sinus, inter Tauricam Chersonesum et Asiam, a Bosporo Cimmerio ad Tanais fluminis ostia pertinens; hodie *Mare Azophium* s. *Zabachium* vocatur.

Maeotis hiems, i. e. Scythica, vel in Scythia. Ov. Trist. III. 12. 2. cf. ex Pont. III. 2. 59.

Maeotĭus et Maeoticus, -a, -um, ad Maeotas, vel Maeotin paludem spectans. Virg. Ge. III. 349. Nonnunquam id. q. *Scythicus*. Virg. Aen. VI. 800. Prop. II. 2. 21.

Maera, -ae, Icarii, Erigones patris, canis. Ov. Met. VII. 362. v. *Erigone*.

Maetĭus (SP.) Tarpa. v. Tarpa.

Maevĭus, -i, Romanus versificator insulsus, qui Virgilii, Horatii aliorumque poetarum, obtrectator acerrimus fuit. Hor. Epod. X. 2. Virg. Ecl. III. 90.

Magnes, -ētis, qui in vel e Magnesia est, vel ad Magnesiam pertinet. Fuit autem *Magnesia* Thessaliae regio in maris Aegaei ora cum urbe eiusdem nominis. Ov. Met. XI. 408.

Magnessus, -a, -um, in vel e Magnesia, vel ad Magnesiam pertinens. Hor. Od. III. 7. 18.

Magnētis, -ĭdis, quae in vel e Magnesia est, Magnessa.

Magnetis Argo, i. e. Thessala s. Magnessa; quod illam navem Demetriade, urbe in Magnesiae et Phthiotidis confinio, fabricatam nonnulli volant (*). Ov. Her. XIII. 9.

Magnus, -i. e. Cn. Pompeius Magnus. Ov. Fast. I. 603. IV. 341. Cat. LV. 6. v *Pompeius*.

Maia, -ae, nympha, Atlantis e Pleione filia, quae suas sorores forma superavit; et ex Iove adultero Mercurium pe-

(*) v. Hyg. Astron. poët. II. 37.

Digitized by Google

perit, Teucrique mate-tera fuit. Deinde cum sororibus a deo inter sidera relata, et una e Pleiadibus est facta. Hor. Od. I. 2. 43. Virg. Ge. I. 225. Aen. VIII. 138. et al. Ov. Fast. IV. 174.. in Ibin 473. v. *Pleias.*

Maia natus, genitus, creatus, i. e. Mercurius. Hor. Sat. II. 6. 5. Virg. Aen. I. 297. (301.) Ov. Met. II. 685. XI 303.

Malĕa, -ae, Peloponnesi promontorium in extrema Laconica australi, ad X. millia passuum in mare, quod procellosum et periculosum est, procurrens; hodie *Capo Malio* vocatur. Virg. Aen. V. 193. Ov. Am. II. 11. 20. II. 16. 24. Prop. III. 17. 8.

Malius, -a, -um, ad Malium pertinens. *Malia* autem urbs fuisse videtur ad Thermopylas, unde vicinus sinus *Maliacus* et accolae *Malienses* sunt dicti. Cat. LXVIII. 54.

Malthīnus, -i, mollis Romanus vir, qui discinctus s. soluta toga incedere solebat et perstringitur ab Hor. Sat. I. 2. 25.

Mamurĭus, -i, artifex, qui Numae Pompilii regis tempore ex aere undecim ancilia s. scuta fecit, ancili, quod e coelo decidisse fingebatur, et Romae fatale erat, adeo similia, ut ab illo discerni non possent: praemii autem loco petiit, ut Salii, Martis sacerdotes, suum nomen in carminibus canerent. Ov. Fast. III. 260. 389. 392. Prop. IV. 2. 61.

Mamurra, -ae, Romanus eques, Formiis urbe oriundus. — Vocatur sic etiam quidam obscoenae impudicitiae. Cat. XXIX. 4.

Mamurrarum urbs, i. e. Formiae. Hor. Sat. I. 5. 37.

Mandēla, -ae, vicus in Sabinis ad Digentiam rivum prope Horatii villam; hodie *Mirteto*. Hor. Ep. I. 18. 105.

Manes, -ium, sunt mortuorum *genii*, qui una cum hominibus nascebantur nec per totam vitam corpus relinquebant, sic dicti a *manendo;* post mortem enim apud cineres manere credebantur, unde sepulcris inscribebant D. M. S., i. e. diis Manibus sacrum. Hor. Od. I. 4. 16. Virg. Aen. III. 303. Ov. Met. I. 586. Tib. II. 6. 37. — Saepe i. q. Orcus. Virg. Ge. I. 243. Aen. IV. 387.

Manlĭus, -a, -um, nomen gentis Romanae. Huius autem nominis insignes fuerunt *M. Manlius Capitolīnus*, vir nobilis, qui Capitolium a Gallis defendit; postea vero adfectati regni crimine damnatus Tarpeia rupe deiectus est, eiusque domus in Capitolio diruta, in cuius area haud multo post Monetae deae aedes aedificata fuit. Virg. Aen. VIII. 652. Ov. Fast. VI. 185.

A. Manlius Torquatus, nobilis-

Digitized by Google

Romanus, cuius nuptias cum Julia Aurunculeia carmine celebrat Cat. LXI.

L. Manlius Torquatus. Hor. Od. III. 21. 1. v *Torquatus.*

Manto, -us, Nympha fatidica, quae e Tiberi, Italiae fluvio, Bianorem, cognomine Ocnum, peperisse fingitur, qui in matris honorem *Mantuam* urbem aedificavit. Virg. Aen. X. 199. — Ab hac diversa fuit *Manto* Tiresiae, Thebanorum vatis, filia, quae Thebanas feminas Latonae sacra celebrare iubet. Ov. Met. VI. 157.

Mantŭa, -ae, Transpadanae Galliae urbs, ad Mincium flumen sita, olim Etruriae caput, quae hodie idem nomen servat. Virgilius autem non procul ab hoc urbe in vico, qui Andes dicitur, natus est, unde a loci propinquitate Mantuanus, et Mantua eius patriae celebratur. Virg. Ecl. IX. 27. 28. Ge. II. 198. III. 12. Aen. X. 200. Pseudo-Virg. Cat. X. 6. Ov. Am. III. 15. 7.

Marăthon, -ōnis, vicus in Attica non longe ab Athenis, in cuius agris Theseus taurum, qui a Neptuno in Minois, Cretae regis, regnum immissus ab Hercule ad Eurystheum perductus erat, tumque dimissus postea in Atticam venerat, agrosque vastabat, vivum cepit, et Apollini Delphinio immolavit; hodie locus idem nomen habet. Ov. Met. VII. 434.

Marăthus, -i, formosus puer, *Cyrus* dictus, q. v. Tib. I. 4. 81. I. 8. 49. 71.

Marcellus (M. Claudius), -i, Romanus vir, bello clarissimus, qui in bello cum Gallis et Liguribus Gallorum Insubrium ducem Virdomarum singulari certamine vicit, et spolia opima Iovi Feretrio, vel uti Virgilius ait, Quirino consecravit, et bello Punico secundo Annibalem vinci posse Romanos primus docuit. Virg. Aen. VI. 856. — Ab hoc originem ducebat *M. Marcellus*, Octaviae, Augusti sororis filius, Iuliae, Augusti filiae, maritus, a quo imperii successor adoptatus fuit; fuerunt autem iam in adolescentulo tam insignes virtutes, ut cum anno aetatis XVIII. moreretur, non solum Augusti domus, sed et universus Romanus populus eius mortem aegerrime tulerit et communi luctu prosecutus sit. Hor. Od. I 12. 46. Virg. Aen. VI. 884. Alb. ad Liv. 67. 441.

Marcĭa, -ae, Fabii Maximi conux, fuit Marcii Philippi e priore uxore filia, quae fuerat soror Acciae, matris Augusti, unde Caesaris Augusti matertera exstitit. Deducebatur autem illud nomen ab Anco Marcio, quarto Romanorum rege. Ov. Fast. VI. 803. ex Pont. I. 2. 140. III. 1. 78.

Digitized by Google

Marcĭus, -a, -um, ad Marcium Regem pertinens. Fuit autem *Q. Marcius Rex* Romanus, qui *aquam Marciam* a se vocatam ex lacu Fucino in urbem duxit. Fuit autem haec aqua frigida et saluberrima. Alii ab Anco Marcio rege in urbem perductam et ab Q. Marcio Rege restitutam dicunt. Tib. III. 6. 58. Prop. III. 1. 52. 21. 24.

Marcus Tullius, i. e. *Cicero*, nobilis inter Romanos orator, cui Catullus pro beneficio gratias agit omniumque Romanorum disertissimum vocat. Cat. XLIX. 2.

Mareotĭcus, -a, -um, ad Mareotidem paludem pertinens, id. q. Aegyptius. Ov. Met. IX. 772. Fuit autem *Mareōtis palus* in Aegypto ultra Alexandriam, hodieque *Lago di Buchiara* dicitur. Circa illum lacum generosum vinum, Mareoticum dictum, nascebatur. Hor. Od. I. 37. 14.

Mareōtis, -ĭdis, quae ad Mareotidem paludem pertinet, vel nascitur. Virg. Ge. II. 91.

Mariānus, -a, -um, a Mario vel ad Marium pertinens. Prop. III. 2. 43.

Marĭca, -ae, Latii nympha, quae e Fauno Latinum peperit, et a Minturnensibus in luco ad Lirim flumen in primis culta fuit. Virg. Aen. VII. 47.

Maricae litora, i. e. Minturnensium ager. Hor. Od. III. 17. 7.

Marĭus (C), -i, Romanus civis, qui septies Consul fuit, belloque, quod contra Iugurtham Cimbrosque feliciter gessit, nobilitatus est. Postea autem bello civili moto, Sullaeque consectantes equites fugiens in Marica, Minturnensium palude, latitavit, e qua extractus et in carcerem perductus, a Minturnensibus liberatus est, et in Africam aufugit, ubi inter Carthaginis ruinas inopem vitam egit. Deinde a Cinna Romam revocatus, et cum filio urbem ingressus crudelissimam victoriam exercuit, nec ita multo post morbo decessit. Ov. ex Pont. IV. 3. 47. Prop. II. 1. 24. et al. — Huius autem filius *C. Marius*, vir animo maximo, brevi post a Sulla apud Sacriportum pulsus, Praeneste se contulit, ubi desperatis rebus, an se ipse interfecerit, an ab aliis sit occisus, incerta fama fuit. Ad hunc et patrem respexit Virg. Ge. II. 169. — Est quoque hoc nomine scriptor ap. Ov., quis tamen ille fuerit, non aliunde constat. ex Pont. IV. 16. 24. — Homo quidam, qui Hellada, amatam puellam, a qua tamen spretus erat, occidit, quo facto ipse sibi mortem conscivit. Hor. Sat. Ik. 3. 277.

Marmarĭdes, -ae, qui est e Marmarica, Africae regione, inter Aegyptum et Cyrenen sita. Ov. Met. V. 125.

Digitized by Google

Maro-ōnis, i. e. fluvii cuiusdam statua, quae dei dormientis habitu aquam emittebat. Alii Virgilii statuam dormientis instar sculptam, et ad aquae ductum positam innui putant. Prop. II. 23. 48.

Maronēus, -a, -um, in vel ex Maronea, vel ad Maroneam pertinens. Fuit autem *Maronēa* Thraciae urbs, vino nobilis. Tib. IV. 1. 37.

Marpesĭus, -a, -um, e Marpeso, ad Marpesum pertinens, qui fuit Pari insulae mons, albo marmore abundans. Virg. Aen. VI. 471.

Marrubĭus, -a, -um, in vel e Marrubio, ad Marrubium pertinens, id. q. Marsus. Fuit autem *Marrubium* princeps Marsorum urbs ad lacum Fucinum; hodie *Morrea*. Virg. Aen. VII. 750.

Marrucīnus, (Asinius), -i, Catulli amicus, frater Asinii Pollionis, qui Catullo inter pocula sudarium surripuerat. Vocatur autem *Marrucinus* a Marrucinis, Italiae populo inter Vestinos et Pelignos, quorum fides Romanis admodum spectata erat, vel unde originem ducebat. Cat. XII. 1.

Mars, -tis, Iunonis filius, quem florem, a Flora dea decerptum, tangens sine viro concepit et in Thracia peperit, quapropter a Thracibus et Scythis in primis cultus fuit tanquam belli deus, et a poëtis saepe pro *ipso bello*, bellique eventu ponitur. Virg. Aen. II. 335. VI. 165. et al. Ov. Fast. I. 60. 520. Met. III. 540. VII. 140. et al.; ut et pro *bellica virtute*, Ov. Her. III. 45. Fast. II. 208. et al. — Unde ob eandem rationem ad lites forenses transfertur. Ov. Fast. IV. 188. — Uxorem nunquam duxit; nihilominus satis magnam subolem suscepit, ut e Rhea Silvia Romulum Remumque, unde Romanae gentis auctor habetur; cum Venere autem consuetudinem habens (*) Solis indicio a Vulcano deprehensus est, qui aereo rete tenuissimo super lectum strato utrumque deorum risui exposuit. Hunc armatum militem, ferrea indutum tunica, finxerunt poëtae; tertiusque anni mensis (†), et ex animalibus lupus et picus, ei sacri erant. Romae

(*) Hinc Venerem Marti, i. e. utriusque menses, Martium et Aprilem, continuari dicit Ov. Fast. IV. 130.

(†) Romulus, quod Martis filium se putabat, primum anni mensem huic deo sacravit; a Numa vero rege duobus adiectis, Martius mensis deinde Romanis tertius fuit; reliquis autem Latii populis, quanquam et Martem colentibus, non item. Erat quidem Albanis, Aricinis et Tusculi incolis tertius, Sabinis vero et Pelignis quartus, Faliscis et Laurentibus quintus, Hernicis sextus, Aequicolis decimus. Ov. Fast. III. 88. sqq.

Digitized by Google

nis et Cosanis Aeneae adversus Turnum auxilium tulit. Virg. Aen. X. 166.

Massȳcus, -a, -um, in vel e Massico, vel ad Massicum pertinens. Virg. Ge. II. 143.

Massicum, i, vinum in Massico monte nascens. Hor. Od. I. 1. 19. II. 7. 21. III. 21. 5. Sat. II. 4. 51. cf. Virg. Ge. III. 526.

Massȳlus, -a, -um, e Massylis, ad Massylos pertinens, id. q. Africanus. Virg. Aen. IV. 132. 483.

Massȳli, -orum, fuerunt Numidiae populus, cuius rex olim Masinissa fuit. Virg. Aen. VI. 60.

Mater et Mater Deum, -tris, eadem, quae *Cybele*. Virg. Ge. IV. 64. Ov. Fast. IV. 250. 263. 555. Met. X. 686. 696. v. *Cybele*.

Matīnus, -a, -um, in vel e Matino, vel ad Matinum spectans. Fuit autem *Matīnus* Apuliae mons, qui ad mare usque procucurrisse videtur, et Venusiae, Horatii patriae, vicinus fuit. Hor. Od. I. 28. 3. IV. 2. 27. Epod. XVI. 28.

Matūta, -ae, Romanis dicitur dea marina, quae a Graecis *Leucothea* vocatur, in cuius honorem Romanae matronae quotannis XI. Iunii die *Matralia* festa celebrabant. Habebat autem templum in foro Boario, a Servio Tullio rege dedicatum. Ov. Fast. VI. 479. 545. v. *Ino*, *Leucothea*.

Maurus, -a, -um, in vel e Mauritania, vel ad Mauritaniam pertinens, id. q. Africanus. Fuit autem *Mauritania* s. *Mauretania* duplex Africae regio maritima, *Caesariensis* et *Tingitana*, inter Atlanticum mare et Numidiam, serpentum aliarumque ferarum multitudine admodum referta; hodie sunt eo loco *Algerii*, *Fezzae* et *Marochii* regna. Hor. Od. I. 22. 2. III. 10. 18. Ov. Fast. III. 552.

Maura unda, i. e. mare, quod Africam alluit. Hor. Od. II. 6. 3.

Maura manus, i. e. Punica s. Carthaginiensium; latius enim hoc loco Mauritaniae nomen sumitur. Ov. Fast. VII. 244.

Maurusĭus, -a, -um, id. q. Maurus. Virg. Aen. IV. 206.

Mausolēus, -a, -um, ad Mausolum spectans. Fuit autem *Mausōlus* rex Cariae, cui Artemisia coniux a CCCLXXVIII. A. C. N. splendidum sepulcrum fieri iussit, quod inter septem miracula fuit. Prop. III. 2. 59.

Mavors, -tis, vox poëtica, id. q. Mars. Cat. LXIV. 395. Prop. II. 20. 66.

Mavortis urbs, i. e. Roma. Virg. Aen. VI. 8. 73.

Mavortĭus, -a, -um, id. q. Martius.

Mavortius, i. e. Meleager.

Digitized by Google

Martis ex Althaea, Oenei uxore, filius habitus. Ov. Met. VIII. 437.

Mavortia tellus, i. e. Thracia, Martis patria. Virg. Ge. IV. 462. Aen. III. 13.

Mavortia proles, i. e. Thebani, quod olim ex anguis dentibus nati finguntur, qui anguis Marti sacer, vel e Marte genitus, habebatur. Ov. Met. III. 531.

Mavortia moenia, i. e. Roma, a Romulo et Remo, Martis filiis, condita. Virg. Aen. I. 276. (280.)

Maximus (Paullus Fabius), -i, nobilis et dives civis Romanus, A. U. DCCXLIV. Consul, vir elegans, cuius domus hilaritatibus iuvenum compotationibus admodum frequentata fuit. Hor. Od. IV. 1. 10. 11. — Ad huius filium *P. Fabium Maximum* Ovidius complures scripsit epistolas ex Ponto I. 2. 1. et al.

Medēa, -ae, Aeetae, Colchorum regis, ex Ipsea filia, Chalciopes soror, Iasonis, Argonautarum ducis, amore capta, veneficiis effecit, ut hic aureo vellere, quod petitum in Colchidem venerat, potiretur. Mox cum illo in Graeciam profecta, quo patrem insequentem retardaret, Absyrthi fratris membra discerpta per mare dispersit periculumque evasit. Postea ab Iasone repudiata, ex illo susceptos liberos, Mermerum et Feretum, trucidavit; Glaucenque, Creontis regis filiam, quacum Iason secundas inierat nuptias, incensa regia, cremavit, Athenasque fugiens Aegeo regi nupsit, cuius filium Theseum veneno cum interficere pararet, re detecta, in Colchidem se fuga recepit ibique periit. Hor. Epod. III. 10. V. 62. et al. Ov. Her. VI. 75. sqq. Met. VII. 11. sqq. Tib. II. 4. 55. Prop. II. 19. 31. et al. v. *Absyrthus*, *Iason*.

Medeae herbae malae, sunt noxiae s. venenatae herbae Medeae Tib. I. 2. 53.

Medēis, -idis, quae a Medea est, ad Medeam pertinet.

Medeides herbae sunt magicae, quibus Medea usa est. Ov. Art. Am. II. 101.

Mēdĭa, -ae, magna Asiae regio, quae inter Armeniam, Parthiam, Hyrcaniam et Assyriam, fuit sita, et primum ab Assyriis, deinde a Persis, tandem a Parthis edomita et horum imperio adiecta fuit. Virg. Ge. II. 126.

Medon, -ontis, Troianus in bello cum Graecis interfectus, cui Aeneas in inferis locis occurrit. Virg. Aen. VI. 483. — Est etiam hoc nomine unus e Penelopes procis, cuius meminit Ov. Her. I. 91. Sab. ap. Ov. I. 47. — Item unus e Tyrrhenis nautis, quos Bacchus in delphines convertit. Ov. Met. III. 671. — Tan-

Digitized by Google

serat, a Telemacho occisus traditur. Ov. Her. I. 95.

Melantho, -us, Nympha, Deucalionis e Pyrrha filia, quae cum Neptuno, in delphinem mutato, rem habuisse fingitur. Ov. Met. VI. 120.

Melanthus, -i, Sarmatiae Europaeae flumen, quod in Botysthenem influit. Ov. ex Pont. IV. 10. 54. — Vocatur sic etiam Tyrrhenus nauta, a Baccho cum sociis in delphinem mutatus, Ov. Met. III. 617.

Melas, -ae et -ănis, Siciliae fluvius, etiam *Facelinus* dictus, qui ad Dianae templum inter Mylas et Naulocham urbes in mare exoneratur. Hodie dicitur *Nucito*. Ov. Fast. IV. 476. Fuit etiam Macedoniae flumen in Mygdonia, quam hodie *Larissam* putant. Ov. Met. II. 247.

Meleāger, s. potius Meleāgros, -gri, Martis ex Althaea, Oenei, Aetolorum regis, uxore, filius, cum Argonautis in Colchidem aureum vellus petitum profectus est, unde in patriam redux factus apri Calydonii venationi interfuit, ad quam ut etiam Atalanta, Iäsi filia, pulcherrima virgo, ex Arcadia venit, et prima aprum sub aure vulneravit, Meleagros, virginis virtutem admiratus et mox eius amore captus, apri caesi exuvias et caput ei dedit, Plexippumque ac Toxeum avunculos, puellae dona auferre conantes, interemit; cuius doloris impatiens Althaea stipitem, ad Meleagri interitum fatalem, exussit, quo facto Meleagrum interfecit. Hor. Fp. II. 3. 146. Ov. Her. IX. 151. Met. VIII. 270. sqq. v. *Althaea*, *Atalanta*. — Alio loco Ovidius ad Homeri (*) fabulam respexit, qui de interfecti apri exuviis bellum inter Curetes et Aetolos exortum narrat, in quo quum Althaeae fratres a Meleagro interfecti essent, mater filium diris devovit, quo audito a patriae defensione Meleagros destitit, nec ullius precibus nisi suae uxoris Cleopatrae, Idae et Marsippae filiae, permoveri potuit, ut arma resumeret, quo facto Curetes iam urbem pugnando ingressos eiecit. Ov. Her. III. 92.

Meletĕus, -a, -um, i. q. Homericus. Fuit autem *Meles* Ioniae flumen prope Smyrnam, ubi Homerus natus traditur. Tib. IV. 1. 200.

Meliboeus, -a, -um, in vel e Meliboea, ad Meliboeam pertinens. Fuit autem *Meliboea* Thessaliae urbs maritima in Magnesia, ubi purpura olim facta fuisse videtur. Virg. Aen. III.

(*) Il. i. v. 543. sqq.

Digitized by Google

401. V. 251.

Melicerta, -ae, et Melicerte, -es, Athamantis, Thebarum regis, ex Ino filius, cum quo mater, furentem maritum fugiens, se in mare coniecit, quo facto ambos a Neptuno in marinos deos conversos narrant. Virg. Ge. I. 437. Ov. Fast. VI. 494. Met. IV. 521. sqq. v. *Ino*, *Palaemon*.

Melĭe, -es, Oceani filia, Inachi uxor, e qua Neptunus Amycum procreavit; vocatur autem Melie Bithynis. Ov. Am. III. 6. 25. v. *Amycus*, ibique adn.

Melissus (C.), -i, Grammaticus et poëta comicus, Maecenatis libertus, ab Augusto bibliothecae in Octaviae porticu praefectus. Eius scripta perierunt. Ov. ex Pont. IV. 16. 31.

Melĭta, -ae, et Melĭte, -es, Africi maris insula, inter Siciliam et Africam; hodie *Malta*. Ov. Fast. III. 567.

Melĭte, -es, Nympha marina, una e Nerei et Doridis filiabus. Virg. Aen. V. 825.

Mella s. Mela, -ae, fluvius in Gallia Cisalpina, qui e Brenno monte oriens, et prope Brixiam decurrens, in Ollium exoneratur, quocum in Padum defertur. Hodie idem nomen servat. Virg. Ge. IV. 278.

Melpomĕne, -es, una e novem Musis, quae tragico carmini praeest. Hor. Od. I. 24. 3. III. 30. 16. IV. 3. 1. v. *Musa*.

Memmĭus, -a, -um, gentis Romanae nomen, quae a Mnestheo Troiano originem ducere credebatur. Virg. Aen. V. 107.

C. Memmius, Romanus poëta et orator, Ciceronis tempore clarus, cuius scripta perierunt. Eius meminit Ov. Trist. II. 433.

C. Memmius Gemellus, homo nequam, qui Propraetor in Bithynia, ubi Catullus inter eius comites fuit, pravis animi libidinibus indulgebat et ob sordidam avaritiam et illiberalitatem in comites a Catullo perstringitur. Carm. XXIX. 9.

Memnon, -ŏnis, fuit Aethiopum aliorumque Orientis populorum rex, Tithoni ex Aurora filius, qui pulcherrimus iuvenis Troianis in bello adversus Graecos auxilium ferens, ab Achille caesus fertur; et cum in rogo cremaretur, ex eius cinere aves evolasse fingunter, quae Memnonides vocatae singulis annis ex Aethiopia Troiam advolarent et ad Memnonis sepulcrum confligerent. Virg. Aen. I. 489. (493.) Ov. Am. I. 13. 3. III. 9. 1. Met. XIII. 579. 600. Cat. LXVI. 52. Prop. II. 14. 18.

Memnonis mater lutea, i. e. Aurora. Ov. Fast. IV. 714. ex Pont. I. 4. 57.

Memnonĭdes, -um, sunt Memnonis aves. Ov. Met. XIII. 618. v. *Memnon*.

Memnonĭus, -a, -um, a

Digitized by Google

Memnone, vel ad Memnonem spectans.

Memnonius color, i. e. niger. Aethiopes enim, quorum rex Memnon, nigri erant. Ov. ex Pont. III. 3.96.

Memnoniae domus sunt Aethiopum. Prop. I. 6. 4.

Memphis, -is et -ĭdos, antiqua Aegypti urbs ad Nilum flumen, Isidi et Veneri olim sacra. Hodie nil ex ea superest. Hor. Od. III. 26. 10. Ov. Am. II. 13. 8. Prop. III. 9. 34.

Memphitĭcus, -a, -um, in vel e Memphi, ad Memphim pertinens, id. q. Aegyptius. Ov. Art. Am. I. 77.

Memphītis, -ĭdis s. -ĭdos, et Memphītes, -ae, quae in vel ex Memphi est, ad Memphim pertinet.

Memphitis vacca et *Memphites bos*, i. e. Isis. Ov. Art. Am. III. 393. Tib. I. 7. 28. v. *Io*.

Menalcas, -ae, nomen ovium pastoris. Virg. Ecl. III. 13. V. 4., uti et subulci. Virg. Ecl. X. 20.

Menander et Menandros, -i, poëta, comoediis nobilis, qui Olymp. CIX. a. 3. s. A. U. CCCXLII. Athenis natus novae s. tertiae comoediae auctor fuit. E plurimis, quas scripsit, fabulis, pauca tantum fragmenta supersunt. Terentius vero ex eius comoediis sex Latine vertit, quae adhuc exstant. Hor. Sat. II. 3. 11. Ep. II. 1. 57. Ov. Am. I. 15. 18. Trist. II. 369. Prop. III. 20. 28. IV. 543.

Menandrēus, -a, -um, a Menandro, ad Menandrum pertinens. Prop. II. 5. 3.

Menas s. Mena, -ae. v. *Vulteius*.

Mendēs ĭus, -a, -um, in vel e Mendete, ad Mendetem pertinens. Fuit autem *Mendes* Aegypti urbs, olim ad Mendesium, unum e Nili ostiis, sita. Ov. Met. V. 144.

Menenĭus, -i, homo stultissimus Romae, unde *Menenii gens* pro stultorum grege ab Horatio usurpatur Sat. II. 3.287.

Menelaēus, -a, -um, ad Menelaum pertinens. Prop. II. 12. 14.

Menelāus, -i, fuit Spartae rex, Plisthenis filius, Atrei nepos, a quo post patris mortem cum Agamemnone fratre natu maiore, educatus Helenam uxorem duxit Hermionenque ex ea procreavit. Postea uxore a Paride Troiam abducta, cum omni Graecia Troianis bellum intulit, quorum urbe post decem annorum obsidionem eversa, cum uxore domum rediisse traditur. Hor. Sat. II. 3. 198. Virg. Aen. II. 264. VI. 525. XI. 262. Ov. Her. V. 105. Art. Am. II. 359. et al. Prop. II. 2. 47. et al. v. *Agamemnon*, *Helena*.

Menēphron, -ŏnis, Arcas, qui cum Bliade matre concu-

Digitized by Google

bi se fertur. Ov. Met. VII. 386.

Menoetes, -ae, gubernator navis Gyae, a quo in navali certamine, ab Aenea in mortui patris honorem instituto, in mare dejectus est. Virg. Aen. V. 161. sqq. — Item Arcas, a Turno in bello cum Aenea caesus. Virg. Aen. XII. 517. — Lycius, ab Achille in Troiano bello occisus. Ov. Met. XII. 116. 127.

Menoetiădes, -ae, i. e. Patroclus, Menoetii filius, Actoris nepos. Ov. Her. I. 17. III. 23. Trist. V. 4. 25. Prop. II. 1. 38.

Mentor, -ŏris, artifex, in caelandis vasis argenteis celeber. Prop. III. 7. 13.

Mentorĕus, -a, -um, a Mentore vel ad Mentorem pertinens. Prop. II. 2. 14.

Mercuriālis, -e, a Mercurio, vel ad Mercurium pertinens, Mercurio sacer.

Mercuriales viri sunt poëtae lyrici. Hor. Od. II. 17. 29.

Mercurĭus, -i, Iovis e Maia filius, Atlantis nepos, deorum nuntius, mercatorum, lucri furtorumque, ioci caussa factorum, deus habebatur, primorumque hominum mores eloquentia, palaestra et lyra, quarum inventor dicebatur, excoluit; hinc poëtae, in primis lyrici, in eius tutela credebantur, qui inde Mercuriales sunt vocati. Ob persuadendi vim, quae in amore inest, fuit Veneri comes datus. Mortuorum porro animas aurea virga ad infera loca deducere, et nonnunquam ex Orco evocare putabatur. In Arcadia, ubi natus fingitur, in primis cultus fuit. Eius vero sacris ab Evandro in Italiam translatis, Romae complura habuit templa, eiusque festa quotannis, praecipue XV. Maii mensis die, quem natalem habebant, a mercatoribus celebrabantur. Fingitur a veteribus iuvenis, qui petasum, duabus alis instructum, capite gerit, pedibusque similiter alatis, caduceum, cui duo angues inter se implexi sunt, manu fert. Hor. Od. I. 10. 1. I. 24. 18. et al. Virg. Aen. IV. 22. sqq. Ov. Fast. II. 608. V. 496. et al. Prop. II. 23. 58. v. *Lara*.

Mercurii aqua fuit Romae extra Capenam portam ad viam Appiam, qua mercatores se suasque merces in Mercurii festis spargere atque lustrare solebant. Ov. Fast. V. 673. sq.

Merĭones, -ae, Moli Cretensis filius, Idomenei fortissimus amicus et in Troiano bello auriga. Hor. Od. I. 6. 15. I. 15. 26. Ov. Met. XIII. 359.

Mermessia, -ae, fuit nomen Sibyllae, sic dictae a Mermesso, vico in monte Ida. Tib. II. 5. 67.

Merŏe, -es, magna Aethiopiae insula, seu potius peninsula, inter Astapum et Astaboram,

Digitized by Google

nobilis; hodie parvus vicus *Akerona* eodem fere loco est situs. Ov. Art. Am. I. 57.

Methymnaeus, -a, -um, in vel e Methymna, vel ad Methymnam pertinens, id. q. Lesbius. Hor. Sat. II. 8. 50. Virg. Ge. II. 90. Ov. Met. XI. 55. Prop. IV. 8. 38.

Methymnĭas, -ădis, quae in vel e Methymna est, Methymnaea puella. Ov. Her XV. 15.

Metiscus, -i, Turni in bello cum Aenea auriga, quem Iuturna, Turni soror, curru deiecit. Virg. Aen. XII. 469. sqq.

Metĭus, Maetĭus s. Mettĭus. Hor. Ep. II. 3. 87. v. *Tarpa*.

Metus (*) Fuffetĭus, -i, Albani populi dux, qui ob violatum foedus, Tulli Hostilii, Romanorum regis, iussu, duabus quadrigis distractus traditur. Virg. Aen. VIII. 642.

Mevania, -ae, Umbriae urbs, pascuis nobilis. Hodie *Bevagna*. Prop. IV. 1. 123.

Mezentĭus, -i, fuit Agyllae, Etruriae urbis, rex crudelissimus, qui a civibus regno expulsus ad Turnum confugit, eique adversus Aenean auxilium tulit, et in eo multis fortibus Troianis occisis, ipse Aeneae manu est interfectus. Virg. Aen. VII. 648. et al. Ov. Fast. IV. 881. sqq.

Midas, -ae, fuit Phrygiae rex, Gordii e Cybele filius, ab Orpheo Bacchi sacra doctus. Cui quum a Baccho, benigne hospitio recepto, concessum esset, ut quidquid optasset, voti compos fieret, quaecunque corpore attigisset, in aurum converterentur, optavit; quod ut stulte se petiisse sensit, quandoquidem etiam cibus et potus contacti aurum fierent, fame cruciatus Bacchum, ut munus auferret, supplex exoravit. Mox autem quum Phoebus et Pan inter se carmine certarent, iudex electus, Pana victorem pronuntiavit; quare Phoebus iratus ei asininas aures indidit; quod simulatque famulus tonsor vidit, tacere non potuit, sed humum effodiens in illa fovea clamavit, *Midas aures asininas habet;* deinde cooperta fovea temporis progressu arundines illic crevere, quae, vento motae, eadem verba reddidisse finguntur. Ov. Met. XI. 92. 162.

Milanĭon, -ŏnis, Atalantae Arcadicae, Iasi filiae, conjux. Ov. Am. III. 2. 29. Art. Am. 2. 188. Prop. I. 1. 9. v. *Atalanta*.

Milesĭus, -a, -um, in vel e Miléto, vel ad Miletum spectans. Virg. Ge. III. 306. IV. 334.

(*) Alii *Mettus* et *Metius*, sed male, uti videtur Drak. ad Liv. I. 23.

Digitized by Google

Milĕtis, -ĭdis, quae e Mileto est, vel ad Miletum pertinet. *Miletis*, i. e. Byblis, Mileti filia. Ov. Met. IX. 634.

Miletis urbs, i. e. Tomis, Milesiorum colonia. Ov. Trist. 1. 10. 41.

Milētus, -i, celeberrima Asiae Minoris urbs, totius Iŏniae princeps, lana pretiosa nobilis, ex qua confectae vestes Veteribus summo in pretio fuere. Urbis autem incolae lascivis et corruptis moribus fuisse feruntur. Hodie parva urbs est, quae *Melasso* dicitur. Hor. Ep. 1. 17. 30. Ov. Trist. III. 9. 3. Habuit autem nomen a *Mileto*, Cretensi, Apollinis e Deïone filio, qui e Cyanee Byblida ac Caunum procreavit. Hic quum in adfectati regni suspicionem incidisset, Minoëm I., Cretae regem, metu liberare studens, in Asiae Minoris oram fugit ibique Miletum urbem condidit. Ov. Met. IX. 443. 446.

Milo et Milon, -ōnis, Pythagorae discipulus, Crotona urbe oriundus, Athleta tantae fortitudinis, ut in Olympico certamine taurum, nudae dextrae ictu occisum, per stadium in humeris portare sustinuerit, totumque uno die solus devoraverit. Quum autem senex, pristinis viribus nimis confidens, quercum, media parte hiantem, diducere et rescindere conaretur, arbor, deficientibus illius viribus, rursus se constrinxit, manusque inclusas tenuit, atque ita compressit, ut tandem lupis praeda fieret. Ov. Met. XV. 229. in Ibin 611. — Vocatur sic etiam Tyrannus Pisae in Elide, qui a civibus, servitutem perosis, in Alpheum flumen demersus fertur. Ov. in Ibin 327.

Milonĭus, ii. homo quidam, qui inebriatus saltabat. Hor. Sat. II. 1. 24.

Mimallŏnis, -ĭdis, id. q. Baccha, Bacchi sacerdos, a Thracico vocabulo, vel a Mimante, Iŏniae monte, nomen habens. Ov. Art. Am. 1. 541.

Mimas, -ntis, promontorium Iŏniae prope Colophonem. Hodie *Capo Stillari*. Ov. Met. II. 223. — Fuit praeterea Gigantis nomen, quem Iupiter fulmine percussit; attamen et inter Titanas refertur. Hor. Od. III. 4. 53. v. *Gigas*, *Titan*. — Vocatur praeterea sic Troianus, Amyci et Theanus filius, eadem nocte, qua Paris, natus; Aeneam post Troiam captam in Italiam secutus a Mezentio caesus est. Virg. Aen. X. 702. sqq.

Mimnermus, -i, poëta Graecus, egregius et suavis, Colophone, Iŏniae oppido, oriundus, Soloni aequalis atque amicus, qui pentametri inventor habetur, et ab Horatio Callimacho, a Propertio Homero in canendo de amore praefertur; ex eius

Digitized by Google

scriptis tantùm fragmenta exstant. Hor. Ep. I. 6. 65. II. 2. 101. Prop. I. 9. 101. — Vocatur sic etiam vir quidam, de quo non constat. Ov. in Ibin 550.

Mincĭus, -i, Cenomanorum in Venetia flumen, quod a Benaco lacu emissum, Mantuam urbem praeterfluens, in Padum effunditur; hodieque *Menzo* vocatur. Virg. Ecl. VII. 13. Ge. III. 15. Aen. X. 206.

Minerva, -ae, quae et Pallas dicta est, sine matre e Iovis cerebro, a Vulcano securi aperto, armata prosiluisse fingitur; a veteribus sapientiae, doctrinarum liberaliumque artium, in primis autem muliebrium operum, et olivae, tibiarum aliarumque rerum, inventrix atque dea, bellique praeses habetur. In coelo Iovi proximos honores occupare, et inde nonnunquam ipsum fulmen mittere traditur. Ob Paridis iudicium Troianis invisa Graecisque favens Troiam evertit. Virgo semper mansit, et depingitur truculento vultu, caesiis oculis, galeam in capite, dextra hastam, sinistra Aegida tenens, comae decore insignis. In eius honorem in primis XIX. Martii die, quo nata fingitur, a Romanis Quinquatrus per quinque dies continuos variis ludis celebrabantur, uti et XIX. Iunii die in Aventino monte ei sacra fiebant. Hor. Od. III. 3. 23. IV. 6. 13. Virg. Ge. IV. 246. et al. Ov. Her. V. 36. et saepe. Tib. I. 4. 26. Prop. I. 2. 30. et al.

Crassa Minerva, i. e. praecepta communis sensus, non autem philosophorum, sequens. Hor. Sat. II. 2. 3.

Invita Minerva, i. e. repugnante natura. Hor. Ep. II. 3. 385.

Minerva, i. e. lanificium. Virg. Aen. VIII. 409. Ov. Met. IV. 33.

Minervae bacca, i. e. oliva, a Minerva inventa. Ov. Met. VIII. 664.

Minervae promontorium fuit in extrema Campaniae ora prope Capreas insulam; hodie idem nomen servat. Ov. Met. XV. 709.

Minervae triste sidus, i. e. tempestas a Minerva concitata, qua Graecos a Troia redeuntes opprimeret. Virg. Aen. XI. 259.

Minĭo, -ōnis, parvus Etruriae fluvius, qui haud procul a Centumcellis defluens in mare effunditur; hodie *Mignone* dicitur. Virg. Aen. X. 183.

Minōis, -ĭdis, i. e. Ariadne, Minois II. filia. Ov. Her. XVI. 347. Art. Am. I. 509. Met. VIII. 174. Sab. ap. Ov. II. 47. Cat. LXIV. 60. 248. Tib. 3. 6. 41. Prop. II. 11. 7.

Minoĭus, contr. Minōus, -a, -um, a Minoë, vel ad Minoëm pertinens. Virg. Aen. VI. 14. Pseudo-Virg. Cir. 470. Ov. in Ibin 291. Prop. IV. 11. 21.

Digitized by Google

Minous Thoas, i. e. Ariadnes e Baccho filius. Ov. Her. VI. 114.

Minoia, i. e. Phaedra, Minois II. filia. Ov. Her. IV. 61.

Minoia virgo, i. e. Ariadne, Minois II. filia. Ov. Her. XVII. 193.

Minoia Creta, i. e. ubi Minos regnavit. Ov. Fast. III. 81.

Minos, -ōis, fuit Cretae rex, Iovis ex Europa filius, primus Cretensibus leges dedit, et quo iis maiorem conciliaret auctoritatem, ipsum Iovem in consilium adhibuisse fertur; ob iustitiam autem post mortem cum Rhadamantho fratre atque Aeaco apud inferos animarum iudex constitutus fingitur. Hor. Od. I. 28. 9. IV. 7. 21. Virg. Aen. VI. 432. Pseudo-Virg. Cul. 373. Ov. Am. III. 10. 41. Met. IX. 436. sqq. — Alter *Minos* prioris nepos, quocum confunditur (*), Lycasti ex Ida filius, etiam Cretensium rex, e Pasiphaë uxore Ariadnen, Phaedram, Androgeum Glaucumque procreavit; postea quum in Daedalo persequendo ad Siciliam classe delatus a Cocalo rege benigne exceptus esset, ab eius filiabus necatus fertur. Pseudo Virg. Cir. 111. Ov. Her. IV. 157. X. 91. Art. Am. II. 21. 25. Rem. Am. 453. Met. VII. 456. sqq. Cat. LXIV. 85. Prop. II. 23. 113. v. *Androgeus*, *Cocalus*, *Daedalus*, *Minotaurus*, *Scylla*.

Minotaurus, -i, monstrum, superiore corporis parte hominem, inferiore taurum referens, e Pasiphaë, in lignea vacca inclusa, et tauro natum. Quod ut absconderetur, Daedalus Minois iussu labyrinthum artificiose exstruxit, quo inclusus est. Ex foedere autem, quod Minos cum Atheniensibus victis inierat, quotannis septem iuvenes totidemque puellae Athenis in Cretam mittebantur, a Minotauro devorandi. Tertio vero anno Theseus, Aegei regis filius, huc sorte missus, Minotaurum interfecit, et ab Ariadne, Minois filia, fili ope, ad introitum relegati, adiutus e labyrintho evasit. Virg. Aen. VI. 26. Cat. LXIV. 79.

Minous, v. Mineïus.

Minturnae, -arum, Auruncorum urbs celeberrima in Campaniae confinio, ad Liris fluminis ostia prope Formias sita; hodie vix eius rudera supersunt. Hor. Ep. I. 5. 5. Ov. Met. XV. 716.

Minucius s. Minutius, -a, -um, nomen gentis Romanae.

Minucii via fuit Romae, et a Minucia porta per Sabinos ad Brundisium usque ducebat; strata videtur a L. Minucio Augurino (†). Hor. Ep. I. 18. 20.

(*) Ov. Met. VIII. 120.

(†) Cf. Liv. Hist. IV. 16. Alii *Numici* legunt; minus recte, ut videtur, cum illa via plane ignota sit.

Digitized by Google

Marcĭus, -a, -um, ad Marcium Regem pertinens. Fuit autem *Q. Marcius Rex* Romanus, qui *aquam Marciam* a se vocatam ex lacu Fucino in urbem duxit. Fuit autem haec aqua frigida et saluberrima. Alii ab Anco Marcio rege in urbem perductam et ab Q. Marcio Rege restitutam dicunt. Tib. III. 6. 58. Prop. III. 1. 52. 21. 24.

Marcus Tullius, i. e. *Cicero*, nobilis inter Romanos orator, cui Catullus pro beneficio gratias agit omniumque Romanorum disertissimum vocat. Cat. XLIX. 2.

Mareotĭcus, -a, -um, ad Mareotidem paludem pertinens, id. q. Aegyptius. Ov. Met. IX. 772. Fuit autem *Mareōtis palus* in Aegypto ultra Alexandriam, hodieque *Lago di Buchiara* dicitur. Circa illum lacum generosum vinum, Mareoticum dictum, nascebatur. Hor. Od. I. 37. 14.

Mareōtis, -ĭdis, quae ad Mareotidem paludem pertinet, vel nascitur. Virg. Ge. II. 91.

Mariānus, -a, -um, a Mario vel ad Marium pertinens. Prop. III. 2. 43.

Marĭca, -ae, Latii nympha, quae e Fauno Latinum peperit, et a Minturnensibus in luco ad Lirim flumen in primis culta fuit. Virg. Aen. VII. 47.

Maricae litora, i. e. Minturnensium ager. Hor. Od. III. 17. 7.

Marĭus (C), -i, Romanus civis, qui septies Consul fuit, belloque, quod contra Iugurtham Cimbrosque feliciter gessit, nobilitatus est. Postea autem bello civili moto, Sullaeque consectantes equites fugiens in Marica, Minturnensium palude, latitavit, e qua extractus et in carcerem perductus, a Minturnensibus liberatus est, et in Africam aufugit, ubi inter Carthaginis ruinas inopem vitam egit. Deinde a Cinna Romam revocatus, et cum filio urbem ingressus crudelissimam victoriam exercuit, nec ita multo post morbo decessit. Ov. ex Pont. IV. 3. 47. Prop. II. 1. 24. et al. — Huius autem filius *C. Marius*, vir animo maximo, brevi post a Sulla apud Sacriportum pulsus, Praeneste se contulit, ubi desperatis rebus, an se ipse interfecerit, an ab aliis sit occisus, incerta fama fuit. Ad hunc et patrem respexit Virg. Ge. II. 169. — Est quoque hoc nomine scriptor ap. Ov., quis tamen ille fuerit, non aliunde constat. ex Pont. IV. 16. 24. — Homo quidam, qui Hellada, amatam puellam, a qua tamen spretus erat, occidit, quo facto ipse sibi mortem conscivit. Hor. Sat. II. 3. 277.

Marmarĭdes, -ae, qui est e Marmarica, Africae regione, inter Aegyptum et Cyrenen sita. Ov. Met. V. 125.

Digitized by Google

Maro-ōnis, i. e. fluvii cuiusdam statua, quae dei dormientis habitu aquam emittebat. Alii Virgilii statuam dormientis instar sculptam, et ad aquae ductum positam innui putant. Prop. II. 23. 48.

Maronēus, -a, -um, in vel ex Maronea, vel ad Maroneam pertinens. Fuit autem *Maronēa* Thraciae urbs, vino nobilis. Tib. IV. 1. 37.

Marpesĭus, -a, -um, e Marpeso, ad Marpesum pertinens, qui fuit Pari insulae mons, albo marmore abundans. Virg. Aen. VI. 471.

Marrubĭus, -a, -um, in vel e Marrubio, ad Marrubium pertinens, id. q. Marsus. Fuit autem *Marrubium* princeps Marsorum urbs ad lacum Fucinum; hodie *Morrea*. Virg. Aen. VII. 750.

Marrucīnus, (Asinius), -i, Catulli amicus, frater Asinii Pollionis, qui Catullo inter pocula sudarium surripuerat. Vocatur autem *Marrucinus* a Marrucinis, Italiae populo inter Vestinos et Pelignos, quorum fides Romanis admodum spectata erat, vel unde originem ducebat. Cat. XII. 1.

Mars, -tis, Iunonis filius, quem florem, a Flora dea deceptum, tangens sine viro concepit et in Thracia peperit, quapropter a Thracibus et Scythis in primis cultus fuit tanquam belli deus, et a poëtis saepe pro *ipso bello*, bellique eventu ponitur. Virg. Aen. II. 335. VI. 165. et al. Ov. Fast. I. 60. 520. Met. III. 540. VII. 140. et al.; ut et pro *bellica virtute*, Ov. Her. III. 45. Fast. II. 208. et al. — Unde ob eandem rationem ad lites forenses transfertur. Ov. Fast. IV. 188. — Uxorem nunquam duxit; nihilominus satis magnam subolem suscepit, ut e Rhea Silvia Romulum Remumque, unde Romanae gentis auctor habetur; cum Venere autem consuetudinem habens (*) Solis indicio a Vulcano deprehensus est, qui aereo reti tenuissimo super lectum strato utrumque deorum risui exposuit. Hunc armatum militem, ferrea indutum tunica, finxerunt poëtae; tertiusque anni mensis (†), et ex animalibus lupus et picus, ei sacri erant. Romae

(*) Hinc Venerem Marti, i. e. utriusque menses, Martium et Aprilem, continuari dicit Ov. Fast. IV. 130.

(†) Romulus, quod Martis filium se putabat, primum anni mensem huic deo sacravit; a Numa vero rege duobus adiectis, Martius mensis deinde Romanis tertius fuit; reliquis autem Latii populis, quanquam et Martem colentibus, non item. Erat quidem Albanis, Aricinis et Tusculi incolis tertius, Sabinis vero et Pelignis quartus, Faliscis et Laurentibus quintus, Hernicis sextus, Aequicolis decimus. Ov. Fast. III. 88. sqq.

Digitized by Google

Martis Ultoris templum fuit, quod Augustus Philippensi bello vovit, et in foro extruxit iuxta Veneris Genetricis aedem, a Iulio Caesare aedificatam. Hor. Od. I. 6. 13. I. 17. 23. et al. Virg. Ecl. X. 44. Ge. I. 511. et al. Ov. Her. VII. 160. et saepe. Prop. II. 25. 26.

Mars forensis, i. e. genus dicendi forense, vel eloquentia in rebus s. caussis forensibus. Ov. ex Pont. IV. 6. 29.

Martis campus fuit Romae locus inter Urbem et Tiberim prope Virginem aquam, Marti sacer, in quo comitia habebantur, et Romana iuventus cursu, palaestra, equitatione aliisque ludicris certaminibus, exerceri solebat. Nomen autem habet, quod ejecto Tarquinio Superbo, cuius ager fuerat, Marti consecratus erat. Ov. Trist. V. 1. 32.

Martis scopulus, i. e. Areopagus, quasi Martis collis, fuit vicus Athenarum in saxoso colle, ubi Martis templum exstitit, in quo nobile illud Areopagitarum s. Areopagi iudicum consilium, a Cecrope institutum, habebatur. Ov. Met. VI. 70.

Marsi, -orum, Italiae Mediae populus bellicosus prope Fucinum lacum inter Sabinos, Aequos et Samnites, montuosam et saltuosam regionem incolens, fuitque belli, quod socii adversus Romanos ab anno U.C. DCLXIII. usque ad DCLXVI. gesserunt gravissimum, praecipuus auctor, unde hoc *Marsicum* dictum est, quo composito, Marsi Romanorum fortissimi pedites fuerunt habiti. Hor. Epod. XVI. 3.

Marsus, -a, -um, in vel e Marsis, vel ad Marsos pertinens. Hor. Od. I. 1. 28. 39. III. 5. 9. Virg. Ge. II. 167. Aen. VII. 758. X. 544.

Marsi duelli cadus, i. e. vinum Marsico s. sociali bello conditum, quod ergo Horatii tempore amplius septuaginta annorum vetustatem habebat. Hor. Od. III. 14. 18.

Marsae voces et *Marsa naenia* sunt incantamenta carminum. Fuerunt enim *Marsi* veneficiis et incantamentis, quibus angues disrumpi putabantur, olim infames. Hor. Epod. V. 76. XVII. 29. Ov. Art. Am. II. 102. Fast. VI. 142. et al.

Marsus (Domitius), -i, epigrammatum scriptor ingeniosus et acutus, qui Augusti tempore vixit, e cuius carminibus unum tantum exstat epigramma, quod in A. Tibulli carminum fine legitur. Ov. ex Pont. IV. 16. 5.

Marsyas, et Marsya, -ae, Satyrus Phrygius, tibicen, qui tibiam, a Minerva abiectam, invenit, eamque inflatam sonum habere sentiens, quotidie se exercuit, ut tandem ipsum Apollinem in cantus certamen pro-

Digitized by Google

vocaverit, qui victo cutem detraxit. E Faunorum autem, Satyrorum et Nympharum lacrimis flumen eiusdem nominis ortum fingunt, quod in Phrygia maiore haud procul a Celaenis in Maeandrum influit. Ov. Met. VI. 400. Ab hoc nomen forsitan habet statua Romae in foro, ad quam caussae agebantur. Hor. Sat. I. 6. 120.

Martiālis.-e, id. q. Martius.

Martiales lupi, i. e. Marti sacri. Hor. Od. I. 17. 9.

Martĭcŏla, -ae, qui Martem colit. Ov. Trist. V. 3. 22. ex Pont. IV. 14. 14.

Martigĕna, -ae, i. e. Martis filius. Ov. Am. III. 4. 39. Fast. I. 199.

Martĭus, -a, -um, a Marte, vel ad Martem pertinens, Marti sacer, saepe id. q. bellicosus. Virg. Ecl. IX. 12. et al. Ov. Fast. III. 37. et al. Item ad Martium mensem spectans. Hor. Od. III. 8. 1.

Martius campus et *Martium gramen*. Hor. Od. III. 7. 26. IV. 1. 31. id. q. Martis campus, q. v.

Martius lupus et *Martia lupa*, i. e. Marti sacer. Virg. Aen. IX. 566. Prop. IV. 1. 55.

Martius anguis, i. e. Marti sacer, vel uti alii putant, e Marte genitus. Ov. Met. III. 32.

Martius miles, i. e. Romanus. Romani enim se Martis genus iactabant. Ov. Met. XIV. 798.

Martia proles, i. e. Romulus et Remus, Martis e Rhea Silvia filii. Ov. Fast. III. 59.

Martia Penthesilea, i. e. Martis filia. Virg. Aen. XI. 661.

Martia arena fuit Romae locus in Circo, ubi varia certamina in primis gladiatorum, item hominum cum feris bestiis, harumque inter se, edebantur. Ov. Trist. II. 232.

Martium certamen, i. e. bellum, vel praelium. Hor. Od. IV. 14. 17.

Martia classica, i. e. tuba sive buccina, qua ad bellum vocatur miles. Tib. I. 1. 4.

Masinissa, -ae, Massylorum in Numidia rex, primo populi Romani hostis, deinde per sexaginta fere annos amicus. Ov. Fast. IV. 769. v. *Syphax*.

Massagĕtae, -arum, Scythiae gens prope Caspium mare, uti videtur, Parthis vicina et amica; de cuius vero finibus non constat. Hor. Od. I. 35. 40.

Massĭcus, -i, et Massĭca, -orum, fuit Campaniae mons, cum Gauro ad occidentem, et Falerno ad septemtriones coniunctus; optimo vino, quod aetatem ferre poterat, nobilis. Hodie monte *Mazzo*. Virg. Aen. VII. 726. — Vocatur etiam hoc nomine Etruscus, qui cum Clusi-

Digitized by Google

nis et Cosanis Aenene adversus Turnum auxilium tulit. Virg. Aen. X. 166.

Massȳcus, -a, -um, in vel e Massico, vel ad Massicum pertinens. Virg. Ge. II. 143.

Massicum, i, vinum in Massico monte nascens. Hor. Od. I. 1. 19. II. 7. 21. III. 21. 5. Sat. II. 4. 51. cf. Virg. Ge. III. 526.

Massȳlus, -a, -um, e Massylis, ad Massylos pertinens, id. q. Africanus. Virg. Aen. IV. 132. 483.

Massȳli, -orum, fuerunt Numidiae populus, cuius rex olim Masinissa fuit. Virg. Aen. VI. 60.

Mater et Mater Deum, -tris, eadem, quae *Cybele*. Virg. Ge. IV. 64. Ov. Fast. IV. 250. 263. 555. Met. X. 686. 696. v. *Cybele*.

Matīnus, -a, -um, in vel e Matino, vel ad Matinum spectans. Fuit autem *Matīnus* Apuliae mons, qui ad mare usque procucurrisse videtur, et Venusiae, Horatii patriae, vicinus fuit. Hor. Od. I. 28. 3. IV. 2. 27. Epod. XVI. 28.

Matūta, -ae, Romanis dicitur dea marina, quae a Graecis *Leucothea* vocatur, in cuius honorem Romanae matronae quotannis XI. Innii die *Matralia* festa celebrabant. Habebat autem templum in foro Boario, a Servio Tullio rege dedicatum. Ov. Fast. VI. 479. 545. v. *Ino*, *Leucothea*.

Maurus, -a, -um, in vel e Mauritania, vel ad Mauritaniam pertinens, id. q. Africanus. Fuit autem *Mauritanĭa* s. *Maurētanĭa* duplex Africae regio maritima, *Caesariensis* et *Tingitana*, inter Atlanticum mare et Numidiam, serpentum aliarumque ferarum multitudine admodum referta; hodie sunt eo loco *Algerii*, *Fezzae* et *Marochii* regna. Hor. Od. I. 22. 2. III. 10. 18. Ov. Fast. III. 552.

Maura unda, i. e. mare, quod Africam alluit. Hor. Od. II. 6. 3.

Maura manus, i. e. Punica s. Carthaginiensium; latius enim hoc loco Mauritaniae nomen sumitur. Ov. Fast. VII. 244.

Maurusĭus, -a, -um, id. q. Maurus. Virg. Aen. IV. 206.

Mausolēus, -a, -um, ad Mausolum spectans. Fuit autem *Mausōlus* rex Cariae, cui Artemisia coniux a CCCLXXVIII. A. C. N. splendidum sepulcrum fieri iussit, quod inter septem miracula fuit. Prop. III. 2. 59.

Mavors, -tis, vox poëtica, id. q. Mars. Cat. LXIV. 395. Prop. II. 20. 66.

Mavortis urbs, i. e. Roma, Virg. Aen. VI. 8. 73.

Mavortĭus, -a, -um, id. q. Martius.

Mavortius, i. e. Meleager,

Digitized by Google

Martis ex Althaea, Oenei uxore, filius habitus. Ov. Met. VIII. 437.

Mavortia tellus, i. e. Thracia, Martis patria. Virg. Ge. IV. 462. Aen. III. 13.

Mavortia proles, i. e. Thebani, quod olim ex anguis dentibus nati finguntur, qui anguis Marti sacer, vel e Marte genitus, habebatur. Ov. Met. III. 531.

Mavortia moenia, i. e. Roma, a Romulo et Remo, Martis filiis, condita. Virg. Aen. I. 276. (280.)

Maximus (Paullus Fabius), -i, nobilis et dives civis Romanus, A. U. DCCXLIV. Consul, vir elegans, cuius domus hilarioribus iuvenum compotationibus admodum frequentata fuit. Hor. Od. IV. 1. 10. 31. — Ad huius filium *P. Fabium Maximum* Ovidius complures scripsit epistolas ex Ponto I. 2. 1. et al.

Medēa, -ae, Aeetae, Colchorum regis, ex Ipsea filia, Chalciopes soror, Iasonis, Argonautarum ducis, amore capta, veneficiis effecit, ut hic aureo vellere, quod petitum in Colchidem venerat, potiretur. Mox cum illo in Graeciam profecta, quo patrem insequentem retardaret, Absyrthi fratris membra discerpta per mare dispersit periculumque evasit. Postea ab Iasone repudiata, ex illo susceptos liberos, Mermerum et Feretum, trucidavit; Glaucenque, Creontis regis filiam, quacum Iason secundas inierat nuptias, incensa regia, cremavit, Athenasque fugiens Aegeo regi nupsit, cuius filium Theseum veneno cum interficere pararet, re detecta, in Colchidem se fuga recepit ibique periit. Hor. Epod. III. 10. V. 62. et al. Ov. Her. VI. 75. sqq. Met. VII. 11. sqq. Tib. II. 4. 55. Prop. II. 19. 31. et al. v. *Absyrthus*, *Iason*.

Medeae herbae malae, sunt noxiae s. venenatae herbae Medeae Tib. I. 2. 53.

Medēis, -idis, quae a Medea est, ad Medeam pertinet.

Medeides herbae sunt magicae, quibus Medea usa est. Ov. Art. Am. II. 101.

Mēdĭa, -ae, magna Asiae regio, quae inter Armeniam, Parthiam, Hyrcaniam et Assyriam, fuit sita, et primum ab Assyriis, deinde a Persis, tandem a Parthis edomita et horum imperio adiecta fuit. Virg. Ge. II. 126.

Medon, -ontis, Troianus in bello cum Graecis interfectus, cui Aeneas in inferis locis occurrit. Virg. Aen. VI. 483. — Est etiam hoc nomine unus e Penelopes procis, cuius meminit Ov. Her. I. 91. Sab. ap. Ov. I. 47. — Item unus e Tyrrhenis nautis, quos Bacchus in delphines convertit. Ov. Met. III. 671. — Tan-

Digitized by Google

dem Centaurus, qui in Pirithoi nuptiis, vulnere accepto, aufugit. Ov. Met. XII. 303.

Medus, -a, -um, in vel e Media, vel ad Mediam pertinens, saepe id. q. *Assyrius*, *Persicus*, *Parthicus*. Hor. Od. I. 2. 51. I. 27. 5. et al. Virg. Ge. II. 134. et al. Cat. LXVI. 45. Prop. III. 7. 25. III. 10. 11. v. *Media*, *Parthi*.

Medum flumen, i. e. Euphrates, quod flumen Romanum et Parthicum imperium limitabat, postea tamen illud ad Romanas provincias additum fuit. Hor. Od. II. 9. 21.

Medus propterea *Hydaspes* dicitur, quia olim ad Persarum imperium, qui Medorum victores fuere, pertinuit. Alexander enim Magnus ad hunc Indiae fluvium usque penetravit, populosque imperio subiecit. Virg. Ge. IV. 211.

Medūsa, -ae, una e tribus Gorgonibus, Phorci e Cetone filia, quacum Neptunus in Minervae templo concubuit; quapropter irata dea pulchros Medusae crines in serpentes mutavit, effecitque, ut omnes eam adspicientes in lapides mutarentur. Perseus deinde a Polydecte missus, hanc, adiutrice Minerva, interfecit, eiusque caput amputatum Palladis thoraci imposuit, quo postea multos in lapides convertit. Ov. Her. XIX. 134. Art. Am. II. 309. Fast. III. 451. Met. IV. 654. et al. v. *Gorgon*, *Perseus*.

Medusae frater, i. e. Eurystheus, Sthenelī e Nicippe, Pelopis filia, filius (*), Herculi inimicissimus. Ov. in Ibin 449.

Medusaeus, -a, -um, a Medusa, vel ad Medusam pertinens. Ov. Met. V. 249.

Medusaeus equus s. praepes, i. e. Pegasus, equus alatus, qui e Medusae sanguine natus est (†). Ov. Fast. V. 8. Met. V. 257.

Medusaeus fons, i. e. Hippocrene, e Pegasi ungula orta. Ov. Met. V. 312. v. *Pegasus*.

Medusaeum monstrum, i. e. Cerberus. Hic enim ex Echidna natus Chrysaorem avum habuit, qui e Medusae sanguine una cum Pegaso ortus fingitur. Ov. Met. X. 22.

Megaera, -ae, una e tribus Furiis. Virg. Aen. XII. 846. v. *Furiae*.

Megalesĭa, -orum, fuerunt ludi, in primis scenici, qui Romae IV. die Aprilis Cybelae s.

(*) Cf. Apoll. Bibl. II. 4. 5.

(†) Ov. Met. IV. 785., vel e caesae Medusae cervice prosiluit. Ov. Fast. III. 451., vel uti alio loco dicit Ov., e Neptuni cum Medusa coitu. Met. VI. 120. Apoll. Bibl. II. 3. 2.

Digitized by Google

Magnae deum Matri, et quidem ante eius templum in Palatio monte celebrabantur. Ov. Fast. IV. 357.

Megăra, -ae, Achaiae urbs, inter Corinthum et Athenas ad sinum Saronicum, cuius muros Alcathous, Phoebo adiutore, exstruxisse traditur; hodie vicus eo loco. idem nomen servat. Pseudo-Virg. Cir. 105. 388. Ov. Rem. Am. 798.

Megareĭus, -a, -um, a Megareo, vel ad Megareum pertinens.

Megareius heros, i. e. Hippomenes, Megarei filius. Ov. Met. X. 659.

Megăreus, -ĕi, Onchesti filius, Neptuni nepos, qui e Merope Hippomenem procreavit. Ov. Met. X. 605.

Megărus, -a, -um, in vel e Megara, ad Megaram pertinens. Quae maritima urbs, ad orientalem partem Siciliae, haud procul ab Alabo flumine sita, antea *Hybla parva* fuit dicta; deinde vero a Megarensibus, qui eo coloniam deduxerunt, Megarae nomen accepit. Hodie ex hac nihil superest. Virg. Aen. III. 689. Ov. Fast. IV. 471.

Megilla, -ae, femina quaedam ex Opunte, Locridis urbe, oriunda, in cuius fratris amores inquirit Hor. Od. I. 27. 11.

Melampus, -i, Amythaonis ex Idomene filius, artis medicae et vaticinandi peritissimus, Proeti filiabus, Furiis agitatis mentis sanitatem restituit, Quum vero Neleus Pero, pulchram filiam, ei promitteret in uxorem, qui Iphicli boves surriperet, Melampus in gratiam Biantis fratris, qui virginem amabat, hoc suscepit, sed ab Iphiclo captus in vincula coniectus est, ex quibus postea dimissus boves impetravit, et Pero sic Bianti nupsit. Virg. Ge. III. 550. Tib. IV. 1. 120. Prop. II. 2. 15. — Est etiam hoc nomine Cissei et Gyae pater, Herculis comes, donec in Italiam venit, ubi in Latio consedit. Virg. Aen. X. 320. — Item canis nomen, ut etiam Ichnobates, Pamphagus, Dorceus, aliique, quos refert plurimos Ov. Met. III. 206. sqq.

Melăneus, -ĕi, Aethiops in Persei nuptiis occisus. Ov. Met. V. 127. — Centaurus, qui in Pirithoi nuptiis mortis periculum fuga evitavit. Ov. Met. XII. 306. — Item unus ex Actaeonis canibus. Ov. Met. III. 222.

Melanthēus, -a, -um, ad Melantheum pertinens, qui quum, uti volunt, homicidio perpetrato, apud matrem lateret, haec rei inscia quaerentibus, quo melius cognoscerent, lumen attulit, qua re captus et interfectus est. Ov. in Ibin 625.

Melanthĭus, -i, pastor caprarum Ulyssis, qui quoniam absentis domini gregem absum-

Digitized by Google

serat, a Telemacho occisus traditur. Ov. Her. I. 95.

Melantho, -us, Nympha, Deucalionis e Pyrrha filia, quae cum Neptuno, in delphinem mutato, rem habuisse fingitur. Ov. Met. VI. 120.

Melanthus, -i, Sarmatiae Europaeae flumen, quod in Botysthenem influit. Ov. ex Pont. IV. 10. 54. — Vocatur sic etiam Tyrrhenus nauta, a Baccho cum sociis in delphinem mutatus, Ov. Met. III. 617.

Melas, -ae et -ānis, Siciliae fluvius, etiam *Facelinus* dictus, qui ad Dianae templum inter Mylas et Naulocham urbes in mare exoneratur. Hodie dicitur *Nucito*. Ov. Fast. IV. 476. Fuit etiam Macedoniae flumen in Mygdonia, quam hodie *Larissam* putant. Ov. Met. II. 247.

Meleāger, s. potius Meleāgros, -gri, Martis ex Althaea, Oenei, Aetolorum regis, uxore, filius, cum Argonautis in Colchidem aureum vellus petitum profectus est, unde in patriam redux factus apri Calydonii venationi interfuit, ad quam ut etiam Atalanta, Iäsi filia, pulcherrima virgo, ex Arcadia venit, et prima aprum sub aure vulneravit, Meleagros, virginis virtutem admiratus et mox eius amore captus, apri caesi exuvias et caput ei dedit, Plexippumque ac Toxeum avunculos, puellae dona auferre conantes, interemit; cuius doloris impatiens Althaea stipitem, ad Meleagri interitum fatalem, exussit, quo facto Meleagrum interfecit. Hor. Fp. II. 3. 146. Ov. Her. IX. 151. Met. VIII. 270. sqq. v. *Althaea*, *Atalanta*. — Alio loco Ovidius ad Homeri (*) fabulam respexit, qui de interfecti apri exuviis bellum inter Curetes et Aetolos exortum narrat, in quo quum Althaeae fratres a Meleagro interfecti essent, mater filium diris devovit, quo audito a patriae defensione Meleagros destitit, nec ullius precibus nisi suae uxoris Cleopatrae, Idae et Marsippae filiae, permoveri potuit, ut arma resumeret, quo facto Curetes iam urbem pugnando ingressos eiecit. Ov. Her. III. 92.

Meletēus, -a, -um, i. q. Homericus. Fuit autem *Meles* Ioniae flumen prope Smyrnam, ubi Homerus natus traditur. Tib. IV. 1. 200.

Meliboeus, -a, -um, in vel e Meliboea, ad Meliboeam pertinens. Fuit autem *Meliboea* Thessaliae urbs maritima in Magnesia, ubi purpura olim facta fuisse videtur. Virg. Aen. III.

(*) II. s. v. 543. sqq.

Digitized by Google

401. V. 251.

Melicerta, -ae, et Melicerte, -es, Athamantis, Thebarum regis, ex Ino filius, cum quo mater, furentem maritum fugiens, se in mare coniecit, quo facto ambos a Neptuno in marinos deos conversos narrant. Virg. Ge. I. 437. Ov. Fast. VI. 494. Met. IV. 521. sqq. v. *Ino*, *Palaemon*.

Melĭe, -es, Oceani filia, Inachi uxor, e qua Neptunus Amycum procreavit; vocatur autem Melie Bithynis. Ov. Am. III. 6. 25. v. *Amycus*, ibique adn.

Melissus (C.), -i, Grammaticus et poëta comicus, Maecenatis libertus, ab Augusto bibliothecae in Octaviae porticu praefectus. Eius scripta perierunt. Ov. ex Ponto IV. 16. 31.

Melĭta, -ae, et Melĭte, -es, Africi maris insula, inter Siciliam et Africam; hodie *Malta*. Ov. Fast. III. 567.

Melĭte, -es, Nympha marina, una e Nerei et Doridis filiabus. Virg. Aen. V. 825.

Mella s. Mela, -ae, fluvius in Gallia Cisalpina, qui e Brenno monte oriens, et prope Brixiam decurrens, in Ollium exoneratur, quocum in Padum defertur. Hodie idem nomen servat. Virg. Ge. IV. 278.

Melpomĕne, -es, una e novem Musis, quae tragico carmini praeest. Hor. Od. I. 24. 3. III. 30. 16. IV. 3. 1. v. *Musa*.

Memmĭus, -a, -um, gentis Romanae nomen, quae a Mnestheo Troiano originem ducere credebatur. Virg. Aen. V. 107.

C. Memmius, Romanus poëta et orator, Ciceronis tempore clarus, cuius scripta perierunt. Eius meminit Ov. Trist. II. 433.

C. Memmius Gemellus, homo nequam, qui Propraetor in Bithynia, ubi Catullus inter eius comites fuit, pravis animi libidinibus indulgebat et ob sordidam avaritiam et illiberalitatem in comites a Catullo perstringitur. Carm. XXIX. 9.

Memnon, -ŏnis, fuit Aethiopum aliorumque Orientis populorum rex, Tithoni ex Aurora filius, qui pulcherrimus iuvenis Troianis in bello adversus Graecos auxilium ferens, ab Achille caesus fertur; et cum in rogo cremaretur, ex eius cinere aves evolasse fingunter, quae Memnonides vocatae singulis annis ex Aethiopia Troiam advolarent et ad Memnonis sepulcrum confligerent. Virg. Aen. I. 489. (493.) Ov. Am. I. 13. 3. III. 9. 1. Met. XIII. 579. 600. Cat. LXVI. 52. Prop. II. 14. 18.

Memnonis mater lutea, i. e. Aurora. Ov. Fast. IV. 714. ex Pont. I. 4. 57.

Memnonĭdes, -um, sunt Memnonis aves. Ov. Met. XIII. 618. v. *Memnon*.

Memnonĭus, -a, -um, a

Digitized by Google

Memnone, vel ad Memnonem spectans.

Memnonius color, i. e. niger. Aethiopes enim, quorum rex Memnon, nigri erant. Ov. ex Pont. III. 3. 96.

Memnoniae domus sunt Aethiopum. Prop. I. 6. 4.

Memphis, -is et -ĭdos, antiqua Aegypti urbs ad Nilum flumen, Isidi et Veneri olim sacra. Hodie nil ex ea superest. Hor. Od. III. 26. 10. Ov. Am. II. 13. 8. Prop. III. 9. 34.

Memphitĭcus, -a, -um, in vel e Memphi, ad Memphim pertinens, id. q. Aegyptius. Ov. Art. Am. I. 77.

Memphītis, -ĭdis s. -ĭdos, et Memphītes, -ae, quae in vel ex Memphi est, ad Memphim pertinet.

Memphītis vacca et *Memphites bos*, i. e. Isis. Ov. Art. Am. III. 393. Tib. I. 7. 28. v. *Io*.

Menalcas, -ae, nomen ovium pastoris. Virg. Ecl. III. 13. V. 4., uti et subulci. Virg. Ecl. X. 20.

Menander et Menandros, -i, poëta, comoediis nobilis, qui Olymp. CIX. a. 3. s. A. U. CCCXLII. Athenis natus novae s. tertiae comoediae auctor fuit. E plurimis, quas scripsit, fabulis, pauca tantum fragmenta supersunt. Terentius vero ex eius comoediis sex Latine vertit, quae adhuc exstant. Hor. Sat. II. 3. 11. Ep. II. 1. 57. Ov. Am. I. 15. 18. Trist. II. 369. Prop. III. 20. 28. IV. 543.

Menandrēus, -a, -um, a Menandro, ad Menandrum pertinens. Prop. II. 5. 3.

Menas s. Mena, -ae. v. *Vulteius*.

Mendēsĭus, -a, -um, in vel e Mendete, ad Mendetem pertinens. Fuit autem *Mendes* Aegypti urbs, olim ad Mendesium, unum e Nili ostiis, sita. Ov. Met. V. 144.

Menenĭus, -i, homo stultissimus Romae, unde *Menenii gens* pro stultorum grege ab Horatio usurpatur Sat. II. 3. 287.

Menelaēus, -a, -um, ad Menelaum pertinens. Prop. II. 12. 14.

Menelāus, -i, fuit Spartae rex, Plisthenis filius, Atrei nepos, a quo post patris mortem cum Agamemnone fratre natu maiore, educatus Helenam uxorem duxit Hermionenque ex ea procreavit. Postea uxore a Paride Troiam abducta, cum omni Graecia Troianis bellum intulit, quorum urbe post decem annorum obsidionem eversa, cum uxore domum rediisse traditur. Hor. Sat. II. 3. 198. Virg. Aen. II. 264. VI. 525. XI. 262. Ov. Her. V. 105. Art. Am. II. 359. et al. Prop. II. 2. 47. et al. v. *Agamemnon*, *Helena*.

Menēphron, -ŏnis, Arcas, qui cum Bliade matre concu-

Digitized by Google

bri se fertur. Ov. Met. VII. 386.

Menoetes, -ae, gubernator navis Gyae, a quo in navali certamine, ab Aenea in mortui patris honorem instituto, in mare dejectus est. Virg. Aen. V. 161. sqq. — Item Arcas, a Turno in bello cum Aenea caesus. Virg. Aen. XII. 517. — Lycius, ab Achille in Troiano bello occisus. Ov. Met. XII. 116. 127.

Menoetiădes, -ae, i. e. Patroclus, Menoetii filius, Actoris nepos. Ov. Her. I. 17. III. 23. Trist. V. 4. 25. Prop. II. 1. 38.

Mentor, -ŏris, artifex, in caelandis vasis argenteis celeber. Prop. III. 7. 13.

Mentorĕus, -a, -um, a Mentore vel ad Mentorem pertinens. Prop. II. 2. 14.

Mercuriālis, -e, a Mercurio, vel ad Mercurium pertinens, Mercurio sacer.

Mercuriales viri sunt poëtae lyrici. Hor. Od. II. 17. 29.

Mercurĭus, -i, Iovis e Maia filius, Atlantis nepos, deorum nuntius, mercatorum, lucri furtorumque, ioci caussa factorum, deus habebatur, primorumque hominum mores eloquentia, palaestra et lyra, quarum inventor dicebatur, excoluit; hinc poëtae, in primis lyrici, in eius tutela credebantur, qui inde Mercuriales sunt vocati. Ob persuadendi vim, quae in amore inest, fuit Veneri comes datus. Mortuorum porro animas aurea virga ad infera loca deducere, et nonnunquam ex Orco evocare putabatur. In Arcadia, ubi natus fingitur, in primis cultus fuit. Eius vero sacris ab Evandro in Italiam translatis, Romae complura habuit templa, eiusque festa quotannis, praecipue XV. Maii mensis die, quem natalem habebant, a mercatoribus celebrabantur. Fingitur a veteribus iuvenis, qui petasum, duabus alis instructum, capite gerit, pedibusque similiter alatis, caduceum, cui duo angues inter se implexi sunt, manu fert. Hor. Od. I. 10. 1. I. 24. 18. et al. Virg. Aen. IV. 22. sqq. Ov. Fast. II. 608. V. 496. et al. Prop. II. 23. 58. v. *Lara*.

Mercurii aqua fuit Romae extra Capenam portam ad viam Appiam, qua mercatores se suasque merces in Mercurii festis spargere atque lustrare solebant. Ov. Fast. V. 673. sq.

Merĭones, -ae, Molo Cretensis filius, Idomenei fortissimus amicus et in Troiano bello auriga. Hor. Od. I. 6. 15. I. 15. 26. Ov. Met. XIII. 359.

Mermessia, -ae, fuit nomen Sibyllae, sic dictae a Mermesso, vico in monte Ida. Tib. II. 5. 67.

Merŏe, -es, magna Aethiopiae insula, seu potius peninsula, inter Astapum et Astaboram,

Digitized by Google

Nili brachia, amplius 80 horis longa, fere 28 lata, in regno, quod hodie dicitur *Sennar* cum urbe eiusdem nominis. Hodie prope *Chandi*. Ov. Fast. IV. 570. Prop. IV. 6. 78.

Merŏpe, -es, Atlantis et Pleiones filia, quae, cum sororibus inter sidera relata, inter Pleiades propterea obscurissima fingebatur, quod sola e sororibus Sisypho, mortali viro, nupsit. Ov. Fast. IV. 175. v. *Sisyphus*.

Merops, -ŏpis, Clymenes Nymphae maritus, Phaëthontis pater habitus. Ov. Met. I. 763. II. 184. Trist. III. 4. 30. — Vocatur praeterea sic unus ex Aeneae sociis, a Turno in Italia caesus. Virg. Aen. IX. 702. (*).

Mesembriăcus, -a, -um, ad Mesembriam pertinens; quae fuit maritima urbs Thraciae, cui et hodie idem nomen est. Ov. Trist. I. 10. 37.

Messāla s. Mesalla (M. Valerius) Corvīnus, -ae, Romanus civis, qui eximia eloquentiae et philosophiae laude floruit, et post Bruti mortem, cuius partes secutus fuerat, multis rebus domi bellique egregie gestis, apud Augustum plurimum gratia valuit. Hor. Od. III. 21. 8. Sat. I. 10. 29., ubi *Corvinus*. Sat. I. 6. 42. Ep. II. 3. 371. Pseudo-Virg. Cir. 54. Cat. XI. 40. Ov. ex Pont. IV. 16. 43. et Tib. I. 1. 53., ubi *Messala* vocatur.

Messalīnus (M. Valerius), -i, Romanus civis, egregius vir, M. Valerii Messalae Corvini filius, qui A. U. DCCLI. Consul fuit, et Pannonico atque Dalmatico bellis multas praeclaras res gessit, moriensque cognomen suum Cottae fratri reliquit. Fuit autem Ovidio Nasoni familiaritate coniunctissimus. Ov. ex Pont. I. 71. 67. II. 2. 87. Tib. II. 5. 17.

Messāna, -ae, princeps Siciliae urbs, antea *Zancle* dicta, ad fretum Siculum contra Calabriam sita; hodie *Messina*. Ov. Fast. I. 595.

Messānĭus, -a, -um, in vel e Messana, ad Messanam pertinens. Ov. Met. II. 679. XII. 549. XIV. 17.

Messapĭus, -a, -um, in vel ex Messapia, vel ad Messapiam pertinens. Fuit autem *Messapĭa* regio in extrema Italia, inter Tarentum et Brundisium sita. Hodie eo loco est *Terra d'Otranto*. Ov. Met. XIV. 513. v. *Messapus*.

Messāpus, -i, Boeotius, qui per mare, (unde Neptuni filius dicitur,) ad Italiam delatus Iapygiam, Inferioris Italiae regionem,

(*) Potest vero etiam esse a recto *Merope*.

Digitized by Google

Messapiam vocavit. Fingitur in bello, quod Turnus adversus Aenean gessit, Etruriae populorum dux invulnerabilis. Virg. Aen. VII. 691. IX. 523. et al.

Messēne, -es, Peloponnesi urbs, in Messenia regione princeps, cuius incolae bello, quod pro libertate adversus Lacedaemonios gesserunt, nobilitati fuerunt; hodie nil ex ea superest. Ov. Met. VI. 417.

Messĭus Cicirrus, -i, Oscus, scurra, cuius meminit Hor. Sat. I. 5. 52. sqq.

Metăbus, -i, Priverni, Volscorum urbis, rex, qui in seditione a suis civibus electus, Camillam infantem, secum ductam, in silvis educavit et Dianae consecravit. Virg. Aen. XI. 540. 564.

Metanīra, -ae, Celei, Eleusinis regis, uxor, quae, dum Ceres Triptolemi corpus media nocte igni purgare et ipsum immortalem facere studet, somno excussa, filium ab igni rapuit et deae factum irritum reddidit. Ov. Fast. IV. 539. v. *Triptolemus*.

Metaurus, -i, Umbriae in Italia fluvius, Hasdrubalis clade nobilis; hodie *Metro*. Hor. Od. IV. 4. 38.

Metellus, -a, -um, Romanae familiae cognomen in gente Caecilia. Fuerunt autem nobiles:

Q. Caecilius Metellus, qui e collatis populi Romani donis Magnae Matri deorum templum exstruxit. Ov. Fast. IV. 348. 352.

L. Caecilius Metellus, Pontifex Max., qui quum Vestae aedes noctu exarsisset, Palladium, quod in ea custodiebatur, rapuit, et incolume servavit; incendio vero oculos amisit. Ov. Fast. VI. 444.

Q. Caecilius Metellus Macedonicus, quem Lucilius in satyris perstrinxit et laesit. Hor. Sat. II. 1. 67.

Q. Caecilius Metellus Celer, quo A. U. DCLXXXXIV. Consule, Romanorum principes Pompeius, Caesar et Crassus, reipublicae opprimendae consilium inierunt. Hor. Od. II. 1. 1. — Alii vero hoc loco *Q. Caecilium Metellum Pium* intelligi volunt, qui A. U. DCCI, quo tempore civile bellum inter Pompeium et Caesarem exarsit, Consul fuit.

Metella, mulier quaedam, quam poëtae sub falso Perillae nomine decantarunt. Ov. Trist. II. 438. Diversa ab hac est femina, ex cuius aure luxuriosus Aesopi filius unionem maximi pretii detractum et aceto dilutum absorpsit. Hor. Sat. II. 3. 239. v. *Aesopus*.

Metercus, -a, -um, e Metereis, vel ad Metereos pertinens; cum vero hic populus Geographis ignotus sit, alii legendum putant *Neureus*, q. v.

Methymna, -ae, celebris urbs insulae Lesbi, vino egregio, quod in eius agris nascebatur,

Digitized by Google

nobilis; hodie parvus vicus *Akerona* eodem fere loco est situs. Ov. Art. Am. I. 57.

Methymnaeus, -a, -um, in vel e Methymna, vel ad Methymnam pertinens, id. q. Lesbius. Hor. Sat. II. 8. 50. Virg. Ge. II. 90. Ov. Met. XI. 55. Prop. IV. 8. 38.

Methymnĭas, -ădis, quae in vel e Methymna est, Methymnaea puella. Ov. Her XV. 15.

Metiscus, -i, Turni in bello cum Aenea auriga, quem Iuturna, Turni soror, curru deiecit. Virg. Aen. XII. 469. sqq.

Metĭus, Maetĭus s. Mettĭus. Hor. Ep. II. 3. 87. v. *Tarpa.*

Metus (*) Fuffetĭus, -i, Albani populi dux, qui ob violatum foedus, Tulli Hostilii, Romanorum regis, iussu, duabus quadrigis distractus traditur. Virg. Aen. VIII. 642.

Mevania, -ae, Umbriae urbs, pascuis nobilis. Hodie *Bevagna.* Prop. IV. 1. 123.

Mezentĭus, -i, fuit Agyllae, Etruriae urbis, rex crudelissimus, qui a civibus regno expulsus ad Turnum confugit, eique adversus Aenean auxilium tulit, et in eo multis fortibus Troianis occisis, ipse Aeneae manu est interfectus. Virg. Aen. VII. 648. et al. Ov. Fast. IV. 881. sqq.

Midas, -ae, fuit Phrygiae rex, Gordii e Cybele filius, ab Orpheo Bacchi sacra doctus. Cui quum a Baccho, benigne hospitio recepto, concessum esset, ut quidquid optasset, voti compos fieret, quaecunque corpore attigisset, in aurum converterentur, optavit; quod ut stulte se petiisse sensit, quandoquidem etiam cibus et potus contacti aurum fierent, fame cruciatus Bacchum, ut munus auferret, supplex exoravit. Mox autem quum Phoebus et Pan inter se carmine certarent, iudex electus, Pana victorem pronuntiavit; quare Phoebus iratus ei asininas aures indidit; quod simulatque famulus tonsor vidit, tacere non potuit, sed humum effodiens in illa fovea clamavit, *Midas aures asininas habet;* deinde cooperta fovea temporis progressu arundines illic crevere, quae, vento motae, eadem verba reddidisse finguntur. Ov. Met. XI. 92. 162.

Milanĭon, -ŏnis, Atalantae Arcadicae, Iasi filiae, coniux. Ov. Am. III. 2. 29. Art. Am. 2. 188. Prop. I. 1. 9. v. *Atalanta.*

Milesĭus, -a, -um, in vel e Mileto, vel ad Miletum spectans. Virg. Ge. III. 306. IV. 334.

(*) Alii *Mettus* et *Metius*, sed male, uti videtur Drak. ad Liv. I. 23.

Digitized by Google

Milētis, -ĭdis, quae e Mileto est, vel ad Miletum pertinet.

Miletis, i. e. Byblis, Mileti filia. Ov. Met. IX. 634.

Miletis urbs, i. e. Tomis, Milesiorum colonia. Ov. Trist. 1. 10. 41.

Milētus, -i, celeberrima Asiae Minoris urbs, totius Iŏniae princeps, lana pretiosa nobĭlis, ex qua confectae vestes Veteribus summo in pretio fuere. Urbis autem incolae lascivis et corruptis moribus fuisse feruntur. Hodie parva urbs est, quae *Melasso* dicitur. Hor. Ep. 1. 17. 30. Ov. Trist. III. 9. 3. Habuit autem nomen a *Mileto*, Cretensi, Apollinis e Deïone filio, qui e Cyanee Byblida ac Caunum procreavit. Hic quum in adfectati regni suspicionem incidisset, Minoëm I., Cretae regem, metu liberare studens, in Asiae Minoris oram fugit ibique Miletum urbem condidit. Ov. Met. IX. 443. 446.

Milo et Milon, -ōnis, Pythagorae discipulus, Crotona urbe oriundus, Athleta tantae fortitudinis, ut in Olympico certamine taurum, nudae dextrae ictu occisum, per stadium in humeris portare sustinuerit, totumque uno die solus devoraverit. Quum autem senex, pristinis viribus nimis confidens, quercum, media parte hiantem, diducere et rescindere conaretur, arbor, deficientibus illius viribus, rursus se constrinxit, manusque inclusas tenuit, atque ita compressit, ut tandem lupis praeda fieret. Ov. Met. XV. 229. in Ibin 611. — Vocatur sic etiam Tyrannus Pisae in Elide, qui a civibus, servitutem perosis, in Alpheum flumen demersus fertur. Ov. in Ibin 327.

Milonĭus, ii. homo quidam, qui inebriatus saltabat. Hor. Sat. II. 1. 24.

Mimallŏnis, -ĭdis, id. q. Baccha, Bacchi sacerdos, a Thracico vocabulo, vel a Mimante, Iŏniae monte, nomen habens. Ov. Art. Am. 1. 541.

Mimas, -ntis, promontorium Iŏniae prope Colophonem. Hodie *Capo Stillari*. Ov. Met. II. 223. — Fuit praeterea Gigantis nomen, quem Iupiter fulmine percussit; attamen et inter Titanas refertur. Hor. Od. III. 4. 53. v. *Gigas*, *Titan*. — Vocatur praeterea sic Troianus, Amyci et Theanus filius, eadem nocte, qua Paris, natus; Aeneam post Troiam captam in Italiam secutus a Mezentio caesus est. Virg. Aen. X. 702. sqq.

Mimnermus, -i, poëta Graecus, egregius et suavis, Colophone, Iŏniae oppido, oriundus, Soloni aequalis atque amicus, qui pentametri inventor habetur, et ab Horatio Callimacho, a Propertio Homero in canendo de amore praefertur; ex eius

Digitized by Google

scriptis tantùm fragmenta exstant. Hor. Ep. I. 6. 65. II. 2. 101. Prop. I. 9. 101. —Vocatur sic etiam vir quidam, de quo non constat. Ov. in Ibin 550.

Mincĭus, -i, Cenomanorum in Venetia flumen, quod a Benaco lacu emissum, Mantuam urbem praeterfluens, in Padum effunditur; hodieque *Menzo* vocatur. Virg. Ecl. VII. 13. Ge. III. 15. Aen. X. 206.

Minerva, -ae, quae et Pallas dicta est, sine matre e Iovis cerebro, a Vulcano securi aperto, armata prosiluisse fingitur; a veteribus sapientiae, doctrinarum liberaliumque artium, in primis autem muliebrium operum, et olivae, tibiarum aliarumque rerum, inventrix atque dea, bellique praeses habetur. In coelo Iovi proximos honores occupare, et inde nonnunquam ipsum fulmen mittere traditur. Ob Paridis iudicium Troianis invisa Graecisque favens Troiam evertit. Virgo semper mansit, et depingitur truculento vultu, caesiis oculis, galeam in capite, dextra hastam, sinistra Aegida tenens, comae decore insignis. In eius honorem in primis XIX. Martii die, quo nata fingitur, a Romanis Quinquatrus per quinque dies continuos variis ludis celebrabantur, uti et XIX. Iunii die in Aventino monte ei sacra fiebant. Hor. Od. III. 3. 23. IV. 6. 13. Virg. Ge. IV. 246. et al. Ov. Her. V. 36. et saepe. Tib. I. 4. 26. Prop. I. 2. 30. et al.

Crassa Minerva, i. e. praecepta communis sensus, non autem philosophorum, sequens. Hor. Sat. II. 2. 3.

Invita Minerva, i. e. repugnante natura. Hor. Ep. II. 3. 385.

Minerva, i. e. lanificium. Virg. Aen. VIII. 409. Ov. Met. IV. 33.

Minervae bacca, i. e. oliva, a Minerva inventa. Ov. Met. VIII. 664.

Minervae promontorium fuit in extrema Campaniae ora prope Capreas insulam; hodie idem nomen servat. Ov. Met. XV. 709.

Minervae triste sidus, i. e. tempestas a Minerva concitata, qua Graecos a Troia redeuntes opprimeret. Virg. Aen. XI. 259.

Minĭo, -ōnis, parvus Etruriae fluvius, qui haud procul a Centumcellis defluens in mare effunditur; hodie *Mignone* dicitur. Virg. Aen. X. 183.

Minōis, -ĭdis, i. e. Ariadne, Minois II. filia. Ov. Her. XVI. 347. Art. Am. I. 509. Met. VIII. 174. Sab. ap. Ov. II. 47. Cat. LXIV. 60. 248. Tib. 3. 6. 41. Prop. II. 11. 7.

Minoĭus, contr. Minōus, -a, -um, a Mincŏ, vel ad Minoëm pertinens. Virg. Aen. VI. 14. Pseudo-Virg. Cir. 470. Ov. in Ibin 291. Prop. IV. 11. 21.

Digitized by Google

Minous Thoas, i. e. Ariadnes e Baccho filius. Ov. Her. VI. 114.

Minoia, i. e. Phaedra, Minois II. filia. Ov. Her. IV. 61.

Minoia virgo, i. e. Ariadne, Minois II. filia. Ov. Her. XVII. 193.

Minoia Creta, i. e. ubi Minos regnavit. Ov. Fast. III. 81.

Minos, -ōis, fuit Cretae rex, Iovis ex Europa filius, primus Cretensibus leges dedit, et quo iis maiorem conciliaret auctoritatem, ipsum Iovem in consilium adhibuisse fertur; ob iustitiam autem post mortem cum Rhadamantho fratre atque Aeaco apud inferos animarum iudex constitutus fingitur. Hor. Od. I. 28. 9. IV. 7. 21. Virg. Aen. VI. 432. Pseudo-Virg. Cul. 373. Ov. Am. III. 10. 41. Met. IX. 436. sqq. — Alter *Minos* prioris nepos, quocum confunditur (*), Lycasti ex Ida filius, etiam Cretensium rex, e Pasiphaë uxore Ariadnen, Phaedram, Androgeum Glaucumque procreavit; postea quum in Daedalo persequendo ad Siciliam classe delatus a Cocalo rege benigne exceptus esset, ab eius filiabus necatus fertur. Pseudo Virg. Cir. 111. Ov. Her. IV. 157. X. 91. Art. Am. II. 21. 25. Rem. Am. 453. Met. VII. 456. sqq. Cat. LXIV. 85. Prop. II. 23. 113. v. *Androgeus*, *Cocalus*, *Daedalus*, *Minotaurus*, *Scylla*.

Minotaurus, -i, monstrum, superiore corporis parte hominem, inferiore taurum referens, e Pasiphaë, in lignea vacca inclusa, et tauro natum. Quod ut absconderetur, Daedalus Minois iussu labyrinthum artificiose exstruxit, quo inclusus est. Ex foedere autem, quod Minos cum Atheniensibus victis inierat, quotannis septem iuvenes totidemque puellae Athenis in Cretam mittebantur, a Minotauro devorandi. Tertio vero anno Theseus, Aegei regis filius, huc sorte missus, Minotaurum interfecit, et ab Ariadne, Minois filia, fili ope, ad introitum relegati, adiutus e labyrintho evasit. Virg. Aen. VI. 26. Cat. LXIV. 79.

Minous, v. Mineïus.

Minturnae, -arum, Auruncorum urbs celeberrima in Campaniae confinio, ad Liris fluminis ostia prope Formias sita; hodie vix eius rudera supersunt. Hor. Ep. I. 5. 5. Ov. Met. XV. 716.

Minucĭus s. Minutĭus, -a, -um, nomen gentis Romanae.

Minucii via fuit Romae, et a Minucia porta per Sabinos ad Brundisium usque ducebat; strata videtur a L. Minucio Augurino (†). Hor. Ep. I. 18. 20.

(*) Ov. Met. VIII. 120.

(†) Cf. Liv. Hist. IV. 16. Alii *Numici* legunt; minus recte, ut videtur, cum illa via plane ignota sit.

Digitized by Google

Minўae, -arum, sunt Argonautae, sic dicti, vel quod eorum plurimi originem a Minyae regis filiabus ducere se gloriabantur, vel quod ipse Iāson dux Minyae neptem matrem habuit. Ov. Her. VI. 47. XII. 65. Met. VI. 720. VII. 1. 115. 120. Prop. I. 20. 4.

Minyeĭas, -ădis, et Minēis, -ĭdis, Minyae, Iölci in Thessalia regis, filia. Ov. Met. IV. 1. 32. sqq. v. *Leuconoë*.

Minyeĭus, -a, -um, a Minya, vel ad Minyan pertinens. Ov. Met. IV. 389.

Misēnus et Misenum, -i, Campaniae mons et promontorium, hodie idem nomen servans. Hor. Sat. II. 4. 33. Virg. Aen. VI. 234. Prop. I. 11. 4. quod sic dicitur a *Miseno*, Aeoli filio, Aeneae tubicine, ibi sepulto. Virg. Aen. III. 239. VI. 162. 164. Prop. III. 16. 3.

Mithridatēus, -a, -um, a Mithridate, vel ad Mithridatem pertinens.

Mithridatea nomina, i. e. Mithridatium regum. Fuerunt enim septem huius nominis, qui in Ponto regnarunt; e quibus ultimus, qui cum populo Romano diu vario Marte bellum gessit, a Sulla et Lucullo tandem victus mortem sibi conscivit, et maxime fuit inclytus. Ov. Met. XV. 755.

Mitylēne, -es, pulchra et princeps Lesbi insulae urbs, ab Aeoliis condita. Hodie *Metelin* vocatur. Hor. Od. I. 7. 1. Ep. I. 11. 17.

Mnemonĭdes, -dum, Musarum cognomen, a Mnemosyne, harum matre. Ov. Met. V. 268. 280. Cat. LXIV. 288.

Mnemosўne, -es, Coeli e Tellure filia, quae a Iove, pastoris forma adsumta, compressa est, et novem Musas uno partu edidit. Ov. Met. VI. 114.

Mnestheus, -ĕi, Troianus, ab Assaraco genus ducens, qui cum Aenea in Italiam venit, et Memmiae Romanae gentis auctor fuisse traditur. Virg. Aen. IV. 288. V. 116. sq. et al.

Molorchēus, -a, -um, ad Molorchum pertinens. Tib. IV. 1. 13.

Molorchus, -i, Arcadiae vinitor, cuius filius a leone Nemaeo interfectus est, et qui Herculem, ad leonem hunc interficiendum proficiscentem, in Cleonaeo agro parva casa hospitio excepit.

Molorchi luci, i. e. Nemaea silva. Virg. Ge. III. 19.

Molossus, -a, -um, a Molossis, vel ad Molossos pertinens. Fuerunt autem *Molossi* Epiri populus, eorumque canes acerrimi et venationi aptissimi laudantur. Hor. Epod. VI. 5. Virg. Ge. III. 405. Ov. Met. I. 226. Prop. IV. 8. 24.

Molossus rex, i. e. Munichus, Molossorum rex, qui quum tres filios unamque filiam haberet,

Digitized by Google

quumque noctu latrones ignem in domum iniecissent, a Iove cum liberis in aves mutatus fertur. Ov. Met. XIII. 717.

Monaeses, -is, Orodis, Parthorum regis, dux, qui M. Crassum imperatorem cum maiore Romani exercitus parte interemit. Vocatur autem ab historicis *Surena*, quo nomine is, qui apud Parthos secundum imperii gradum tenebat, appellari consuevit. Hor. Od. III. 6. 9.

Monēta, -ae, fuit aedes Iunonis Monetae in arce Tarpeia, quae, L. Furii Camilli votis exstructa, centum gradibus conscendebatur. Ov. Fast. I. 638. v. *Iuno Moneta.*

Mons Sacer, -tis, fuit prope Romam trans Anienem flumen, in Sabinorum finibus, tria millia passuum ab Urbe, quo plebs ob foeneratorum avaritiam et senatus superbiam secessit, quo facto *Tribuni plebis* creati sunt. Ov. Fast. III. 664.

Monoecus, -i, fuit portus cum promontorio in Liguriae ora prope Nicaeam urbem ab Hercule conditus, qui inde *Monoecus* cognominatus est. Hodie vocatur *Monaco.* Virg. Aen. VI. 831.

Montānus (Iulius), -i, Poëta Romanus elegiacus, cuius meminit Ov. ex Pont. IV. 16. 11.

Mopsopĭus, -a, -um, ad Mopsopiam pertinens, id q. Atticus, Atheniensis. Fuit enim *Mopsopia* antiquum Atticae regionis nomen. Ov. Met. VI. 423.

Mopsopius iuvenis, i. e. Triptolemus. Ov. Met. V. 661.

Mopsopia urbs, i. e. Athenae. Ov. Her. VIII. 72.

Mopsopia mella, i. e. ex floribus montis Hymetti in Attica. Tib. I. 7. 54. v. *Hymettus.*

Morīni, -orum, fuerunt extremae Galliae Belgicae populus ad fretum Britannicum. Virg. Aen. VIII. 727.

Morpheus, -ĕi, Somni dei filius, qui varias formas in dormientum animis excitat, quoscunque hominum vultus fingit, et eorum verba, mores atque gestus, imitari traditur. Ov. Met. XI. 635. 647. 671.

Moschus, -i, Pergamenus rhetor, Horatii tempore, quem veneficii reum Asinius Pollio et Torquatus, summi eius temporis oratores et caussidici, defenderunt. Hor. Ep. I. 5. 9.

Mosȳni, -orum, qui etiam *Mosynoeci* dicuntur, populus ad Tanaim et Pontum Euxinum. Tib. IV. 1. 146.

Mucĭus (Q.) Scaevŏla, -i, Romanus iurisconsultus eloquentissimus, A. U. DCXX. Consul, cuius meminit Hor. Ep. II. 2. 89. Pseudo-Virg. Cul. 364.

Mulcĭber, -ĕri et -ĕris, Vulcani, ignis dei, cognomen. Virg. Aen. VIII. 724. Art. Am. II. 562. et saepe. Hinc et pro

Digitized by Google

igni ponitur. Ov. Met. IX. 263. 422. XIV. 533.

Mulvĭus, -i, Horatii parasitus et scurra. Hor. Sat. II. 7. 36.

Munatĭus, -i, iuvenis quidam e Tiberii comitibus, cuius meminit Hor. Ep. I. 3. 31.

Munychĭus, -a, -um, in vel e Munychia, ad Munychiam pertinens, id. q. Atticus. Fuit autem *Munychia* pars Athenarum cum portu eiusdem nominis. Ov. Met. II. 709.

Muraena. v. Proculeius.

Musa. Hor. Ep. I. 15. 3. v. *Antonius Musa*.

Musa, -ae, una e Musis. Fuerunt autem *Musae* novem Iovis e Mnemosyne filiae; Clio, Euterpe, Thalia, Melpomene, Terpsichore, Erato, Polyhymnia, Calliope et Urania, quae poëticae, musicae ceterisque liberalibus disciplinis, praeerant, ita tamen, ut suum cuique carminum genus, et officia tributa, et ex eadem illa caussa ipsae a poëtis invocatae fuerint, qui iis sacri earumque sacerdotes dicuntur. In Parnaso monte praecipue habitare ibique choreis et cantu, Apolline praeside, exerceri finguntur. Hor. Od. I. 26. 1. et al. Virg. Ge. II. 475. et al. Ov. Am. III. 8. 23. et al. Prop. I. 8. 41. Unde quoque *Musa* saepissime pro ipso cantu, *carmine* et *ingenio poëtico* usurpatur. Hor. Od. I. 17. 13. IV. 8. 28. 29. et al. Virg. Ecl. I. 2. VI. 8. VIII. 1. et al. Ov. Art. III. 15. 19. Art. Am. III. 330. et saepe. Cat. LXV. 3. Prop. II. 1. 35.

Musaeus, -i, Eumolpi filius, Atheniensis, antiquissimus et egregius poëta, Orphei discipulus, cuius scripta perierunt. Virg. Aen. VI. 667.

Mutĭna, -ae, Cisalpinae Galliae urbs in via Aemilia, in qua quum D. Brutus ab Antonio obsessus esset, Octavianus una cum Hirtio ac Pansa Coss. hunc fugavit urbemque ab obsidione liberavit; hodie *Modena* vocatur. Ov. Met. XV. 823. Prop. II. 1. 27.

Mutinensis, -e, in vel e Mutina, ad Mutinam pertinens. Ov. Fast. IV. 627.

Mutĭus s. Mucĭus, q. v.

Mutusca, -ae, Trebulae, in Sabinis urbis, cognomen. Virg. Aen. VII. 711. v. *Trebula*.

Mycāle, -es, promontorium et urbs Ioniae inter Maeandrum et Caystrum fluvios e regione Sami insulae. Ov. Met. II. 223. — Est quoque hoc nomine Thessala mulier venefica e Lapithis, mater Orii, qui in pugna cum Centauris caesus est. Ov. Met. XII. 263.

Mycēna, -ae, et Mycēnae, -arum, Argolidis in Peloponneso magna divesque urbs, non procul ab Argis, Iunoni sacra, in qua Agamemnon regnavit; hodie ex ea nil superest. Hor.

Digitized by Google

Od. I. 7. 9. Virg. Ge. III. 121. Aen. V. 52. et al. Ov. Her. VII. 165. et al. Prop. III. 17. 19.

Mycenaeus, -a, -um, in vel e Mycenis, ad Mycenas pertinens. Prop. II. 18. 32.

Mycenaeus, et *Mycenaeus ductor* s. *dux*, i. e. Agamemnon, Mycenarum rex. Virg. Aen. XI. 266. Ov. Her. III. 109. Am. II. 8. 12. Trist. II. 400. cf. Her. V. 2.

Mycenaea manus, i. e. Menelai, Helenae coniugis. Ov. Her. V. 2.

Mycēnis, -ĭdis, i. e. Iphigenia, Agamemnonis filia, Mycenis nata. Ov. Met. XII. 34.

Mycŏnos et Mycŏnus, -i, una e Cycladibus Aegaei maris insulis, inter Delum et Icariam sita; hodie *Mycone* s. *Micouli* vocatur. Virg. Aen. III. 76. Ov. Her. XXI. 81. Met. VII. 463.

Mygdonĭdes, -ae, i. e. Coroebus, Mygdonis filius. Virg. Aen. II. 342.

Mygdonĭus, -a, -um, in vel e Mygdonibus, vel ad Mygdones pertinens, saepe id. q. Phrygius. Hic enim populus e Mygdonia, Macedoniae regione prope Thraciam, oriundus, in Asiam transiit, et in Phrygiae parte prope Troadem consedit, fuitque opibus atque divitiis nobilis. Hor. Od. II. 12. 22. III. 16. 41. Ov. Her. XX. 106. Met. II. 247. Prop. IV. 6. 8.

Mygdonium marmor. Ov. Her. XV. 142. v. *Phrygius lapis*.

Mygdŏnis, -ĭdis, quae est e Mygdonia.

Mygdonides nurus, i. e. Lydiae, quae regio Mygdoniae contermina erat. Ov. Met. VI. 45.

Mylĕus, -a, -um (*), a Mylis, vel ad Mylas pertinens. Fuerunt autem *Mylae* Siciliae urbs in peninsula eiusdem nominis, haud procul a Peloro promontorio; hodie *Milazzo*. Ov. Met. XIII. 684.

Myrmidŏnes, -um, Thessaliae populus, Achillis ad bellum Troianum comes, qui originem ex Aegina insula ducebat. Iovem enim, quum Aegina pestilentia incolis fere exhausta esset, Aeaci precibus motum, formicas, Graeco vocabulo *myrmidones* dictas, in viros mutasse fabulantur. Virg. Aen. II. 7. 252. 785. XI. 403. Ov. Met. VII. 654.

Myron s. Myro, -ōnis, fuit insignis statuarius, Eleutheris, Boeotiae oppido, oriundus, qui aereis vaccis, quas veris simillimas fecerat, maxime nobilitatus est. Ov. Art. Am. III. 219. ex Pont. IV. 1. 34. Prop. II. 23. 7.

(*) Mss. prope omnes *Nileus*, unde Heins. legere maluit *Nileos*, i.e. Nilei filius. Fortassis rectius legitur *Lydius*, uti in argumento est: *Myles* enim urbs facit *Mylaeus*, *Mylēus*, non autem *Mylĕus*; verumtamen versus sic legi potest: *Myleus, longo et caelaverat argumento.*

Digitized by Google

Myrrha s. Smyrna, -ae, Cinyrae e Cenchreide filia, quae amore in patrem incensa cum eo inscio concubuit. Qua turpitudine detecta, in Arabiam profugit, ibique in *myrrham* arborem mutata, nihilominus *Adonin* peperisse fingitur. Pseudo-Virg. Cir. 238. Ov. Art. Am. I. 285. Rem. Am. 100. Met. X. 310. 318. Prop. III. 17. 16.

Myrtăle, -es, libertina, Horatii amica. Hor. Od. I. 33. 14.

Myrtōus, -a-, um, ad Myrtoum mare pertinens; quod fuit Aegaei maris pars procellosa inter Cretam, Peloponnesum, Atticam atque Euboeam, nomen habens a Myrto, parva insula haud procul ab Euboea; vel uti in fabulis est, a *Myrtilo*, Oenomai auriga, qui a Pelope in illud mare demersus fuit. Hor. Od. I. 1. 14. Ov. Her. XVI. 208. in Ibin 372. v. *Pelops*.

Mus, -yos, Graecus, artificiosa caelatura nobilis. Prop. III. 7. 14.

Myscēlos, -i, Alcmonis filius, qui Herculis iussu Argis, patria urbe, profectus in Italiam venit ibique Crotonam urbem condidit. Ov. Met. XV. 20.

Mysĭa, -ae, Asiae Minoris regio, occidentem versus ad mare sita, in maiorem et minorem divisa, et agrorum fertilitate veteribus admodum nobilis. Virg. Ge. I. 102.

Mysĭus, contr. Mysus, -a, -um, in vel e Mysia, vel ad Mysiam spectans, Mysiae incola. Hor. Epod. XVII. 10. Virg. Ge. IV. 370. Ov. Art. Am. III. 196. Met. XV. 277. Prop. I. 20. 20.

Mysus dux et *iuvenis*, i. e. Telephus, Mysorum rex. Ov. ex Pont. II. 2. 26. Prop. II. 1. 65.

Mysa gens, i. e. Moesica. Fuit autem *Moesia* Europae regio inter Haemum montem et Danubium, Pannoniae adiacens, quae ob Graecam pronunciationem cum Mysia confunditur (*). Ov. ex Pont. IV. 9. 77.

Mystes, -ae, fuit puer, quem T. Valgius Rufus filii loco habuit. Hor. Od. II. 9. 10. v. *Valgius*.

(*) Cf. Cell. Geogr. ant. L. II. c. 8. in Moesia.

Digitized by Google

N.

Nabataeus, (*) -a, -um, is vel e Nabataea, vel ad Nabataeam spectans. Fuit autem *Nabataea* Arabiae Petraeae regio inter Babylonem et Arabiam Felicem. Ponitur pro totius Orientis finibus. Ov. Met. I. 61. V. 163.

Naevius (CN.), -i, poëta Latinus, e Campania oriundus, primo bello Punico stipendia meruit ipsumque bellum carmine celebravit. Scripsit praeterea fabulas, in quibus quum in civitatis principes multa esset invectus, Romae in vincula coniectus, mox urbe expulsus, Uticae in Africa vixit, et ibi A. U. DXLVIII. mortuus traditur. Eius scripta, e quibus hodie pauca tantum fragmenta supersunt, Horatii tempore maxime fiebant. Hor. Ep. II. 1. 53. — Est etiam hoc nomine quidam Romae in hospites inurbanus. Hor. Sat. II. 2. 68.

Naïas, -ădis, et Nais, -ĭdis, fontis, vel fluminis nympha. Hor. Od. III. 25. 14. Virg. Ecl. II. 6. 621. et al. Ov. Her. XV. 162. et al. Confunduntur nonnunquam Naïades cum Hamadryadibus. Ov. Fast. IV. 231. Met. I. 690. Prop. II. 23. 96. et Nereidibus. Ov. Met. XIV. 557., uti et cum Oreadibus. Virg. Ecl. X. 10., ut Naïades simpliciter pro nymphis poni videantur.

Naïda Bacchus amat, i. e., aquam, adeoque vinum aqua misceri debet. Tib. III. 6. 57.

Naides sorores sunt Musae, Pseudo-Virg. Cul. 19.

Napaeae, -arum, vallium earumque saltuum nymphae, in quibus vivere fingebantur. Virg. Ge. IV. 535.

Nar, -is, fluvius, sulphurea aqua notus, qui ex Apennino monte in Umbriae confinio oriens, Velinum flumen recipit, et praecipiti cursu in Tiberim emittitur. Hodie *Nera* vocatur. Virg. Aen. VII. 517. Ov. Met. XIV. 330.

Narcissus, -i, Cephisi fluvii e Liriope nympha filius, tanta formae praestantia, ut, cum aliquando bibiturus ad fontem accessisset, suae conspectae imaginis amore captus, tabescendo

(*) Alii *Nabathaeus*, quod minus recte videtur; constanter enim legitur Ναβαταῖος cf. Strabo L. XVI. p. 760. 767. sqq. Steph. Byz. et Suidas in voce.

Digitized by Google

in sui nominis florem mutatus referatur. Ov. Fast. V. 225. Met. III. 346.

Narycius,-a,-um, in vel e Naryce, vel ad Narycem spectans. Fuit autem *Narycium* s. *Naryx* Graeciae urbs in Locride, e qua incolarum pars in Italiam profecta Locros, celeberrimam in Bruttiis urbem, condidit. Virg. Aen. III. 399.

Narycius heros, i. e. Aiax, Oïlei filius, quo duce Locrenses e Graecia in Italiam venerunt. Ov. Met. XIV. 468.

Narycia (*urbs*), i. e. Locri, urbs in Bruttiis; hodie *Girace*. Ov. Met. XV. 705.

Narycia pix, i. e. Locrorum in Bruttiis, quae veteribus notissima fuit. Virg. Ge. II. 438. v. *Sila*.

Nasamoniăcus,-a,-um, ad Nasamones pertinens. Fuerunt autem *Nasamōnes* Africae populus in Cyrenaica. Ov. Met. V. 129.

Nasīca. Hor. Sat. II. 5. 57. 65. 67. v. *Coranus*. — Est quoque huius cognominis *P. Cornelius Scipio Nasica*, Cn. Scipionis Calvi filius. Hic iuvenis a senatu optimus iudicatus, qui Magnam deum Matrem s. Cybelen, ex Asia Romam advectam, a mari in Palatium deferret huius deae templi auctor exstitit, quod eo loco faciendum locarunt M. Livius et C. Claudius Censores, quodque M. Iunius Brutus, tredecim annis post, quam locatum erat, hoc Scipione Consule dedicavit. Ov. Fast. IV. 347. v. *Cybele*.

Nasidiēnus (Rufus),-i, Romanus eques, homo novus, ut videtur, qui, magna pecunia sibi comparata, laute vivebat, et ob convivium, quo Maecenatem exceperat, ab Horatio salse irridetur et perstringitur. Sat. II. 8. 1. sqq.

Naso,-ōnis, Ovidii cognomen. v. *Ovidius*. — Item homo impurus, cuius meminit Catullus CXII.

Natta,-ae, homo quidam sordide avarus, cuius meminit Hor. Sat. I. 6. 124.

Naupactōus,-a,-um, in vel e Naupacto, vel ad Naupactum spectans. Fuit autem *Naupactus* s. *Naupactum* extrema Aetoliae urbs in Corinthiaci sinus ora; hodie *Lepanto*. Naupactous autem latiore significatione vocatur *Achelous*, utpote qui fluvius in Acarnaniae fine fuit, qua Aetoliam tangit. Ov. Fast. II. 43.

Nauplĭădes,-ae, i. e. Palamedes, Nauplii filius. Ov. Met. XIII. 39. 310. in Ibin 621.

Nauplius s. Nauplios,-i, fuit Euboeae rex, Neptuni ex Amymone filius, Palamedis pater. Sab. ap. Ov. I. 76. Prop. IV. 1. 115. v. *Caphareus*.

Nautes,-ae, senex Troianus, a Pallade vaticinandi artem

Digitized by Google

doctus, qui post eversam Troiam Aenean in Italiam secutus traditur. Virg. Aen. V. 704. 728.

Naxĭus, -a, -um, in vel ex Naxo, ad Naxum pertinens.

Naxia Turba, i. e. Bacchantes. Prop. III. 15. 28.

Naxos, -i, antea *Dia* dicta, fertilissima Aegaei maris Cycladum insula, haud procul a Paro, in qua Bacchus in primis cultus fuit; hodie idem nomen servat. Virg. Aen. III. 125. Ov. Art. Am. II. 79. Met III. 636. Prop. III. 15. 27.

Neaera, -ae, Nympha quaedam, a Xantho, Asiae Minoris flumine, amata. Ov. Am. III. 6. 28. — Est praeterea nomen diversarum puellarum ap. Hor. Od. III. 14. 21. Epod. XV. 11. Virg. Ecl. III. 3. Tib. III. 1. 6.

Neaethus, -i, flumen magnae Graeciae s. inferioris Italiae; haud procul a Crotona urbe, quod hodie *Neto* dicitur. Ov. Met. XV. 51. (*).

Neapŏlis, -is, nobilis Campaniae urbs maritima, ab Augusto sic dicta, cum antea *Parthenope* vocaretur. Huc Romani, regionis amoenitate invitati, otiandi caussa proficisci solebant; hodie idem nomen servat. Hor. Epod. V. 43.

Nearchus, -i, formosissimus puer, a Pyrrho amatus, cuius mentio fit apud Hor. Od. III. 20. 6.

Neleus, -ĕi, Neptuni e Tyro nympha filius, qui a Pelia fratre Iolco, Thessaliae urbe, expulsus in Messeniam profugit, ubi Pylo urbe condita, Chloridem, Amphionis filiam, uxorem duxit, e qua duodecim filios procreavit, qui una cum patre praeter Nestorem, natu maximum, ab Hercule interfecti sunt. Laudantur eius egregia armenta. Ov. Met. II. 689.

Neleĭus, contr. Nelēus, -a, -um, a Neleo, vel ad Neleum pertinens. Ov. Her. VI. 3. Met. VI. 418.

Neleïus, i. e. Nestor, Nelei filius. Ov. Met. XII. 558. et 577.

Nelĭdae, -arum, sunt Nelei filii. Ov. Met. XII. 553.

Nemeaeus et Nemēus, -a, -um, in vel e Nemea, vel ad Nemeam pertinens. Fuit autem *Nemĕa* Peloponnesi vicus in Argolide, inter Cleonas et Phliuntem urbes, cum silva et rupe, ubi Hercules immanis magnitudinis leonem interfecit. Virg. Aen. VIII. 295.

Nemeaea pestis, vel *moles*, i. e. leo Nemeaeus. Ov. Her. IX. 61. Met. IX. 197.

Nemeaeum vellus, i. e. leonis Nemeaei. Ov. Met. IX. 235.

Nemĕsis, -is, dea scelerum ultrix, quae et *Adrastea* et *Rhamnusia* dicitur. Ov. Am. III.

(*) Alii h. l. *Neretum* legere malunt, quod vid. infra.

Digitized by Google

9. 31. 53. Art. Am. III. 536. Cat. L. 20. v. *Rhamnusia.*—Fuit etiam Tibulli puella, quam rus abduxerant, quapropter multa dira ruri precatur. Tib. II. 3. 51. et al.

Nemorensis, -e, in vel ex nemore Aricia, ad nemus Ariciam pertinens, in quo lacus, Dianae sacer, et Dianae templum fuit. Prop. III. 21. 25.

Neoclīdes, i. e. Themistocles, Neoclis filius, Atheniensis, nobilis imperator, qui Xerxem, Persarum regem, consilio vicit; mox ostracismo e civitate eiectus, Argos habitatum concessit: deinde proditionis falso damnatus in Asiam fugit, ibique initis cum Artaxerxe ad patriam opprimendam consiliis, vitam, quam hactenus decore egerat, turpiter finivit. Ov. ex Pont. I. 3. 69.

Neoptolĕmus, -i, Pyrrhi, Achillis filii, cognomen. Virg. Aen. II. 263. sqq. Ov. Her. VIII. 82. 115. et al. v. *Pyrrhus.*

Neoptolemi regna, i. e. Epirus. Virg. Aen. XI. 264.

Nephĕle, -es, Nympha e Dianae consortio, uti etiam Hyale, et Rhanis. Ov. Met. III. 171.

Nephelēis, -ĭdos, i. e. Helle, Nepheles et Athamantis filia. Ov. Met. XI. 195.

Neptunīne, -es, i. e. Thetis, pulcherrima dea marina, in Neptuni regno sive mari degens. Cat. LXIV. 28.

Neptunĭus, -a, -um, a Neptuno, vel ad Neptunum pertinens, Neptuno sacer. Virg. Aen. IX. 523. XII. 128.

Neptunius heros, i. e. Theseus, Neptuni ex Aethra filius habitus. Ov. Her. IV. 109. XVII. 21. Met. IX. 1.

Neptunius dux, i. e. Sex. Pompeius, Pompeii Magni filius, qui rebus bene mari gestis Neptuni filium se mentitus est. Hor. Epod. IX. 7.

Neptunius incola, i. e. Polyphemus, Neptuni filius. Tib. IV. 1. 56.

Neptunia coniux, i. e. Amphitrite, Pseudo-Virg. Cir. 483.

Neptunia Troia, et *Neptunia Pergama* et *moenia*, i. e. a Neptuno et Apolline, Laomedonti suam operam Iovis iussu locantibus, muris cincta. Virg. Aen. II. 625. III. 3. Ov. Her. III. 151. Fast. I. 525. Prop. III. 7. 41.

Neptunia proles. i. e. *Hippomenes*, Megarei filius, Neptuni nepos. Ov. Met. X. 665. vel *Cycnus*, Neptuni e Calyce filius. Ov. Met. XII. 72.

Neptunia arva, i. e. mare. Virg. Aen. VIII. 695.

Neptunia vincula sunt Troiae moenia. Cat. LXIV. 368.

Neptūnus, -i, Saturni e Rhea s. Ope filius, Iovis et Plutonis frater, deus et rex maris habitus, in imo mari regiam habere fingitur; et hinc pro *ipso mari* saepe ponitur. Hor. Epod.

Digitized by Google

VII. 3. Virg. Ge. IV. 29. et al. Ov. Am. II. 16. 27. et al. Terra tridenti percussa, primus equum protulit; Troiae moenia, quae cum Apolline exstruxerat, a Laomedonte pacta mercede fraudatus diruit, periurumque poenis affecit. Ex Amphitrite uxore solum Tritonem et Rhoden; in varias autem formas mutatus e multis feminis ingentem liberorum numerum procreavit. Fingitur a veteribus currui insidens, tridentem scepiri loco tenens. Hor. Od. I. 5. 15. I. 28. 29. et al. Virg. Ge. I. 13. et al. Ov. Her. XIII. 129. Am. II. 16. 22. et al.

Neptunus uterque, i. e. qui stagnis et mari praeest, sive dulci et salsae aquae. Cat. XXXI. 3.

Nerēis et Nerēis, -idis, Nympha marina, Nerei e Doride filia, quae quinquaginta numero fuisse et belluis marinis vesci traduntur. Hor. Od. III. 28. 10. Virg. Aen. III. 74. et al. Ov. Her. V. 57. Am. II. 12. 36. et al. Cat. LXIV. 15. Prop. II. 20. 15.

Nereis, i. e. a) Thetis, Achillis mater. Ov. Met XI. 259. Tib. I. 5. 45. v. *Thetis*. b) Psamathe, Phoci mater. Ov. Met. XI. 380. c) Galatea. Ov. Met. XIII. 749.

Nereide satus, i. e. Achilles, Thetidis filius. Ov. Met. XII. 93.

Nereĭus, -a, -um, a Nereo, vel ad Nereum spectans. Virg. Aen. IX. 102.

Nereïus nepos, i. e. Achilles, Nerei nepos. Hor. Epod. XVII. 8.

Nereïus iuvenis, i. e. Phocus, Psamathes Nymphae filius, Nerei nepos. Ov. Met. VII. 685.

Nereïa genetrix, i. e. Thetis, Nerei filia, Achillis mater. Ov. Met. XIII. 162.

Nerētum, -i, Salentinorum oppidum, haud procul a Tarento situm, quod hodie *Nardo* vocatur. Ov. Met. XV. 51. (*).

Nereus, -ĕi et -ĕos, deus marinus antiquissimus, fatidicus, Oceani et Tethyos filius, qui e Doride quinquaginta Nymphas, a patris nomine Nereides dictas suscepit, et in Aegaeo mari sedem habere fingitur. Hor. Od. I. 15. 5. Virg. Ecl. VI. 35. Ge. IV. 392. Aen. X. 764. Ov. Met. XIII. 742. Prop III. 5. 33. Ponitur etiam pro ipso *Neptuno*. Virg. Aen. II. 419. Fortasse huc quoque referri potest. Ov. Her. III. 74. Am. II. 11. 39. Saepe pro ipso *mari* usurpatur. Ov. Her. IX. 14. Met. I. 187. sqq. Tib. IV. 1. 58. Prop. IV. 6. 25.

Nerei filia, i. e. Thetis. Virg. Aen. VIII. 383.

Nerīne, -es, id. q. Nereis.

(*) Alii *Neaethum* legunt, q. v. supra.

Digitized by Google

Virg. Ecl. VII. 37.

Neritius, -a, -um, in vel e Nerito, vel ad Neritum spectans, Ov. Met. XIII. 712. XIV. 159. Nonnunquam id. q. ad Ulyssem pertinens. Ov. Rem. Am. 264. sqq.

Neritius dux, i. e. Ulysses, Neriti rex. Ov. Trist. I. 5. 57. Fast. IV. 69.

Neritos, -i, parva insula, vel potius rupes haud procul ab Ithaca, pars regni Ulyssis, unde hic Neritius vocatur. Virg. Aen. III. 271.

Nerius, -i, fuit Horatii tempore famosus foenerator, cuius meminit Hor. Sat. II. 3. 69.

Nero, -ōnis, familiae cognomen in gente Claudia. v. *Claudius*.

Nero et *Neronum maior*, i. e. Tib. Claudius Nero, postea Imperator, Hor. Od. IV. 14. 14. Ep. I. 8. 2. II. 2. 1, et al. Alb. ad Liv. ap. Ov. 85. sqq.

Nerones sunt Tib. Claudius Nero. et Drusus Nero Germanicus, Tib. Claudii Neronis et Liviae Drusillae filii, Caes. Augusti privigni. Hor. Od. IV. 4. 28. Alb. ad Liv. ap. Ov. 1. sqq. v. *Drusus*.—Vel est Neronum familia, e qua C. Claudius Nero fuit, qui secundo bello Punico Hasdrubalem ad Metaurum fluvium ingenti clade affecit. Hor. Od. IV. 4. 37.

Nersae s. Nursae, -arum, Aequorum oppidum, de cuius tamen situ hodie non constat. Virg. Aen. VII. 744.

Nesaee, -es, Nympha matina, Nerei e Doride filia, e Cyrenes consortio. Virg. Ge. IV. 338. Aen. V. 826. Prop. II. 20. 16.

Nessēus, -a, -um, a Nesso, vel ad Nessum pertinens. Ov. Her. IX. 163. Met. IX. 153. XII. 454. v. *Deianira*.

Nessus, -i, Centaurus, qui quum Deïaniram rapere vellet, ab Hercule venenata sagitta confossus periit. Eius autem sanguis, inde veneno imbutus, postea Herculi mortis caussa fuit. Hor. Epod. XVII. 32. Ov. Her. IX. 142. 161. Met. IX. 101. sqq. v. *Deianira*.

Nestor, -ŏris, fuit Pyliorum rex, Nelei e Chloride filius natu maximus, qui, quum Hercules patrem ceterosque fratres interfecisset, in patris regnum successit, et ex Anaxibia Antilochum aliosque procreavit liberos. Quum vero deinde Pirithoi, Lapitharum regis, nuptiis interesset, adversus Centauros, pugnae caussam inferentes, fortiter pugnavit; postea iam ducentos annos natus (*), Graecos adiutum cum nonaginta navibus Troiam

(*) Ab Homero Il. α. v. 250. tertiam γενεὰν, i. e., ut Cicero de Senect. c. X. interpretatur, *tertiam hominum aetatem*, vivere dici-

Digitized by Google

profectus in senectute prudentia et eloquentia se venerabilem praestitit, et capta urbe se in patriam recepit, ibique anno aetatis trecentesimo mortuus traditur. Hor. Od. I. 15. 22. et al. Ov. Her. I. 38. 63. Art. Am. II. 736. Fast. III. 533. et al. Tib. IV. 1. 49. Prop. II. 10. 46.

Nestorĕus, -a, -um, a Nestore, vel ad Nestorem pertinens.

Nestorea Pylos, i. e. ubi Nestor regnavit. Sab. ap. Ov. I. 118.

Neureus. v. Metereus.

Nileus, -ĕi, unus e Persei inimicis, qui se Nili filium mentiebatur; a Perseo autem in lapidem conversus est. Ov. Met. V. 187.

Niliăcus, -a, -um, ad Nilum pertinens, id. q. Aegyptius. Ov. Art. Am. III. 318.

Nilōtes, -ae, i. q. Aegyptius; innuitur vero vir quidam Prop. IV. 8, 39.

Nilus, -i, Aegypti flumen, quod septem ostiis in mare immittitur, et quotannis certo tempore circa solstitium aestivum, totam regionem inundans, limo inde relicto terram foecundissimam reddit. In eius ora papyrus arbuscula nascebatur, e qua veteres chartam conficiebant; fontes autem fluminis plane antiquis incogniti fuerunt, et an nostro tempore *Brucius* (†), in Abyssiniam penetrans, eos revera detexerit, adhuc dubitant nonnulli. Hor. Od. III. 3. 48. IV. 14. 46. Virg. Ge. II. 9. IV. 288. Aen. VI. 801. et al. Ov. Her. XIV. 107. et al. Tib. I. 7. 22. Cat. II. 8. Prop. II. 1. 31. II. 21. 20.

Ninus, -i, antiquus Assyriae rex, Semiramidis coniux. Ov. Met. IV. 88.

Niobaeus, -a, -um, a Niobe, vel ad Nioben pertinens. Hor. Od. IV. 6. 1.

Niŏbe, -es, s. Nioba, -ae, Tantali filia, quae Amphioni, Thebarum regi, nupta septem filios totidemque filias peperit. Quum autem copiosa prole superbiens Latonam contemsisset, ab Apolline et Diana, matris iniuriam ulciscentibus, eius liberi sagittis sunt confossi. Mox ipsa tanti doloris impatiens in saxum conversa fingitur, quod vento

tur, quam secundum Didymi scholia ad Homeri locum triginta annorum spatium veteres computarunt; ut adeo Nestor nonaginta annos explevisset. Ovidius vero vocem γενεάς, indefinite positam, respiciens, Nestori trecentorum annorum vitam, tanquam Heroicae vitae magis accommodatam, adsignavit.

(†) V. eius iter in Abyssiniam, Batave versum. Part. II. L. 6. sect. 5. et in primis adnotat. Vid. DORN SEIFFEN, *Handboek der Algem. Geschied.* I. D. bl. 30.

Digitized by Google

in Sipylum, Phrygiae Maioris et Lydiae montem, ubi nata erat Niobe, translatum, ibi perpetuo flere creditur. Ov. Am. III. 12. 31. Met. VI. 148. sqq. Prop. II. 16. 7. III. 8. 8.

Niphātes, -ae, saxosa Tauri montis pars in Armenia Maiore, hodie *Curdo*, e cuius radicibus Tigris fluvius exoritur, qui inde etiam hoc nomine dictus fuisse videtur. Virg. Ge. III. 30. Alii autem Niphaten pro Armeniae Maioris incolis dictum volunt. Quum enim Artaxias crudeliter regnaret, et Armenii ab Augusto auxilium peterent, Artaxias propinquorum insidiis interfectus est; Tiberius vero cum exercitu eo missus Tigranem, Artaxiae fratrem, in regnum deduxit, quare Niphates et cum hoc Armenia in populi Romani potestatem redacta fertur. Hor. Od. II. 9. 20.

Nireus, -ĕi, fuit Naxi insulae rex, Charopi ex Aglaia filius, omnium Graecorum ducum, qui ad Troiam oppugnandam profecti sunt, pulcherrimus. Hor. Od. III. 20. 15. Epod. XV. 22. Ov. Art. II. 109. ex Pont. IV. 13. 16. Prop. III. 16. 27.

Nisa, -ae, perfida Damonis pastoris amica. Virg. Ecl. VIII. 18.

Nisaeĭus et Niseĭus, a Niso, vel ad Nisum pertinens. *Nisaei canes*, i. e. Scylla, Phorci filia, marinum monstrum, Ov. Fast. IV. 500. Poëtae in duabus Scyllis, Phorci et Nisi filiabus, diversos fingendi modos secuti, etiam utriusque nomina inter se confuderunt. v. *Scylla*.

Niseia virga, i. e. a) Scylla, Nisi filia, in cirrum avem conversa, Pseudo-Virg. Cir. 390. Ov. Met. VIII. 35. b) Scylla, Phorci filia. Sab. ap. Ov. I. 33.

Nisĭus, -ĭdis, i. e. Scylla, Phorci filia, monstrum marinum. Ov. Rem. Am. 737.

Nisŭas, -ădis, femina e Megara, Siciliae urbe, Megarensium in Graecia, quorum rex Nisus fuit, colonia. Ov. Her. XV. 54.

Nisus, -i fuit Megarensium rex, Pandionis II., Atheniensium regis, filius, Scyllae pater. Hic quum vel ob Androgeum filium, ab Atheniensibus caesum, vel quod Polyidum, qui ex Creta aufugerat, hospitio exceperat, a Minoë II. obsideretur, Scylla, huius amore incensa, patris dormientis purpureum *crinem*, quo incolumi, urbs ex Oraculi responso capi non posset, abscidit, atque Minoi obtulit, qui hoc modo urbe potitus est. Nisus vero a Iove in haliaeeton, s. aquilam marinam, mutatus fingitur. Virg. Ge. I. 404 sqq. Pseudo-Virg. Cir. 112. Ov. Art. Am. I. 331. Rem. Am. 68. Met. VIII. 8. sqq. Tib. I. 4. 63. Prop. III. 17. 24. v. *Scylla*.

Digitized by Google

Nisi Scylla, audacius pro Phorci filia usurpatur. Virg. Ecl. VI. 74. v. *Nisaei canes.*

Nisus, -i, Hyrtaci filius, Troianus, qui Aenean in Italiam secutus cum Euryalo, fidelissimo amico, a Troianis noctu missus, ut Aenean, in Etruria copias parantem, de suorum periculo certiorem redderet, in Rutulorum excubias incidit, eorumque magno numero trucidato, tandem cum amico periit. Virg. Aen. V. 294. IX. 176. sqq.

Nixi, -orum, tres dii, qui parturientibus praeesse credebantur, atque una cum Lucina invocabantur. Eorum signa, a M. Acilio e Syria Romam advecta, in Capitolio, ante Minervae cellam, genubus nixa erant posita. Ov. Met. IX. 294.

Noctŭinus, -i, homo odiosus, qui Atilii, vinolenti hominis, filiam uxorem ducit; in hunc est Pseudo Virg. Cat. III. IV.

Nomădes, -um, olim dicti fuerunt omnes ii populi, qui stabiles sedes non habentes loca mutare solebant, ut sibi gregibusque pabulum quaererent; praesertim vero hoc nomine intellexerunt Graeci eosdem Africae populos, quos Latini *Numidas* appellarunt. Virg. Aen. IV. 320. 535. et al.

Nomas, i. q. Numida. Prop. IV. 7. 45. v. *Numidae.*

Nomentanus, -i, homo voluptuosus et luxuriosus, Nasidieni parasitus. Hor. Sat. I. 1. 102. et saepe.

Nomentum, -i, fuit urbs in Sabinis ad Anienem fluvium, haud ¼ procul ab Ereto oppido, unde Nomentana via Romam ad Portam Viminalem ducebat; hodie vicus eo loco idem nomen servat. Virg. Aen. VI. 773. VII. 712. Ov. Fast. IV. 905.

Nonacrīnus et Nonacrĭus, -a, -um, id. q. Arcadicus. Fuit enim *Nonăcris* Arcadiae mons cum oppido eiusdem nominis. Ov. Fast. II. 275. Met. I. 690.

Nonacrius heros, i. e. Euander. Ov. Fast. V. 97.

Nonacria, i. e. Atalanta, Iasi filia. Ov. Met. VIII. 426. cf. Art. Am. II. 105.

Nonacrina virgo, i. e. Callisto. Ov. Met. II. 409.

Nonius, -ii (Struma), Romanus, honoribus, quos gessit, indignus. Cat. LII. 3.

Norĭcus, -a, -um, e Norico, vel ad Noricum pertinens. Fuit autem *Norĭcum* Illyrici pars ad Danubium, inter Vindeliciam Pannoniamque iacens, praestantissimo ferro nobilis. Hodie eo loco praecipuae sunt regiones hae: *Austria*, *Stiria*, *Carniola*, *Carinthia*, *Bavariae* et *Comitatus Tirolensis* pars. Hor. Od. I. 16. 14. Epod. XVII. 71. Virg. Ge. III. 474. Ov. Met. XIV. 712.

Digitized by Google

Novĭus, -i, libertinus, Tribunus plebis. Horatius autem duorum hoc nomine fratrum mentionem infert, quorum minor ad Marsyae statuam foenerari solebat. Hor. Sat. I. 3. 21. VI. 40. 121.

Novum Comum, urbs in Gallia Cisalpina, a Gallis condita, quo Romani coloniam deduxerunt, unde *Novum* cognominatur. Cat. XXXV. 3.

Nubigĕnae, -arum, dicuntur Centauri, quod Ixionis et Nubis, in quam se Iuno mutaverat, filii finguntur. Ov. Met. XII. 211. 541.

Numa Pompilius, -ae, fuit secundus Romanorum rex, iustitia et pietate insignis, qui e Curibus, Sabinorum urbe, oriundus, quadraginta annos pacato regno usus est. Hor. Ep. I. 6. 27. II. I. 86. Ov. Am. II. 17. 18. Fast. I. 43. III. 300. et al. Prop. IV. 2. 60. v. *Egeria*. — *Numae* praeterea vocatur duo Rutuli, quorum alter in nocturna Nisi et Euryali expeditione caesus est. Virg. Aen. IX. 454., alterum Aeneas in fugam vertens persecutus est. Virg. Aen. X. 562. — Est quoque *Numa* subtilis poëtae nomen, de quo non constat. Ov. ex Pont. IV. 16. 10.

Numae coniux, i. e. Egeria nympha. Ov. Fast. III. 262. 276.

Numantĭa, -ae, nobilis et opulenta Tarraconensis Hispaniae urbs prope Durii fluminis fontes sita, quae A. U. DCXXI. a Cornelio Scipione Africano minore post viginti annorum obsidionem non prius, quam cum uxoribus et liberis semet oppidani occidissent, capta et deleta est; unde victor Numantini cognomen accepit. Hodie fere eo loco est *Soria*. Hor. Od. II. 21. 1.

Numantĭnus, -a, -um, in vel e Numantia, vel ad Numantiam pertinens. Ov. Fast. I. 596. Prop. IV. 11. 30. v. *Numantia*.

Numānus, v. Remulus.

Numicii Via, rectius pro eo est Minucii via. v. *Minucius*.

Numicĭus, contr. Numīcus, -i, parvus Latii fluvius, inter Laurentum et Lavinium decurrens, et se in mare Inferum exonerans. Hodie *Rivo di Remi* Italis dicitur. In hoc Anna, Didus soror, et Aeneas perierunt. Virg. Aen. VII. 150. 242. 797. Ov. Fast. III. 647. 653. Met. XIV. 328. Tib. II. 5. 43. — Est quoque *Numicii* nomine Horatii amicus, in omni vitae genere inconstans, ad quem est Hor. Ep. I. 6.

Numĭda (Plotius), -ae, Romanus civis, Cantabrico bello Augusti comes, Horatii amicus. Hinc ut A. U. DCCXXX. post trium annorum absentiam rediit, Horatius ei felicem reditum gratulatur. Od I. 36.

Digitized by Google

Numĭdae, -arum, Numidiae populi. Fuit autem *Numidia* Africae regio ad mare mediterraneum, inter Mauritaniam, Africam propriam et Libyam; hodie *Bugiae* et *Constantinae* regna eo loco sunt. Hor. Od. III. 11. 47. Virg. Aen. IV. 41. Ov. Fast. I. 595. et al.

Numĭdus, -a, -um, in vel e Numidia, ad Numidiam pertinens. Ov. Art. Am. II. 183. *Numida dens*, i. e. ebur; elephantorum enim in Africa interiore copia est. Ov. ex Pont. IV. 9, 28.

Numĭtor, -ōris, fuit Albae rex, Procae filius, Amulii frater maior, a quo tamen regno expulsus est, donec Romulus et Remus, ex Ilia filia nepotes, Amulio interfecto, avum in regnum restituerint. Virg. Aen. VI. 768. Ov. Fast. IV. 53. et al.—Vocatur sic etiam Rutulus, Phorci filius, qui cum Turno adversus Aeneam stetit. Virg. Aen. X. 342.

Numonĭus Valla (C.), -i, -phe, -es, una e nymphis. Fuerunt autem in fabulis *Nymphae* deae minores, quae ubique in aqua et in terra vivere credebantur, et, licet longissimam haberent vitam, nihilominus tandem moriebantur; dividebantur autem in *aquaticas* et *terrestres*. Aen. VII. 716.

Nyctelĭus, -i, Bacchi cognomen, quod eius sacra nocte peragebantur (*), Pseudo-Virg. Cul. 110. Ov. Art. Am. I. 567. Met. IV. 15.

Nyctēis, -ĭdis, i. e. Antiopa, Nyctei, Neptuni filii, in Boeotia regis, filia, quae a Iove, in Satyrum mutato, compressa, Amphionem ac Zethum geminos peperit. Ov. Met. VI. 111. Prop. I. 4. 5.

Nycteus, -ĕi et -ĕos, Antiopes pater. Prop. III. 13. 12. v. *Nycteis*—Unus e Diomedis sociis, a Venere in avem mutatus. Ov. Met. XIV. 504.

Nyctimĕne, -es, Epopei, Lesbiorum regis, filia, quae cum patre concubuit; quod ut facinus esse cognovit, in silvis se abdidit, et Minervae miseratione in noctuam mutata fingitur, quae pudoris caussa interdiu latet. Ov. Met. II. 590. 593.

Nympha, -ae, et Nym-

(*) A Graeco νυκτελιεῖν, noctu peragere. Hinc Virg. *nocturnum Bacchum* dixit, Ge. IV. 521., ubi alii *nocturna orgia Bacchi* minus recte legunt, uti videtur Heyne in var. Lectt. l. l.

Digitized by Google

Porro pro diversis locis, quibus praecesse, vel in quibus vivere putabantur, varia nomina sortitae fuerunt. *Oceanitides* et *Nereides*, Oceani atque Nerei filiae dicebantur, quae mari; *Naïades* s. *Naides* et *Potamides*, quae fluminibus fontibusque; *Oreades*, quae montibus; *Napaeae*, quae vallibus et harum saltibus; *Dryades*, quae silvis; *Hamadryades*, quae arboribus praeerant, et in iis vivere putabantur. Finguntur aliae in Dianae, aliae in Gratiarum et Veneris fuisse consortio; item Satyrorum Bacchique comites. Hor. Od. I. 1. 31. I. 4. 6. I. 30. 6. II. 8. 13. II. 19. 3. Virg. Ecl. II. 46. et saepe. Ov. Her. V. 83. et al. Cat. LXIV. 17. Prop. I. 20. 11. et al. — Vocantur praeterea sic *nobiliores feminae*. Ov. Her. I. 27., uti *Omphale*. Ov. Her. IX. 103.; et *Helena*. Ov. Her. XVI. 126. Interdum pro *aqua* ponitur. Prop. II. 23. 49. III. 14. 4. III. 21. 26.

Nysa, -ae, Indiae mons et urbs, quo Bacchus a Mercurio Iovis iussu delatus in antro educatus fingitur. Virg. Aen. VI. 806.

Nysaeus, -a, -um, ad urbem vel montem Nysam pertinens; i. q. Bacchicus. Prop. III. 15. 22.

Nyseïdes et Nysiădes, -um, vocantur nymphae Nysae montis, quae Bacchi nutrices fuisse feruntur. Ov. Fast. III. 769. Met. III. 314.

Nyaeus, -ĕi, Bacchi cognomen, quod adeptus est a Nysa, Indiae monte, in quo eductus fuit. Ov. Met. IV. 13.

Nysigĕna, -ae, in monte Nysa natus. Cat. LXIV. 253.

Digitized by Google

O.

Oarĭon, i. q. *Orion*. Cat. LXVI. 94. v. *Orion*.

Oaxes, -is, Cretae insulae fluvius, de quo nihil amplius constat. Alii hunc non in Creta, verum in Mesopotamia, fuisse contendunt, Virgiliumque ideo eum memorasse, quo rusticam pastorum simplicitatem ostenderet, utpote qui in locis enumerandis facile falli potuerint. Virg. Ecl. I. 66.

Oceanītis, -ĭdis, Oceani e Tethye filia, quarum filiarum numerus circiter trium millium fuisse fingitur. Virg. Ge. IV. 341.

Oceănus, -i, Titan, Coeli e Tellure filius, qui e Tethye Titanide Oceanitides nymphas Fluviosque procreavit, unde *nymphārum genitor* vocatur. Habetur autem maris deus. Pseudo-Virg. Cir. 392. Ov. Met. II. 510. et al. Cat. LXXXVIII. 6. saepe pro *ipso mari* ponitur. Hor. Od. I. 3. 22. I. 35. 32. et al. Virg. Ge. I. 246. et al. Ov. Fast. V. 82. III. 415. et saepe. Cat. LXVI. 68. Prop. II. 7. 68. et al.

Oceanus pater rerum dicitur ex eorum placitis, qui humidum ex aqua orta putarunt (*). Virg. Ge. IV. 382.

Ocnus, -i, Bianoris cognomen, Tiberis et Mantus nymphae filii. Virg. Aen. X. 198. v. *Bianor*. — Vir quidam, qui a Socrate pictore pingebatur funes torquens, quos continuo arrodebat asellus adstans, et nihilominus tantae erat inertiae, ut asellum non abigeret, sed potius continuo irrito labore se fatigaret; quam poenam Arethusa imprecatur illi, qui primus castra invenit. Prop. IV. 3. 21. (†).

Ocreăta s. Ocriăta, -ae, Servii Tullii, sexti Romanorum regis, mater. Haec enim Corniculo, Latii urbe, a Romanis expugnato, captiva Romam abducta et in Tarquinii Prisci aula serva facta, ibi e Vulcano Servium Tullium peperisse fingitur, cui postero tempore Tarquinia Tarquinii Prisci filia, nupsit. Ov. Fast. VI. 627.

Octavĭa, -ae, fuit Caesaris Augusti soror, quae Marcellum filium, cum immatura morte obiis-

(*) Cf. *Hom. Il.* 14. 200. *Aristot. de anim.* I. 2. 5.
(†) Vid. de *Ocno* PLIN. H. N. XXXV. 2.

set, admodum deflevit. Alb. ad Liv. ap. Ov. 441. v. *Marcellus.*

Octavĭus, -i, iuvenis, Horatii amicus, qui multis inclaruit scriptis, sed immatura morte decessit; quis autem fuerit, non constat. Hor. Sat. I. 10. 82. Pseudo-Virg. in Cul. 25. Cat. XIV. 1.

Ocyrŏe, -es, Chironis et Charicles nymphae filia, quae vaticinandi perita, Aesculapio atque patri fata praedicere volens, in equam mutata traditur. Met. II. 638. sqq.

Odessus, -i, Moesiae Inferioris urbs cum portu, ad Pontum Euxinum sita; hodie *Varna.* Ov. Trist. I. 10. 37.

Odītes, -ae, Aethiops, secundus a rege, qui in Persei nuptiis a Clymeno occiditur. Ov. Met. V. 97. — Item Centaurus, quem in Pirithoi nuptiis Mopsus interfecit. Ov. Met. XII. 457.

Odrysĭus, -a, -um, ex Odrysis, vel ad Odrysas pertinens, id. q. Thracius. Fuerunt enim *Odrysae* nobilis et potens Thraciae gens, ad Hebrum fluvium. Ov. Am. III. 12. 32. ex Pont. I. 8. 15.

Odrysius rex et *tyrannus*, i. e. Tereus, Thraciae rex. Ov. Rem. Am. 459. Met. VI. 490.

Odrysius dux, i. e. Rhesus, rex Thraciae. Ov. Art. Am. II. 130.

Odrysius, i. e. Polymestor s. Polymnestor, Thraciae rex. Ov. Met. XIII. 554.

Odyssēa, -ae, Homeri carmen epicum, quod maritimos Ulyssis, Troia in patriam redeuntis, errores continet. Ov. Trist. II. 375.

Oeagrĭus, -a, -um, ab Oeagro, vel ad Oeagrum pertinens, saepe id. q. Thracius. Virg. Ge. IV. 524.

Oeagrius Haemus, i. e. ab Oeagro rege nomen habens, et Oeagrius dictus. Ov. Met. II. 219.

Oeāgrus, -i, fuit Thraciae rex, qui e Calliope, Musarum una, Orpheum suscepit. Prop. II. 23. 31.

Oeagri Calliopeaque rurus, i. e. Eurydice, Orphei uxor, quae anguis morsu interiisse fertur. Ov. in Ibin 484.

Oebalĭdes, -ae, unus ex Oebali posteris. Dicitur sic a) Hyacinthus, Oebali filius. Ov. Met. X. 196. in Ibin 590. v. *Hyacinthus.* b) Castor et Pollux, Tyndarei filii, Oebali nepotes. Ov. Fast. V. 705. Fuit autem *Oebălus* Beneris filius, Spartae rex, qui e Batea Naide, Tyndareum, Hippocoontem aliosque procreavit.

Oebălis, -ĭdis, femina ex Oebali posteris. Vocatur sic Helena, Tyndarei filia, Oebali neptis. Ov. Her. XVI. 126.

Oebalides matres sunt Sabinae; Sabini enim, antiqua Italiae gens, Lacedaemoniorum fuere colonis,

Digitized by Google

quorum rex Oebalus, qui ipsam Laconiam a se Oebaliam vocavit. Ov. Fast. III. 230.

Oebalĭus, -a, -um, ab Oebalo, vel ad Oebalum pertinens, saepe id. q. Spartanus.

Oebalius Titus, i. e. Titus Tatius Sabinus. Ov. Fast. I. 260. v. *Oebalides matres*.

Oebalia arx, i. e. Tarentum urbs, a Spartanis duce Phalanto expugnata et occupata. Virg. Ge. IV. 125. v. *Lacedaemonius*.

Oebalia pellex, i. e. Helena. Ov. Rem. Am. 458. v. *Oebalis*.

Oebalium vulnus, i. e. Hyacinthi. Ov. Met. XIII. 396. v. *Oebalides*.

Oebălus, -i, Telonis e Sebethide nympha filius, qui Capreis, patris regno, non contentus, in Italiae continenti extremam Campaniae partem occupavit; deinde bellum cum Aenea gessit. Virg. Aen. VII. 734.

Oechalĭa, -ae, fuit Euboeae insulae urbs, haud procul ab Eretria, quae ab Hercule, denegata sibi Iole, Euryti regis filia, quam amabat, vi expugnata et deleta est. Virg. Aen. VIII. 291. Ov. Her. IX. 1. 130. Met. IX. 136. ex Pont. IV. 8. 62.

Oechălis, -ĭdis, femina ex Oechalia urbe. Ov. Met. IX. 331.

Oeclīdes, -ae, i. e. Amphiaraus, Oeclei filius, unus e Calydonii apri venatoribus. Ov. Met. VIII. 317. Art. Am. III. 13.

Oĕclus, -i, Centaurus, ab Ampyce Lapitha in Pirithoi nuptiis occisus. Ov. Met. XII. 450.

Oedipodionĭus, -a, -um, ab Oedipode, vel ad Oedipodem pertinens.

Oedipodioniae Thebae, i. e. quarum rex Oedipus fuit. Ov. Met. XV. 429.

Oedĭpus, -i et -ŏdis, Laii ex Iocasta filius, Thebarum rex, qui ex Iocasta matre Eteoclem, Polynicem, Ismenen et Antigonen, procreavit. Namque pater se a filio aliquando necatum iri Oraculo monitus, Oedipum exposuit; hic autem a Polybo, Corinthi rege, educatus parentes inquisiturus Apollinis oraculum adiit, a quo responsum ferens, ne in patriam rediret, quod patrem occideret, matrem uxorem duceret, in Boeotiam se contulit, ibique in itinere Laïum, ei obvium factum, rixa cum huius praecone exorta, inscius interemit. Deinde ut Thebas venit, in cuius vicinia multi in dies Thebani a Sphinge interficiebantur, Creon, qui Laïo successerat, illi, qui Sphingis aenigma solvisset, regionemque a monstro liberasset, regnum se cum Iocasta sorore daturum promisit; id quod cum Oedipus fecisset, Iocastam matrem imprudens du-

Digitized by Google

xit uxorem. Postea autem re cognita oculis se ipse privavit, regnum filiis tradidit, et cum Antigone in exsilium profectus est. Ov. Trist. I. 1. 114.

Oeneus, -ĕi, Parthaonis filius, Calydonis in Aetolia rex, ex Althaea Meleagrum, Deïaniram aliosque, procreavit; e Periboea vero, altera eius coniuge, Tydeum suscepit. Qui quum omnibus diis, excepta Diana, annua sacra fecisset, dea irata aprum immani magnitudine, qui Calydonios agros vastaret, misit, quem Meleagros cum delectis Graeciae ducibus interfecisse narratur. Ov. Her. IX. 154. Met. VIII. 274. 486.

Oenēus, -a, -um, ab Oeneo, vel ad Oeneum pertinens. Ov. Met. VIII. 281.

Oenides, -se, unus ex Oenei posteris: sic dicitur a) Meleagros, Oenei filius. Ov. Her. III. 92. IV. 99. Met. VIII. 414. v. *Meleagros*. b) Diomedes, Tydei filius, Oenei nepos, Dauni, Apuliae regis, gener, Pseudo-Virg. Cat. 116. (*) Ov. Fast. IV. 76. Met. XIV. 512, Alb. ad. Liv. 110.

Oenōne, -es, nympha, Cebrenis fluvii filia, prior coniux Paridis, e quo peperit Corythum, qui cum a matre missus esset, ut patrem ab Helenae amore revocaret, ab hoc ipso occisus traditur. Ov. Her. V. 3. sqq.

Oenopĭa, -ae, fuit vetus Aeginae insulae nomen. Ov. Met. VII. 472. sq. v. *Aegina*.

Oenopĭus, -a, -um, ad Oenopiam insulam pertinens. Ov. Met. VII. 490.

Oenotrĭus contr. Oenōtrus, -a, -um, ex Oenotria, vel ad Oenotriam pertinens, id. q. Italus. Fuit autem *Oenotria* inferioris Italiae tractus, quem Pelasgi, Oenotro duce, incoluerunt; unde postea tota Italia hoc nomine appellata fuit (†). Virg. Aen. I. 532. (536.) III. 165. VII. 85.

Oeta, -ae, s. Oete, -es, altus mons, s. potius montes, qui Graeciam a Thessalia separant, et longo tractu a Maliaco sinu occidentem solem versus procurrunt; hodie *Bunina*. Virg. Ecl. VIII. 30. Pseudo-Virg. in Cul. 202. Cir. 350. Ov. Her. IX. 147. Met. II. 217. sqq.

Oetaeus, -a, -um, in vel ex Oeta, vel ad Oetam pertinens. Ov. Met. VII. 223. IX. 249. Cat. LXVIII. 54. Prop. I. 13. 24.

Oetaeus et *Oetaeus deus* est

(*) Rectius h. l. a Cl. Heyne *Alcides* legitur.
(†) Cf. Cluv. Ital. ant. p. 1325., in primis Cl. Heyne Exc. XXI. ad L. I. Aen. Virg.

Digitized by Google

Hercules, quod, veneno tunicae, Nessi sanguine tinctae, in furorem actus, se in Oeta monte combussit. Ov. Fast. VI. 519. in Ibin 349. Prop. III. 1. 32.

Oetaeus rex, i. e. Ceyx, rex Trachinis, Thessaliae urbis sub Oeta monte. Ov. Met. XI. 383.

Oetéos ignes noctifer ostendit, i. e. Hesperus lucem ostendit a monte Oeta, sive ortus est. Cat. LXII. 7.

Ogygĭus, -a, -um, ab Ogyge, vel ad Ogygem pertinens, id. q. Thebanus. *Ogŷges* autem Thebarum in Boeotia conditor et rex fuisse fertur. Pseudo-Virg. Cir. 220.

Ogygius deus, i. e. Bacchus, quod Thebis natus narratur. Ov. Her. X. 48.

Oīleus, -ĕi et -ĕos, fuit Locridis rex, paterque eius Aiacis, qui in Palladis templo Cassandram vitiasse traditur. v. *Aiax*.

Oīlei s. *Oīleos Aiax*, i. e. Oilei filius. Virg. Aen. I. 41. (45.) Ov. Met. XII. 622.

Oīlīdes, -ae, i. e. Aiax, Oilei filius, Sab. ap. Ov. I. 101. Prop. IV. 1. 117.

Oleăros s. Olĭăros, -i, maris Aegaei insula, una e Cycladibus, haud procul a Paro. Virg. Aen. III. 126. Ov. Met. VII. 469.

Olenĭus, -a, -um, in vel ex Oleno, ad Olenum pertinens. Fuit autem *Olenus* Achaiae urbs, inter Patras et Dymen sita, quam hodie *Canigrizam* putant. Ov. Fast. V. 251.

Olenia capella s. *Olenium pecus* dicitur in fabulis capra, quae Iovem sua lacte nutrivit; vel quod Amalthea, Nympha Cretensis, cuius illa capra fuit, Oleni filia a nonnullis habetur; vel quia ipsa capella ad Olenum, Achaiae urbem nata, postea Amaltheae propria facta est, et sic in Cretam venit. Ov. Her. XVIII. 188. Fast. V. 113. Met. III. 594. v. *Amalthea*.

Olēnos, -i, Iovis ex Anaxithia filius, Oleni, Achaiae urbis, conditor, cum uxore Lethaea in Ida monte in lapidem conversus est. Ov. Met. X. 69. v. *Lethaea*.

Olympiăcus, Olympĭcus s. Olympĭus, -a, -um, ab Olympiae ludis, vel ad Olympiae ludos pertinens. Fuit autem *Olympia* locus haud procul a Pisa urbe, in Elide regione, ubi celeberrimum Iovis Olympii templum cum luco erat, in cuius honorem quinquagesimo quoque mense Olympici ludi, ad quos universa Graecia confluebat, per quinque dies celebrari solebant. Victores autem, oleaginea fronde coronati palmaque donati, nominis sui gloriam per totam Graeciam illustrabant. Plerumque ab Hercule instituti, et post longam temporis intermissionem ab Iphito renovati creduntur. Viginti sep-

Digitized by Google

tem annos ante Romam conditam Graeci per Olympiadas annos numerare coeperunt. Hor. Od. I. 12. Virg. Ge. III. 49.

Olympia magna coronari, i. e. in Olympicis ludis; id quod ad summum gloriae fastigium evehebat. Hor. Ep. I. 1. 50.

Olympĭas, -ădis, fuit apud Graecos quattuor annorum spatium, ab Olympicis ludis ita vocatum, qui, quod post singulos quinquaginta menses, s. quinto quoque anno ineunte, edebantur, a Romanis poëtis lustris, i. e. quinque annorum spatio, adaequati fuerunt. Ov. ex Pont. IV. 6. 5. (*). v. *Olympiacus*.

Olympus, -i, Thessaliae mons, Ossae et Pelio montibus vicinus, et bello, quod Gigantes adversus Iovem gesserunt, nobilis; hodie *Lacha*. Virg. Ge. I. 282. Ov. Fast. I. 307. III. 442. Met. I. 154. II. 225. VII. 225. Fingebatur autem tam excelsus, ut vertice coelum tangeret. Unde poëtae Olympum deorum sedem fecerunt, nec raro pro *coelo* posuerunt. Hor. Od. I. 12. 58. Virg. Ecl. V. 56. VI. 86. Ge. III. 223. et al. Ov. Met. I. 212. et saepe. Tib. I. 6. 83. et al. Cat. LXII. 1. Prop. II. 129.

Olympus omnipotens, i. e. Iovis omnipotentis sedes. Virg. Aen. X. 1.

Olympi omnipotentis rex, i. e. Iupiter omnipotens. Virg. Aen. XII. 791.

Olympus, -i, musicus tibiarum cantum a Marsya Satyro doctus. Ov. Met. VI. 393. ex Pont. III. 3. 42.

Omphăle, -es, Lydiae regina, cuius amore Hercules ita captus fuit, ut ei serviret, et lanam etiam duceret; ex ea autem Lamum procreavit filium. Prop. III. 9. 17.

Onchestĭus, -i, dicitur Megareus, Onchesti filius, Neptuni nepos Hippomenisque pater. Ov. Met. X. 605.

Opheltes, -ae, unus e Tyrrhenis piratis, qui a Bacchi in delphines mutati narrantur. Ov. Met. III. 605. — Sic quoque vocatur Euryali pater. Virg. Aen. IX. 201.

Ophĭas, -ădis, i. e. Combe, Ophii filia. Ov. Met. VII. 383.

Ophiŏnĭdes, -ae, i. e. Amycus, Ophionis filius. Ov. Met. XII. 245.

Ophiusĭus, -a, -um, ad Ophiusiam, i. e. Cyprum (†), pertinens. Ov. Met. X. 229.

(*) Cf. Trist. IV. 10. 95.

(†) Quomodo Cyprus sit *Ophiusia* dicta, certo non constat. Telchines autem, qui, mari inundante, ut refert Diod. Sic. V. 55.,

Digitized by Google

Oppidĭus (Servius), -i, Romanus civis, divos, qui Aulum et Tiberium filios, ne in vitia, alter avaritiae, alter luxuriae, incidant, monet. Hor. Sat. II. 3. 168.

Ops, -pis, eadem, quae *Rhea* et *Cybele*, Coeli et Terrae filia, Saturni uxor. Ov. Fast. VI. 285. Met. IX. 497. et al. Tib. I. 4. 68. v. *Cybele*.

Opuntĭus, -a, -um, in vel ex Opunte, ad Opuntem pertinens. Hor. Od. I. 27. 10.

Opus, -untis, fuit Graeciae urbs in Locride, ad sinum Opuntium, Patrocli patria. Ov. ex Pont. I. 3. 73.

Ora s. Hora, -ae, dicta est post mortem Hersilia, Romuli, primi Romanorum regis, uxor, et hoc nomine insignita, iuventutis dea culta fuit. Ov. Met. XIV. 851. v. *Hersilia*.

Orbilĭus (Pupillus), -i, fuit Grammaticus, Benevento oriundus, qui Romae iuventutem docuit, et ob acerbitatem, qua in discipulis erudiendis usus est, *plagosus* est dictus. Floruit autem Ciceronis tempore. Hor. Ep. II. 1. 71.

Orbĭus, -i, dives Romanus, qui vero ex agris non multum fructus habuisse videtur. Hor. Ep. II. 2. 160.

Orchămus, -i fuit Achaemeniorum s. Persarum rex, qui Leucotheen filiam, a Sole vitiatam, vivam sepeliri iussit. Ov. Met. IV. 212.

Orchomĕnos, -i, Peloponnesi oppidum in Arcadia, haud procul a Methydrio situm; hodie nihil ex eo superest. Ov. Met. V. 607. VI. 416.

Orcus, -i, qui etiam *Dis pater* s. *Pluto* vocatur, fuit deus in locis inferis, ubi regnum tenere credebatur. Hinc pro *morte*. Hor. Od. II. 3. 24. III. 27. 50. Ep. II. 2. 178., et *ipsis locis inferis* ac *Tartaro* ponitur. Hor. Od. I. 28. 10. III. 4. 75. et al. Virg. Ge. I. 277. et al. Tib. III. 3. 38. Prop. III. 17. 27. v. *Pluto*.

Orci satelles s. *portitor*, i. e. Charon. Hor. Od. II. 18. 34. Virg. Ge. IV. 502.

Orci ianitor, i. e. Cerberus. Virg. Aen. VIII. 296.

Orĕas, -ădis, id. q. nympha montana. Fuerunt autem *Oreades* nymphae, quae, Dianae comites, in montibus degere fingebantur. Virg. Aen. I. 500. (504.) Ov. Met. VIII. 787. v. *Nympha*.

Orestes, -ae et -is, Agamemnonis, Mycenarum regis, e Clytaemnestra filius, Electrae et Iphigeniae frater, qui patris ne-

Rhodum, antea Ophiusam dictam, reliquerunt, in Cyprum profecti etiam hanc insulam *Ophiusam* vocasse videntur. Cf Strabo XIV. p. 651., qui Telchines e Cypro in Rhodum abiisse narrat.

Digitized by Google

cem ulturus matrem cum Aegistho adultero interfecit. Ob quod parricidium a Furiis agitatus ab Apolline responsum accepit, se, si e Taurica Chersoneso Dianae signum abstulisset, ab insania liberatum iri. Quo ubi cum Pylade, fidelissimo amico, pervenit, ad Thoantem regem ambo adducti, Iphigeniae sacerdoti Dianae immolandi traduntur; quae quum fratrem cognovisset, cum his clam navem conscendit, atque ita Dianae simulacrum Ariciam in Latium translatum est (*). Mycenas autem postquam Orestes rediit, et Hermionen, Helenae e Menelao filiam, antea sibi in matrimonium promissam, Pyrrho, Achillis filio, nupsisse audivit, hunc Delphis, cum ad aram, a se patri consecratam, sacra faceret, occidisse dicitur. Exstat de Oreste adhuc Euripidis tragoedia. Hor. Sat. II. 3. 133. Ep. II. 3. 124. Virg. Aen. III. 331. IV. 471. Ov. Her. VIII. 9. 15. sqq. Prop. II. 22. 5. v. *Agamemnon* rell.

Orestēus, -a, -um, ad Orestem pertinens.

Orestea dea, i. e. Diana. Ov. ex Pont. I. 2. 80. cf. Met. XV. 489. v. *Orestes.*

Oricŭus s. Orĭcus, -a, -um, ex Orico, vel ad Oricum pertinens. Virg. Aen. X. 135. Prop. I. 8. 20. III. 5. 63.

Orĭcus, -i, fuit Epiri urbs cum amplo portu ad Ionium sinum, haud procul ab Antigonia, ubi *terebinthus* arbor, cuius lignum nigrum erat, nascebatur. Hodie *Orcha.* Hor. Od. III. 7. 5.

Orīgo, -ĭnis, fuit mima, et mulier impudica, a Marsaeo quodam amata. Hor. Sat. I. 2. 55.

Ōrīon, -ŏnis et -ōnis, Boeotius, Hyriei filius (*), fuit insignis venator tam prodigiosae proceritatis, ut, quum per mare incederet, caput super undas emineret. Quum autem Dianae stupri iniuriam adferre conaretur, dea eum sagitta transfixit (†) et inter sidera retulit; eiusque sidus, quod armatum cum ense, clarissimis stellis fulgente, fingunt, Iunio mense oriens et sub Novembris finem occidens, mare procellosum reddere credebatur. Hor. Od. I. 28. 21. II. 13. 39. et al. Virg. Aen. I. 535. (539.) III. 517. et al. Ov. Art. Am. I.

(*) Serv. ad Virg. Aen. II. 116. Aliter narrant Hyg. f. 120., et plerique Graecorum. Cf. Paus. I. 33. II. 31. et al.

(*) De eius absurdis natalibus v. Ov. Fast. V. 495. sqq. Apoll. vero eum Neptuni ex Euryale filium dicit.

(†) Hor. Od. III. 4. 71. Ovidius autem, in huius fabula alios secutus scriptores, eum a Diana comitem adsumtum esse narrat, et quum nullum animal esse, quod vincere haud posset, gloriatus esset, Tellus scorpium protulit, a quo interfectus est. Ov. Fast. l. l.

Digitized by Google

731. Fast. IV. 388. V. 493. et saepe. Prop. II. 13. 51. II. 20. 56.

Orione natae fuerunt Metiocha atque Menippa, quae, cum Boeotiam pestilentia vastaret, et ab Oraculo responsum esset datum, ut duae virgines immolarentur, sua sponte mortem pro civium salute oppetierunt. Ov. Met. XIII. 692.

Orithyia, -ae, Erechthei, Athenarum regis, e Praxithea filia, Procridis soror, a Borea in Thraciam rapta, Calain, Zeten et Chionen, peperit. Virg. Ge. IV. 463. Aen. XII. 83. Ov. Am. I. 6. 53. Met. VI. 683. sqq. Prop. I. 20. 31. II. 20. 51.

Ormĕnis, -ĭdis, i. e. Astydamia, Amyntoris filia, Ormeni regis neptis, ex qua Hercules Ctesippum procreavit. Ov. Her. IX. 50.

Ornўtus s. Ornĭthus, -i, homo dives, Thuriis, Lucaniae oppido, oriundus. Hor. Od. III. 9. 14. — Vocatur quoque *Ornytus* Troianus, qui cum Aenea in Italiam profectus a Camilla caesus est. Virg. Aen. XI. 677.

Oromĕdon, -ntis, unus ex Gigantibus, qui coelum, adscendere conati a Iove victi sunt. Prop. III. 7. 48.

Orontes, -is, Syriae flumen, quod in Coele-Syria exortum, Syriam perfluit, et prope Meliboeam insulam in mare defertur; hodie *Farfar* vocatur. Ov. Met. II. 248. Prop. II. 18. 77.

Orontēus, -a, -um, ad Orontem, Syriae flumen, pertinens, i. q. Syrius. Prop. I. 2. 3.

Orontes, -ae, s. Oronteus, -ĕi, Troianus, Lycierumque dux, qui cum Aenea in Italiam profectus naufragio in Tyrrheno mari periit. Virg. Aen. I. 113. (117.) sqq.

Orpheus, -ĕi, Thrax, Oeagri e Calliope Musa filius, a matre doctus, lyrae vi atque vocis dulcedine tantum polluisse traditur, ut ferocissima animalia, deposita saevitia, ad se convenirent, arbores et saxa quasi animata se sequerentur, flumina cursum inhiberent, ventique silerent. Eurydice vero uxore morte sibi erepta, Orpheus cum lyra ad inferos descendit, et a Plutone, suavi cantu moto, ut uxorem ex Orco in vitam reduceret, impetravit, ea lege, ne prius sequentem, quam ad superos perveniset, respiceret. Ut vero citius retro flexit oculos, Eurydice ad inferos rediit; qua bis amissa moestus Orpheus ceteras mulieres, ne in alia eundem experiretur dolorem, ipse contemsit, aliosque eas contemnere docuit, cuius odio Thraciae feminae incensae in Bacchi orgiis eum discerpserunt, caputque divulsum cum lyra in Hebrum flumen coniecerunt, quam ob causam hae a Baccho in

Digitized by Google

arbores mutatae narrantur. Hor. Od. I. 12. 8. I. 24. 13. et al. Virg. Ecl. IV. 55. VI. 30. VIII. 55. et al. Ov. Art. Am. III. 321. et saepe. Prop. III. 1. 41.

Orphĕus, -a, -um, ab Orpheo, vel ad Orpheum pertinens. Ov. Met. X. 3. XI. 22. Prop. I. 3. 42.

Orphne, -es, Nympha Avernalis, quae ex Acheronte Ascalaphum peperit. Ov. Met. V. 539.

Orsilŏchus, -i, Troianus, qui in bello Turni cum Aenea a Camilla caesus est. Virg. Aen. XI. 636. 690.

Ortygĭa, -ae, s. Ortygĭe, -es, fuit vetus nomen Deli insulae. Virg. Aen. III. 124. 143. 154. Ov. Met. XV. 337. Prop. II. 23. 10. v. *Asteria, Delus.* Sic dicitur quoque insula prope Syracusas, cum quibus postea coniuncta urbis pars fuit. Virg. Aen. III. 694. Fast. IV. 471. Ov. Met. V. 499. 640.

Ortygĭus, -a, -um, ad Ortygiam s. Delum pertinens.

Ortygius Cayster, i. e. qui prope Ephesum fluit; antea enim Ephesus dicebatur Ortygia (*). Prop. III. 21. 15.

Ortygius est nomen Rutuli cuiusdam, quem Caeneus, unus ex Aeneae comitibus, in Italia occidit. Virg. Aen. IX. 573.

Ortygia dea, i. e. Diana. Ov. Met. I. 694.

Ortygiae boves, i. e. Apollinis, quod in ea insula cum Diana natus fingitur. Mercurius autem Apollini Admeti boves, eius curae commissas, surripuit. Ov. Fast. V. 692.

Oscus, -a, -um, in vel ex Oscis, ad Oscos pertinens. *Osci* autem fuerunt antiqua Italiae gens, quae in Campania ad Lirim fluvium habitasse traditur. Hor. Sat. I. 5. 54. Virg. Aen. VII. 730.

Osinĭus, -i, Clusinorum dux, qui in Italia Aeneae adversus Turnum auxilium tulisse dicitur. Virg. Aen. X. 655.

Osīris, -is et -ĭdis, fuit Aegypti rex, qui post mortem ab Iside uxore Aegyptiorum deus est factus. Quum enim Osiris a Typhone fratre esset interfectus, eiusque corpus in frusta dissectum, Isis illa, per totam Aegyptum dispersa, lugens conquisivit, iisque inventis laeta rediit, quam ob causam sacra instituit, in quibus quotannis sacerdotes cum fletu Osiridem amissum quaerebant; mox autem cum cantu redeuntes illum inventum dicebant. Horatii tempore Romae Aegyptiorum deorum cultus ab Augusto prohibebatur; plebs vero nihilominus eos colere perseverabat, quapropter ingeniose Horatius

(*) Cf. PLIN. H. N. V. 29.

Digitized by Google

quemquam e plebe per Osirin iurantem inducit. Ep. I. 17. 60. Ov. Am. II. 13. 12. Tib. I. 7. 27. Huius ex Iside filius *Harpocrates*, item Aegyptiorum deus, pingebatur dextrae digito labiis admoto, quia silentii deus habebatur. Huc respexit Ov. Met. IX. 691. — Sic quoque vocatur unus e Rutulis, quem Thymbraeus Troianus interfecit. Virg. Aen. XII. 458.

Ossa, -ae, Thessaliae mons, haud procul ab Olympo, Gigantum bello nobilis; hodie *Cossovo*; al. *Olira* vocatur. Virg. Ge. I. 281. Ov. Am. II. 1. 14. Fast. I. 307. et al. Prop. II. 1. 19.

Ossaeus, -a, -um, in vel ex Ossa, vel ad Ossam pertinens. Pseudo-Virg. Cir. 33. Ov. Met. XII. 319.

Otho (L. Roscius), -ōnis, fuit Tribunus plebis, qui A. U. DCLXXXVI. legem tulit, ne quis, nisi equites Romani, aut qui equestrem censum, i. e. quadringenta sestertium haberent, in quatuordecim Theatri gradibus, Orchestrae proximis, sederet. Hor. Epod. IV. 16. — Vir quidam insulsus ap. Cat. LIV. 1.

Othryădes, -ae, i. e. Panthus, Othryae filius. Virg. Aen. II. 319. 336. — Est quoque hoc nomine dux Spartanus, qui quum in bello, inter Argivos et Lacedaemonios de Thyreatide terra exorto, solus e trecentis Spartanis, ad controversias dirimendas delectis, evasisset, se ipse interfecit. Ov. Fast. II. 665.

Othrys, -yos, altissimus Thessaliae mons, quem Centauri inhabitasse dicuntur; hodie *Delacha*. Ov. Met. II. 221, VII. 225. 353. XII. 173. 513. Virg. Aen. VII. 675.

Otos s. Otus, -i, Neptuni ex Iphimedia, Aloëi uxore, filius, Ephialtae frater, unus e Gigantibus, qui coelum adscendere conati sunt, Pseudo-Virg. Cul. 233. v. *Ephialtes*.

Ovidius (P.) Naso, -i, Romanus eques et poëta copiosus, facilis atque elegans, qui A. U. DCCXI. Sulmone, urbe in Pelignis, natus, Romae ad quinquagesimum aetatis annum quietus vixit; tum vero ab Augusto relegatus est Tomidem, Moesiae Inferioris urbem ab Pontum Euxinum, ibique, postquam novem fere annos patria caruerat, mortuus est. Quod autem Iuliae minoris, Augusti neptis, cum Agrippa fratre adulterii fuerit conscius idque occultaverit, vel forte adiuverit, ei praecipua relegationis caussa videtur; uterque enim paucos menses ante Ovidium relegatus est, quamquam et aliae caussae, uti lascivia eius carminum de arte amandi, et inde secuta iuventutis corruptela praetexebantur. Ex eius scriptis maior pars ad nostram aetatem pervenit. Ov. Am. I. 11. 27. II. 1. 2. II. 13. 25. et al.

Digitized by Google

P.

Pachȳnus s. Pachȳnos, -i, fuit unum e tribus Siciliae promontoriis ad australem eius partem, hodie *Capo di Passaro* dictum. Virg. Aen. III. 429. 699. VII. 289. Ov. Fast. IV. 479. Met. V. 351. XIII. 725.

Pacŏrus, -i, Orodis, Parthorum regis, filius, Phraatae frater natu maior, Decium Saxum, Antonii legatum, cum Romanis legionibus A.U. DCCXIV. interemit; non multo autem post a Ventidio Basso, Antonii Triumviri legato, victus periit. Hor. Od. III. 6. 9.

Pactolĭdes, -um, dicuntur Pactoli fluminis nymphae. Ov. Met. VI. 15.

Pactōlos s. Pactōlus, -i, Lydiae flumen, aurum vehens, quod prope Sardes e Tmolo monte exortum in Hermum effunditur, quocum in mare Aegaeum exoneratur. Midan autem, stulte a Baccho petitum munus spernentem, quo quidquid attigisset, in aurum verteretur, dei iussu hoc flumine lotum, liberatum esse fingunt, unde aureas arenas trahere coepit; hodie idem nomen servat. Virg. Aen. X. 142. Ov. Met. XI. 87. Prop. I. 6. 32. I. 14. 11. et al.

Pactolus tibi fluat, i. e. tantum auri, quantum Pactolus, habeas. Hor. Epod. XV. 20.

Pactumēius, -i, est nomen suppositi, Canidiae filii, quem haec suum esse dixit. Hor. Epod. XVII. 50.

Pacuvĭus (M.), -i, poëta Latinus tragicus, Brundisio oriundus, qui post Ennium, cuius sororis filius fuit, usque ad Ciceronis aetatem inter tragicos principatum tenuit, et ob sententiarum gravitatem, verborum pondus et personarum auctoritatem, magnopere laudatur. Vixit autem inter A. U. DXXXIII. et DCXXIII. Ex eius tragoediis tantum fragmenta supersunt. Hor. Ep. II. 1. 56.

Pădaei, -orum, ultimus populus orientem versus, fueruntque hi Indi nomades. Tib. IV. 1. 145.

Padus, -i, Graecis *Eridanus*, maximus Italiae fluvius, qui e Vesulo monte exortus, Italiam perfluit et in mare Hadriaticum defertur. Hodie *Il Po*. Hor. Epod. XVI. 28. Virg. Ge. II. 452. Aen. IX. 680. Ov. Am. II. 17. 32. Fast. IV. 570. Met. II. 258.

Digitized by Google

Padūsa, -ae, unum e Padi fluminis ostiis, quod forsitam hodie *Il Po d'Argenta* vocatur. Virg. Aen. XI. 457.

Paean, -ānis, Apollinis cognomen (*), quo in antiquis hymnis invocabatur. Ov. Fast. IV. 263. Met. I. 566. Hinc pro *ipso* in Apollinis honorem *hymno*, et acclamatione ac gratulatione in victoria et triumphis usurpatur. Virg. Aen. VI. 657. X. 738. Ov. Art. Am. II. 1. Met. XIV. 720. Prop. III. 13. 42.

Paeantiades, Paeantius, Paeas, v. Poeant.

Paeŏnes, -um, incolae Paeoniae, septemtrionalis Macedoniae partis; unde saepe pro ipsis Macedonibus sumuntur. Ov. Met. V. 313. ex. Pont. II. 2. 77.

Paeŏnis, -ĭdis, quae e Paeonia est, vel ad Paeoniam pertinet. Ov. Met V. 303.

Paeonĭus, -a, -um, a Paeone, vel ad Paeonem pertinens, id. q. medicans. *Paeon* enim s. *Paean* fuit Apollinis cognomen, qui medicinae deus habitus est. Virg. Aen. VII. 769. XII. 401. Ov. Met. XV. 535.

Paestānus, -a, -um, e Paesto, vel ad Paestum pertinens. Ov. ex Pont. II. 4. 28.

Paestum, -i, maritimum Lucaniae oppidum, haud longe a Campaniae finibus, Graecis *Posidonia* appellatum, cuius rosae a poëtis celebrantur. Hodie parvus vicus, qui eo in loco est, *Pesti* vocatur. Virg. Ge. IV. 119. Ov. Met. XV. 708. Prop. IV. 5. 59.

Paetus, -i, Romanus, in mari submersus, de cuius morte est elegia Prop. III. 5.

Pagăsa, -ae, Thessaliae urbs maritima, ubi Argo navis, qua Argonautae, Iāsone duce, in Colchidem profecti sunt, aedificata est. Hodie *Volo*. Prop. I. 20. 17.

Pagasaeus, -a, -um, in vel ex Pagasa, vel ad Pagasam pertinens, id. q. Thessalus. Ov. Her. XVI. 345. Fast. I. 491. V. 401. et saepe.

Pagasaea coniux, i. e. Alcestis, Peliae, Thessaliae regis, filia, Admeti regis uxor. Ov. Art. Am. III. 19.

Pagasaea puppis, vel *carina*, i. e. Argonautarum navis. Ov. Met. VII. 1. Met. XIII. 24.

Palaemon, -ŏnis, antea *Melicertes* dictus, fuit Athamantis filius, qui cum Ino matre furibundum patrem fugiens se in mare praecipitavit; Veneris autem ope a Neptuno inter marinos deos receptus portubus praeesse credebatur, adeoque a Latinis etiam *Portumnus* vocatur. Virg. Aen. V.

(*) Cf. Call. Hymn. in Apoll. 97. 103., Claud. Praef. in Ruf. 11., et Voss. Etym. in v. *Iāmbus*.

Digitized by Google

823. Pseudo-Virg. Cir. 396. Ov. Her. XVIII. 159. Fast. VI. 501. Met. IV. 541. et al. — Est etiam pastoris cuiusdam nomen apud Virg. Ecl. III. 50.

Palaephatĭus, -a, -um, a Palaephato, vel ad Palaephatum spectans, qui fuit Graecus scriptor, e Paro insula, et circa Olymp. CXIV. a 3. s. A. U. CCCCXXXII. floruisse fertur. Librum de incredibilibus historiis scripsit, quem etiam nunc habemus, Pseudo-Virg. Cir. 88.

Palaestīnus, -a, -um, in vel e Palaestina, vel ad Palaestinam pertinens, Palaestinae incola. Quae Syriae regio a septemtrionibus Phoenice, ab ortu Coele-Syria, a meridie Arabia Petraea, ab occasu mari Syriaco claudebatur; Latiore vero sensu etiam ad Syriam refertur. Ov. Art. Am. I. 416. Met. IV. 46. V. 145. v. *Dercetis.*

Palaestinus Syrus, i. q. Iudaeus. Ov. Art. Am. 415. — Syri in Palaestina, qui se a columbis edendi abstinebant. Tib. I. 7. 18.

Palaestina aqua, i. e. Euphrates flumen, quod alluit Syriam, cuius pars Palaestina postea fuit. Ov. Fast. II. 463.

Palaestinae deae dicuntur Furiae a Palaeste, Epiri vico, prope Oricum, ubi introitus ad inferos putabatur, Furiarumque templum erat. Ov. Fast. IV. 236.

Palamēdes, -is, fuit filius Nauplii, Euboeae regis, e Clymene, Cratei filia, qui Ulyssem, se fatuum simulantem, ad Troianum bellum protraxit, quapropter hic iratus postea fraude eum interficiendum curavit. Ulysses enim, magna pecunia in Palamedis tentorio abscondita, eum proditionis crimine accusavit, utpote qui a Troianis corruptus hostibus exercitum proderet, et sic pecunia e tentorio prolata, a Graecis lapidibus obrutus insons interemtus est. Virg. Aen. II. 82. Ov. Met. XIII. 56. 308.

Palatīnus, -a, -um, in vel e Palatio monte, vel ad Palatium montem pertinens. Hor. Carm. Sec. 65. Ov. Fast. VI. 794. Met. XIV. 622. XV. 560. Prop. IV. 6. 44.

Palatinus Apollo, cui Augustus A. U. DCCXXVI. templum in Palatino monte consecravit, eique Graecam ac Latinam bibliothecam adiunxit. Hor. Ep. I. 3. 17. Prop. IV. 6. 11. v. *Apollo.*

Palatinus Euander, i. e. in Palatio monte habitans. Virg. Aen. IX. 9.

Palatinae laurus, i. e. ante Augusti aedes in Palatino monte. Ov. Fast. IV. 953.

Palatinae aves, i. e. quae Romulo, cum augurium caperet, in Palatino monte apparuere. Ov. Fast. V. 152.

Palatĭum, -i, fuit unus ex septem montibus, in quibus Roma

Digitized by Google

est condita, sic dictus a Pallanteo urbe, quam Euander in eo posuisse fertur. Habuit ibi templum Apollo, ut Caes. Augustus magnificentissimas aedes. Ov. Met. XIV. 333. 822. Tib. II. 5. 25. Unde etiam pro quacumque amplissima domo usurpatur. Ov. Art. Am. III. 119. Met. I. 176. v. *Palanteum*.

Pales, -is, pastorum dea, quae pecora curare credebatur, cuius festa, Palilia s. Parilia dicta, XXI. Aprilis die, tum pecudum, tum frugum primitias offerendo, in primis lac libando celebrabantur; hilaritatisque caussa ignem, e stipulis ac foeno congestum, ter transilire solebant. Virg. Ecl. V. 35. Ge. III. 1. 294. Pseudo-Virg. Cul. 20. 76. Ov. Fast. IV. 640. 746. sqq. Tib. I. 1. 36. et al.

Palĭci, -orum, duo finguntur fratres, quos Thalia, nympha Sicula, a Iove compressa peperit; quum autem gravida Iunonem timeret, ut terra dehiscens se occultaret, petiit; quo facto, cum deinde pariendi tempus adesset, e reclusa terra hi infantes prodierunt, qui a Siculis dii crediti prope *Palicam* urbem templum habuerunt, iuxta quod lacus s. stagnum fuit, in quo duo fontes s. crateres sulphurei odoris aquam eiiciebant, quo loco fratres e terra erupisse putarunt. Ius iurandum, quod prope eos fiebat, sanctissimum erat; hodie lacus ille dicitur *Naftia*. Virg. Aen. IX 585. Ov. Met. V. 406. ex Pont. II. 10. 23. (*).

Palĭlis, -e, ad Palem deam pertinens.

Palilia s. *Parilia* sunt Palis deae sacra. Ov. Fast. IV. 721. VI. 257. Met. XIV. 774. Tib. II. 5. 87. Prop. IV. 1. 19. IV. 4. 71. v. *Pales*.

Palinūrus, -i, Iasii filius, Aeneae navis, cum Troia in Italiam navigaret, gubernator, qui gravi somno oppressus cum gubernaculo in mare excussus est, eique insidens ad Lucaniae litus quum enatasset, a barbaris eius incolis occisus est. Postea vero quam pestilentia laborantes ab Oraculo responsum tulerunt, Palinuri manes expiandas, cenotaphium ei fecerunt, et promontorium ad extremum Velinum sinum in Lucaniae ora ex eo *Palinurum* vocarunt, quod hodie idem nomen servat. Hor. Od. III. 4. 28. Virg. Aen. III. 202. et al. Ov. Rem. Am. 575. Trist. V. 6. 7. in Ibin 596. v. *Phorbas*.

Palladĭus, -a, -um, a Pallade, vel ad Palladem pertinens, Palladi sacer. Virg. Ge.

(*) Poëtico more sing. numero usi sunt Virg. l. l. et Ov. h. l.

Digitized by Google

II. 181. Pseudo-Virg. Cir. 29.

Palladia arx, i. e. arx Troiae, Palladi sacra. Prop. III. 7. 42.

Palladia corona, i. e. oleaginea. Oliva enim Palladi, eius inventrici, sacra fuit. Ov. Art. Am. I. 727

Palladia ratis, i. e. Argo navis, quae Palladis ope aedificata fingitur. Ov. in Ibin 268.

Palladium (*simulacrum*) fuit Palladis signum, quod cum e coelo delapsum Troiae custodiretur, Troiano bello a Diomede atque Ulysse, noctu clam urbem ingressis, surreptum est; deinde vero ab Aenea in Italiam abductum Romae in Vestae deae templo servari credebatur; habebaturque fatale, ut illa urbs, qua servaretur, capi non posset (*). Virg. Aen. II. 166. 183. IX. 151.

Palladii honores, i. e. a Pallade oblati. Ov. Her. XVII. 133. v. *Paris*.

Palladii latices, i. e. oleum. Ov. Met. VIII. 275.

Palladiae arces, i. e. Athenae, Palladi sacrae. Ov. Met. VII. 399. cf. 723.

Pallantēum, -i, Italiae urbs, postea *Palantium* et *Palatium* dictum, ab Euandro rege, cum Arcadibus huc profecto, in monte conditum, et a Pallante, Arcadiae oppido, appellatum. Hic autem loci postea Roma fuit, et Palatinus mons ab eo nomen accepit. Virg. Aen. VIII. 54. 341.

Pallantēus, -a, -um, in vel e Pallanteo, vel ad Pallanteum pertinens. Virg. Aen. IX. 196. 241.

Pallantĭas, -ădis, i. e. Aurora, ita vocata a Pallante Titane, Crii patrui filio. Ov. Met. IX. 420. XV. 191. (†). Fast. IV. 373.

Pallantis, -ĭdis s. -ĭdos, i. e. Aurora; unde et pro die ponitur. Ov. Fast. VI. 567. Met. XV. 700.

Pallantĭus, -a, -um, a Pallante, vel ad Pallantem pertinens.

Pallantius heros, i. e. Euander, Pallantis pronepos. Ov. Fast. V. 647. (‡).

Pallas, -ădis s. -ădos, quae etiam *Minerva* dicitur. Hor. Epod. IX. 13. Virg. Ecl. II. 61. et al. Ov. Her. XVI. 65. et saepe. Prop. II. 2. 59. IV. 9. 57. v. *Minerva*.

Pallas, i. e. Palladium s. Palladis signum, quod Romae in Vestae templo servabatur, quamquam et ipsa Pallas templum in

(*) Plura autem fuisse *Palladia* constat, de quibus v. Cl. Heyne ad Virg. Aen. L. II. Exc. 9.
(†) Male in Burm. edit. h. l. *Palantias* legitur.
(‡) Cf. Virg. Aen. VIII. 54.

Digitized by Google

Urbe habebat. Pseudo-Virg. Cul. 328. Ov. Fast. VI. 424. Trist. III. 1. 29. (*). v. *Palladium*.

Pallas, i. e. oleum. Fuit enim Pallas olivae inventrix. Ov. Trist. IV. 5. 4. Her. XIX. 44.

Palladis arces sunt Athenae. Hor. Od. I. 7. 5. Ov. Met. II. 712.

Palladis ars, i. e. lanificium. Ov. ex Pont. III. 8. 9.

Palladis arbos s. *Pallas baccifera*, i. e. oliva. Ov. Am. II. 16. 8. Art. Am. II. 518. in Nuc. 28. et al.

Palladi rami, i. e. oleaginei. Virg. Aen. VII. 154.

Palladis ales, i. e. noctua, quae avis Palladi sacra erat. Ov. Fast. II. 89.

Turpia quum faceret Palladis ora tumor, i. e. quum tibia canere Palladis os deforme redderet, abiecit eam in Maeandrum. Prop. II. 23. 86.

Invita Pallade. Ov. Fast. III. 824. v. *Minerva*.

Pallas, -ntis. Plures huius nominis fuerunt. Sic dicitur a) Lycaonis filius, Euandri regis proavus. Virg. Aen. VIII. 51. 54. b) Euandri filius, Carmentae nepos, qui Aeneae subsidio missus a Turno interfectus est. Virg. Aen. VIII. 104. sqq. Ov. Fast. I. 521. c) Pandionis Secundi filius, Atheniensis, cuius filii, Clytes et Butes, cum Cephalo ab Atheniensibus ab Aeacum auxilium adversus Minoa imploratum missi sunt. Ov. Met. VII. 500. sq.

Pallēne, -es, antea *Phlegra*, fuit Thraciae et postea Macedoniae oppidum in peninsula, inter Toronaicum et Thermaeum sinum, a Pallene, Sithonis regis filia, dictum; in cuius campis deorum cum Gigantibus pugna fuisse fertur; hodie *Canistro* putant. Virg. Ge. IV. 391. Ov. Met. XV. 356.

Pan, -nos, Iovis e Thymbride filius, tum gregum et armentorum, tum pastorum venatorumque deus habitus est, et in montibus eorumque antris degere credebatur; qui quum Syringa Naidem, quam amabat, persequeretur; haec autem in cannam palustrem mutata esset, e septem disparibus calamis fistulam, qua se oblectaret, compositit; deinde cum Apolline musicae artis certamen iniit, in quo, iudice Tmolo, victus est. Fingitur bicornis, ruber facie, auribusque acutis, inferiores corporis partes capri habens. Colebatur maxime in Arcadia, e qua Euander huius cultum in Italiam transtulit, et in cuius honorem XV. Februarii die *Lupercalia* festa a Romanis cele-

(*) Cf. id. Met. XIII. 99. Trist. II. 293.

Digitized by Google

brabantur. Virg. Ecl. II. 31. IV. 58. et al. Ov. Met. I. 699. 705. sqq. Tib. II. 5. 27. Prop. III. 2. 30. v. *Lupercal*, *Midas*. Poëtae autem eum cum Fauno confuderunt; hinc saepe plurali numero *Panes* et *Fauni* promiscue usurpantur. Pseudo-Virg. Cul. 93. 114. Ov. Her. IV. 171. Fast. I. 397. Met. XIV. 638. et al. Prop. III. 15. 34. v. *Faunus*.

Panaetius, -i, Rhodius, Stoicus aetatis suae celeberrimus, Antipatri discipulus, Scipionis Africani minoris praeceptor et familiaris, scripsit tum multa alia, tum maxime de officiis libros, qui periere. Hor. Od. I. 29. 13.

Panchaeus et Panchaïus, -a, -um, e Panchaïa, vel ad Panchaïam pertinens. Virg. Ge. IV. 379. Pseudo-Virg. Cul. 86. Ov. Met. X. 309. 478. Tib. III. 2. 23.

Panchaïa, -ae, Arabiae Felicis pars, cuius odores in primis tus prae reliquis a veteribus laudantur. Virg. Ge. II. 139.

Pandărus, -i, Troianus, Alcanoris filius, Bitiae frater, qui cum Aenea in Italiam profectus a Turno in Troianorum castris caesus est. Virg. Aen. IX. 672. 722. 735. XI. 386. — Est quoque hoc nomine Lycaonis filius, e Lycia oriundus, Eurytionis frater, sagittandi artis peritissimus, qui Troianis adversus Graecos auxilio veniens a Diomede occisus est. Virg. Aen. V. 496.

Pandīon, -ōnis, I. fuit Athenarum rex, Erichthonii filius, Procnes ac Philomelae pater. Ov. Met. VI. 426. 666. v. *Philomela*.

Pandione nata, i. e. a) *Procne*. Ov. Met. VI. 436. 630. b) *Philomela*. Ov. Met. VI. 520. Item *luscinia*, in quam Philomela mutata narretur. Ov. Pont. I. 3. 39.

Pandīonĭus, -a, -um, a Pandione, vel ad Pandionem pertinens. Pseudo-Virg. Cul. 250. Cir. 101. Ov. Met. XV. 430.

Pandionia Orithyia, i. e. Atheniensis. Prop. I. 20. 31.

Pandrŏsus, -i, Cecropis, Athenarum regis, filia, Aglauri atque Herses soror. Ov. Met. II. 559. 738. v. *Aglauros*.

Pangaeus, -i, et Pangaea, -orum, Thraciae mons, a Philippo ad Macedoniam additus, inter Strymona et Nessum flumina situs; hodie *Castagna* vocatur. Virg. Ge. IV. 462. Ov. Fast. III. 739.

Pannonĭa, -ae, Europae regio ad Danubium, quae ab oriente Moesia, ab occidente Norico, a septemtrionibus Germania, et ab austro Illyricis montibus claudebatur; diu autem Pannonii cum Romanis bellum gesserunt; hodie *Hungariam*, et *Austriae*, *Sclavoniae* ac *Bosniae* partem continet. Ov. Trist. II. 225.

Digitized by Google

Pannonĭus, -a, -um, in vel ex Pannonia, ad Pannoniam pertinens. Tib. IV. 1. 109.

Pannonii, -orum, Pannoniae regionis incolae. Alb. ad. Liv. ap. Ov. 390.

Panomphaeus, -i, est Iovis cognomen, quasi omnium oraculorum auctor (*). Ov. Met. XI. 198.

Panŏpe, -es, Phocidis oppidum prope Daulidem, a Panopeo, Phoci filio, conditum ac vocatum; hodie nil ex ea superest. Ov. Met. III. 19.

Panŏpe, -es, et Panopēa, -ae, nympha marina, Nerei e Doride filia. Virg. Ge. I. 437. Aen. V. 240. 825. Ov. Fast. VI. 499. Alb. ad Liv. ap. Ov. 435.

Panŏpeus, -ĕi, Phoci regis filius, unus e Graeciae principibus, quos Oeneus rex ad apri Calydonii venationem invitavit. Ov. Met. VIII. 312.

Pantagĭas et Pantagĭes, -ae, Siciliae fluvius, saxis inclusus, qui non procul a Leontinis oriundus, brevi quidem cursu, sed hiberno tempore imbribus aliisque fluminibus auctus, tanta vi devolvitur, ut haud raro ingenti sonitu saxorum partes secum trahat; hodie *Porcári*. Virg. Aen. III. 689. Ov. Fast. IV. 471.

Panthoĭdes, -ae, i. e. *Euphorbus*, Panthoi filius. Ov. Met. XV. 161., vel *Pythagoras*, quod hic se Troiani belli tempore Euphorbum fuisse asseverabat. Hor. Od. I. 28. 10. v. *Pythagoras*.

Panthŏus, contr. Panthus, -i, Troianus, Othryae filius, Euphorbi pater, Apollinis sacerdos, in cuius templi excidio dei simulacrum secum abducere conatus est. Virg. Aen. II. 318. sqq. — Est etiam *Panthus* malignus rivalis Propertii, quem hic apud Cynthiam in invidiam adducere studet. Prop. II. 17. 1.

Pantilĭus, -i, fuit Horatii obtrectator, scurraque vilissimus; hinc dicitur cimex. Hor. Sat. I. 10. 78.

Pantolăbos, -i, scurra, qui, ut Horatii Scholiastes refert, *Manlius Verna* fuit, trans Tiberim ex ingenuis parentibus natus, et quia a multis pecuniam mutuam rogabat, *Pantolabos* cognominatus est. Hor. Sat. I. 8. 11. II. 1. 22.

Paphagēus. Rectius pro eo legitur Phaylleus, q. v.

Paphĭus, -a, -um, in vel e Papho, vel ad Paphum pertinens, saepe id. q. Veneri sacer. Virg. Ge. II. 64. Ov. Art. Am. III. 181. in Ibin 442.

(*) Eustath. ad Hom. Il. ϑ. p. 711. extr.

Digitized by Google

Paphius heros, i. e. Pygmalion, Paphi pater. Ov. Met. X. 290.

Paphos s. Paphus, -i, Cypri urbs, a Papho, Pygmalionis filio, ut nonnullis placet, condita atque nominata, Venerique dicata, quia eius mater huius deae beneficio ex eburnea statua in feminam fuerat conversa, habebatque dea ibi splendidissimum templum, a Cinyra, Paphi filio; exstructum; hodie *Baffa* vocatur. Hor. Od. I. 30. 1. III. 28. 14. Virg. Aen. I. 415. (419.) X. 51. 86. Ov. Am. II. 17. 4. et al. v. *Pygmalion*.

Paraetonĭum, -i, Aegypti urbs, haud procul ab Alexandria sita, quae hodie *Alberton* vocatur. Ov. Am. II. 13. 7. Met. IX. 772.

Paraetonĭus, -a, -um, in vel e Paraetonio, ad Paraetonium pertinens, id. q. Aegyptius.

Paraetoniae rates, i. e. classis Antonii et Cleopatrae, quam apud Actium Apollinis auxilio fugavit Octavianus. Ov. Art. Am. III. 390.

Parca, -ae, una e Parcis. Fuerunt autem *Parcae* Erebi e Nocte, vel Iovis e Themide filiae, quae tres numero *Clotho*, *Lachesis* et *Atropos*, cuiusque hominis, uti et deorum, fata regebant. Clotho quippe colum tenebat, Lachesis lanam in fila tenuabat, filumque Atropos incidebat; prout autem stamina, quae Parcae ducebant, e nigra albave lana erant composita, hominis vita vel felix vel infelix credita est; eratque earum decretum, quod ad singula fata canebant, et quo cuiusque nasciturі facta, dedecora, laudesve constituebantur, certum atque immutabile. Hor. Od. II. 6. 9. II. 17. 16. et al. Virg. Ecl. IV. 47. Aen. I. 22. (26.) et al. Ov. Her. XI. 105. et saepe. Cat. LXIV. 307. Prop. IV. 11. 13.

Parilia v. Palilia.

Paris, -ĭdis, qui et *Alexander* vocatur, formosus iuvenis, Priami ex Hecuba filius, Hectoris frater, Oenones maritus, Helenaeque raptor, Troiae excidii auctor. Hunc enim, in Ida monte patris oves pascentem, Iovis iussu Iuno, Minerva ac Venus, Mercurio duce, adierunt, aureumque malum, quod Eris dea, in Pelei et Thetidis nuptiis a deorum convivio exclusa, in medium proiecerat, ut formosissima id tolleret, Paridi obtulerunt, ut de dearum pulchritudine iudicium ferens, malum formosissimae adiudicaret. Cum vero Iuno illi potentiam atque divitias, Minerva fortitudinem et sapientiam, Venus omnium pulcherrimam feminam promisisset, hanc forma praestantissimam esse iudicavit, unde Iunonis atque Minervae iram in se

Digitized by Google

patriamque excitavit gravissimam. Veneris quippe ope Helenam, Menelai uxorem, a quo Spartae hospitio esset exceptus, secum Troiam abduxit, quam ob caussam Achaei, bello moto, Troiam everterunt; ipse autem postquam multos Graecos, ipsumque fortissimum Achillem interfecerat, Philoctetis telo periit. Hor. Od. III. 3. 40. Ep. I. 2. 6. 10. Virg. Ecl. II. 61. Aen. I. 27. (31.) et saepe. Ov. Her. V. 3. et saepe. Cat. LXVIII. 103. Prop. II. 2. 47. III. 6. 29. et al. Vocatur sic quoque cum contemtu Aeneas ab Iarba. Virg. Aen. IV. 215.

Parĭus, -a, -um, e Paro, vel ad Parum pertinens. Hor. Od. I. 19. 6. Virg. Ge. III. 34. Aen. I. 593. (597.) Ov. Am. I. 752. ex Pont. IV. 8. 31. Prop. III. 7. 16. v. *Paros*.

Parii iambi, i. e. Archilochi Parii. Hor. Ep. I. 19. 23. v. *Archilochus*.

Parnāsis s. Parnassis, -ĭdis, quae est in vel e Parnaso, vel ad Parnasum pertinet.

Parnasis laurus, i. e. Apollini sacra. Ov. Met. XI. 165.

Parnasĭus s. Parnassĭus, -a, -um, in vel e Parnaso monte, vel ad Parnasum montem spectans. Virg. Ecl. VI. 29 Pseudo-Virg. Cul. 15.

Parnasia laurus, i. e. Apollini sacra. Virg. Ge. II. 18.

Parnasia Themis, quia ante Apollinem templum in Parnaso habuit. Ov. Met. IV. 642.

Parnasia templa, i. e. Parnasus mons. Ov. Met. V. 278.

Parnasus s. Parnassus, -i, Graeciae mons, in Phocide non longe a Delphis, duos habens vertices, Musarum atque Apollinis celebrata sedes, ad cuius radices Castalius fons erat; hodie *Liacura*. Virg. Ecl. X. 11. Ge. III. 291. Ov. Met. I. 317. 467. et al. Cat. LXIV. 391. Prop. II. 23. 13. III. 11. 54.

Paros s. Parus, -i, insula maris Aegaei, una e Cycladibus, marmore, quod ibi candidissimum inveniebatur, nobilis; hodie idem nomen servat. Virg. Aen. III. 126. Pseudo-Virg. Cir. 476. Ov. Art. Am. II. 80. Met. VII. 465. VIII. 221.

Parrhăsis, -ĭdis, femina e Parrhasia, Arcadiae urbe, i. e. Callisto, Lycaonis, Arcadiae regis, filia. Ov. Met. II. 460., quam a Iunone in ursam mutatam Iupiter inter sidera retulit. Vocatur autem Ursa maior s. Parrhasis. Ov. Her. XVIII. 152. Trist. I. 3. 47. et al.

Pharrhasides stellae, i. e. Ursa maior. Ov. Fast. IV. 577.

Parrhasĭus, -a, -um, in vel e Parrhasia, ad Parrhasiam pertinens, saepe id. q. Arcadicus. Virg. Aen. VIII. 344. XI. 31. Ov. Met. VIII. 315.

Parrhasia dea, i. e. Carmenta.

Digitized by Google

Euandri, Arcadiae regis, mater. Ov Fast. I. 618.

Parrhasia virgo, i. e. Callisto. Ov. Trist. II. 190.

Parrhasiae nives, i. e. montis Parrhasii in Arcadia, haud procul ab urbe eiusdem nominis. Ov. Fast. II. 276.

Parrhasĭus, -i, egregius pictor, qui Epheso oriundus, Xeuxidis aemulus fuit, et Socratis tempore floruit. Hor. Od. IV. 8. 7. Prop. III. 7. 12.

Parthāon, -ŏnis, Agenoris filius, Agrii, Oeneique pater.

Parthaone natus, i. e. Oeneus. Ov. Met. IX. 12.

Parthaonĭus, -a, -um, a Parthaone, vel ad Parthaonem pertinens.

Parthaonia domus, i. e. Oenei. Parthaonis filii. Ov. Met. VIII. 541.

Parthenĭe, -es, nutrix Cynthiae, Propertii puellae. Prop. IV. 7. 74.

Parthenĭus, -a, -um, in vel e Parthenio, vel ad Parthenium pertinens, qui fuit Arcadiae mons ad fines Argolidis. Virg. Ecl. X. 57. Ov. Her. IX. 49. Met. IX. 188. Prop. I. 1. 11.

Parthenĭus, -i, flumen Bithyniam a Paphlagonia seiungens, et se in Pontum Euxinum exonerans, ita dictum a Parthenia, -s. Diana, quae circa illud venari fingebatur. Ov. ex Pont. IV. 10. 49. — Vocatur sic quoque Troianus, qui cum Aenea in Italiam profectus ibi a Rapone caesus est. Virg. Aen. X. 748.

Parthenopaeus, -i, Arcas, Meleagri (*) ex Atalante filius, unus e ducibus, qui cum Adrasto Thebas expugnatum profecti sunt. Ab Amphidico, vel Periclymeno occisus fertur. Virg. Aen. VI. 480. v. *Atalanta*.

Parthenŏpe, -es, vetus Neapolis urbis nomen. Virg. Ge. IV. 564.; quod a Parthenope, una e Sirenibus, ibi mortua, accepisse traditur. Sab. ap. Ov. l. 36. Ov. Met. XV. 712.

Parthenopeĭus, -a, -um, e Parthenope urbe, vel ad Parthenopen urbem pertinens. Ov. Met. XIV. 101.

Parthus, -a, -um, a Parthis, vel ad Parthos pertinens, Parthorum regionis incola. Fuerunt autem *Parthi* Asiae Maioris populi, ultra Euphratem flumen late regnantes, bellicosissimi, qui equitatu valentes, in fuga sagittas coniiciendi arte magnam sibi bellicam gloriam conciliarunt. Propter clades, quibus Romanos, Crasso et Antonio ducibus, afflixerant, omnium hos-

(*) Hyg. f. 70. et 99., vel Milanionis, ut refert Apoll. III. 6. 3.

Digitized by Google

tium maxime timendi erant, Euphratemque transeuntes crebris in Romanorum fines excursionibus hos infestabant. Augustus autem eos repressit, quo reposcente, Phraates, Parthorum rex, signa militaria, M. Crasso erepta, Romanis reddidit, quapropter illos, suo imperio adiectos, ambitiose iactarunt Romani. Hor. Od. I. 12. 53. I. 19. 12. II. 13. 18. et al. Virg. Ecl. I. 63. X. 59. et al. Ov. Art. Am. I. 170. 201. et saepe. Cat. II. 6. Prop. II. 8. 18. 20. 64.

Pasiphăe, -es, Solis e Perseide filia, Minoi Secundo, Cretae regi, nupta, Androgeum, Glaucum, Ariadnen et Phaedram, peperit. Tauri autem nefando amore capta, Minotaurum ex eo suscepisse dicitur; quae fictio antiquo operi, quod Cretae servabatur, et hominis figuram cum taurino capite exhibebat, fortasse originem debet, ut nihil aliud quam fluminis cuiusdam symbolum sit, quod ea forma flumina saepe in numis conspiciuntur (*). Virg. Ecl. VI. 46. Aen. VI. 25. 447. Ov. Her. IV. 57. Art. Am. I. 295. et al. Prop. II. 21. 53. v. *Daedalus*.

Pasiphaës gener, i. e. Theseus, Phaedrae coniux. Ov. in Ibin 90.

Pasiphăčius, -a, -um, a Pasiphaë, vel ad Pasiphaëm pertinens.

Pasiphaëia, i. e. Phaedra, Pasiphaës filia, Thesei uxor. Ov. Met. XV. 500.

Pasithĕa, -ae, una ex tribus Gratiis natu minima, quae et *Euphrosyne* dicitur, Somni uxor habita. Cat. LXIII. 43.

Pataraeus, -a, -um, e Pataris, vel ad Pataras pertinens. Fuerunt autem *Patărae* Lyciae urbs ad Xanthum flumen; hodie *Patera* vocatur. Ov. Met. I. 516.

Patăreus, -ĕi, Apollinis cognomen a Pataris, ubi hic deus celeberrimum templum habebat, et sex menses hibernos responsa dabat, uti ceteros aestivos in Delo insula. Hor. Od. III. 4. 64.

Patavĭum, -i, antiquae Italiae urbs, in Venetia ad Modoacum Minorem sita, quam Antenorem condidisse ferunt; hodie *Padoua*. Virg. Aen. I. 247. (251.)

Patrae, -arum, nobilis Peloponnesi urbs maritima, in Achaia apud Rhium promontorium sita; hodie *Patras*. Ov. Met. VI. 417.

Patrŏclus, -i, Menoetii filius, Actoris nepos, Opunte,

(*) Cf. Cl. Heyne ad Apoll. III. 1. 4., et Servius ad Virg. Aen. VI. 14., qui rem aliter tradit.

Digitized by Google

Locridis urbe, oriundus, in talorum lusu Clysonymum, Amphidamantis filium, imprudens interfecit, quam ob caussam cum patre ad Peleum fugit, a quo hospitio exceptus atque expiatus, Achilli, cuius consanguineus a nonnnullis traditur, intimus factus est, quocum ad Troianum bellum profectus, Achillisque armis indutus, tam fortiter pugnavit, ut Troiani, eum Achillem credentes, fugerent. Ab Hectore tandem interfectus est. Ov. ex Pont. I. 3. 73. Prop. II. 7. 21.

Patulcĭus, -i, Iani cognomen. Ov. Fast. I. 129. v. *Clusius*.

Paullus (L. Aemilius), -i, fuit illustris vir, Paulli Macedonici pater, Scipionis Africani minoris avus, qui quum A. U. DXXXVI. in clade apud Cannas Terentii Varronis collegae vitio Romanorum exercitus cecidisset, tantae ignominiae superstes esse noluit, seque hostibus interficiendum dedit. Hor. Od. I. 12. 38. Sat. I. 6. 41. — Fuit etiam *Aemilius Paullus*, vir Consularis et Censorius, cui Cornelia nupsit. Prop. IV. 11. 1. v. *Cornelia*.

Pausiăcus, -a, -um, ad Pausian pertinens. Fuit autem *Pausias* Sicyonius, insignis pictor, qui circa Olymp. CII. a. r. s. A. U. CCCLXXXII. floruit, et primus encausticis puerorum et florum picturis excelluisse videtur. Hor. Sat. II. 7. 95.

Pedānus, -a, -um, ad Pedum pertinens. Fuit autem *Pedum* Latii urbs, inter Lavicos, Praeneste, Tusculum et Romam, in cuius agris amoena Albi Tibulli villa fuit; hodie *Gallicano* dicitur. Hor. Ep. I. 4. 2.

Pediacĭa s. Pediatĭa, (*) -ae, vocatur *Iulius Pediatius*, eques Romanus, qui patrimonio consumto, se prostituit, quare Horatius eum mutato genere *Pediatiam* vocavit. Sat. I. 8. 39.

Pedĭus Poplicŏla, -i, fuit Iurisconsultus, filius forsitan Q. Pedii., Caesaris legati, qui A. U. DCCX. post Pansae mortem cum Octaviano Consul legem Pediam contra Caesaris percussores tulit. Hor. Sat. I. 10. 28. (†).

Pedo, i, e. C. Pedo Albinovanus. Ov. ex Pont. IV. 16. 6. v. *Albinovanus*.

Pegasēus, -a, -um, a Pegaso, vel ad Pegasum pertinens. Cat. LV. 24. Prop. II. 23. 55.

(*) Alii *Pedacia*.
(†) Alii *Poplicolam*, a Pedio diversum, etiam hoc tempore iureconsultum fuisse dicunt.

Digitized by Google

Pegăsis, -ĭdis, a Pegaso oriunda, vel quae ad Pegasum pertinet.

Pegasis, i. e. Oenone, Cebrenis fluvii filia. Ov. Her. V. 3. Sab. ap. Ov. III. 56. (*).

Pegasides undae, i. e. Hippocrene, cuius aqua poëticum ingenium excitare credebatur. Ov. Trist. III. 7. 15.

Pegasides sunt Musae, ab Hippocrene fonte nomen habentes, quem Pegasus in Helicone monte, Musarum sede, fecisse fingitur. Pseudo-Virg. Cat. XI. 2. Ov. Her. XV. 27. Prop. III. 1. 19.

Pegăsus, -i, fingitur alatus equus, e Medusae sanguine ortus (†), et a Minerva Bellerophonti datus, qui ei insidens Chimaeram domuit. In Helicone saxum ungula feriens fontem aperuit, qui inde Hippocrene, i. e. equi fons, fuit dictus; postea inter sidera relatus est, constatque eius sidus e quindecim stellis, quae septimo Martis die oriuntur. Hor. Od. I. 27. 24. IV. 11. 27. Ov. Met. V. 262. ex Pont. IV. 7. 52.

Pegasi frater, i. e. Chrysaor, Geryonis pater, etiam ex Medusae sanguine natus. Ov. Met. IV. 785.

Pelăgon, -ōnis, unus e Graeciae principibus, qui ad Calydonii apri venationem convocati a fera caesi traduntur. Ov. Met. VIII. 360.

Pelasgĭas, -ădis, et Pelasgis, -ĭdis, quae e Pelasgia s. Graecia est, vel ad Pelasgiam s. Graeciam pertinet. Ov. Her. IX. 3.

Pelasgis Sappho, i. e. Lesbia; Lesbos enim insula a Pelasgis, qui primi eam inhabitarunt, Pelasgia fuit dicta. Ov. Her. XV. 217.

Pelasgus, -a, -um, a Pelasgis, vel ad Pelasgos pertinens, saepe id. q. Graecus. *Pelasgi* autem Peloponnesi fuerunt populus, a Pelasgo antiquissimo Peloponnesi rege, nomen habens; a quo tota Peloponnesus cum Graecia et Thessalia dicta est *Pelasgia*. Virg. Aen. I. 624. (628). II. 83. et al. Ov. Fast. II. 281. Met. VII. 133. sqq. Prop. II. 21. 13.

Pelasgus, i. e. Protesilaus, Iphicli filius, Thessalus. Ov. Trist. II. 403.

Pelasga Alcathoi urbs, i. e. Megara. Ov. Art. Am. II. 421.

Pelasgae quercus, i. e. Oraculum Dodonaeum, quod Dodonae in quercubus sedem habere

(*) Rectius forsitan his locis *Pedasis* legitur, a Pedaso, urbe in Ida monte, ubi Paris, quum oves pasceret, cum Oenone uxore habitasse videtur.

(†) v. *Medusaeus equus*.

Digitized by Google

credebatur. Ov. Art. Am. II. 541.

Pelethronĭus, -a, -um, id. q. Thessalus. Fuit enim *Pelethronius* Thessaliae tractus, quem Lapithae inhabitarunt, et a Pelethronio, Lapitharum rege, qui equorum frenos atque strata invenisse fertur, nomen accepit. Virg. Ge. III. 115. Met. XII. 452.

Peleus, -či et -ĕos, fuit Thessaliae rex, Aeaci ex Endeide filius, qui quum Phocum fratrem in Aegina insula occidisset, ad Eurytionem confugit (*), qui eum lustravit et Antigonen filiam cum regni parte in matrimonium dedit. Hunc autem posteaquam in Calydonii apri venatione imprudens interfecit, apud Acastum, Iolci regem, exsulavit, qui eum Thessaliae aquis a patris nece expiavit; deinde Centaurorum cum Lapithis pugnae interfuit. Ab Hippolyta autem, Acasti uxore, quum frustra ad illicitum amorem sollicitatus, et apud maritum, perinde ac si vim inferre studuisset, esset accusatus, Acastus, uxori fidem habens, Peleum in Pelii montis solitudines abduci iussit, ubi inermis relictus a diis servatus est; mox iniuriae poenam ab Acasto petens Iolcum expugnavit, Acastumque cum | coniuge interemit. Interim Antigone mortua, Tethidem, Nerei e Doride filiam, uxorem duxit, e qua Achillem procreavit. Hor. Od. III. 7. 17. Ep. II. 3. 96. 104. Ov. Her. III. 135. Fast. II. 40. Met. VII. 477. sqq. Cat. LXIV. 26. Prop. II. 7. 53. v. *Psamathe.*

Peliăcus, -a, -um, a Peleo, vel ad Peleum pertinens. Item in vel e Pelio monte, vel ad Pelion montem spectans.

Peliacus vertex s. apex, i. e. Pelii, montis Thessaliae. Ov. Am. II. 11. 2. Fast. I. 308. Cat. LXIV. 1.

Peliaca cuspis, i. e. Achillis, Pelei filii. Ov. Met. XII. 74. v. *Pelias hasta.*

Peliaca trabs, i. e. navis Argo, cuius lignum ex monte Pelio fuit. Prop. III. 21. 12.

Pelĭas, -ae, fuit Iolci in Thessalia rex, Neptuni e Tyrone filius, Aesonis et Nelei frater, Acasti multarumque filiarum pater, quarum maxime nobilis est Alcestis; ab Iasone, fratris filio, se interfectum iri Oraculo monitus, hunc in Colchidem, ut inde aureum vellus auferret, misit; unde postquam Iason re-

(*) Ovidius autem eum, fratre interfecto, ad Ceycem, Trachiniorum regem, fugisse narrat, unde se in Magnesiam ad Acasium contulit, qui illum a *fratris* caede purgavit. Cf. Met. XI. 268. sqq.

Digitized by Google

dit, Medeaque Aesonem, Iasonis patrem, magicis artibus in adolescentiae vigorem reduxit, Peliae filiae a Medea, ut Pelian senem quoque iuvenem faceret, petierunt; quod quum Medea, idoneum tempus rata, Iasonis iniuriam, ipsi a Pelia illatam, ulciscendi promisit, filiasque patrem interficere iussit; quo facto Medea aufugit. Ov. Her. VI. 101. XII. 129. Ov. Met. VII. 298. sqq. — Vocatur sic quoque Troianus, ab Ulysse in Troiae excidio vulneratus. Virg. Aen. II. 435. sqq.

Peliae gener, i. e. Admetus, qui Alcestin, Peliae filiam, uxorem habuit. Ov. Trist. II. 403.

Pelĭas, -ădis, quae ad Peleum regem, vel ad Pelion montem pertinet, vel ab hoc, vel illo originem ducit.

Pelias hasta, i. e. Achillis, quia vel in Pelio, Thessaliae monte, fuerat caesa, vel quod Peleus eam, a Chirone acceptam (*), Achilli dederat, cum qua hic Telephum, Mysiae regem, vulneravit atque sanavit. Ov. Her. III. 126. Ov. Art. Am. I. 696. et saepe.

Pelias arbor, i. e. Argo navis, fabricata e materie, in Pelio monte caesa. Ov. Her. XII. 8.

Pelĭdes, -ae, unus e Pelei posteris. Saepissime sic vocatur *Achilles*, Pelei filius. Hor. Od. I. 6. 6. Ep. I. 2. 12. Virg. Aen. V. 808. XII. 350. Ov. Her. VIII. 83. Met. XII. 605. 619. et al. Prop. II. 18. 34. Raro vero *Noeptolemus*, Achillis filius. Virg. Aen. II. 263.

Pelignus, -a, -um, e Pelignis, vel ad Pelignos pertinens. Fuerunt autem *Peligni*, Italiae gens, Sabinis oriunda, Marsis, Marrucinis et Frentanis, confinis, in cuius regione, (hodie *Abruzzo Citra*,) tres urbes olim fuerunt, e quibus Sulmo Ovidii patria fuit. Dicitur regio ob montes et amnes frigida et aquosa; Pelignorum autem, uti et Marsorum anus, magicarum artium peritissimae, efficacissima venena parare accusabantur. Hor. Od. III. 19. 8. Epod. XVII. 60. Ov. Am. II. 1. 1. II. 16. 1. et al.

Pelĭon et Pelĭos, -i (†), Thessaliae mons praealtus, haud procul ab Ossa et Olympo montibus, quos Gigantes, coelum oppugnaturi, alios aliis imposuerunt; hodie *Petras*. Virg. Ge. I. 281. III. 94. Ov. Am. II. 1. 14. Fast. III. 441. Met.

(*) Cf. Hom. Il. γ. v. 140. sqq.
(†) Plin. Hist. Nat. IV. 8. Alii vero in Ovidii locis Met. VII. 224. et Fast. III. 441., ubi adiectivum masculino genere *Pelio* iungitur, *mons* intelligunt, et *Pelion* pro *Pelios* legere malunt.

Digitized by Google

I. 155. et al. Cat. LXIV. 279. Prop. II. 1. 20.

Pellaeus, -a, -um, in vel e Pella, ad Pellam pertinens. Fuit autem *Pella* Macedoniae urbs, Alexandri Magni patria. Hodie eo loco est *Ienizzar*. Ov. Met. V. 302. XII. 254.

Pellaeus dicitur *Canopus*, quod Alexander Magnus Aegyptum sibi bello subiecit. Virg. Ge. VI. 287.

Pelopeĭas, -ădis, et Pelopēis, -ĭdis, quae a Pelope originem ducit, vel ad Pelopem pertinet.

Pelopeïades Mycenae, i. e. quas Pelopis posteri inhabitarunt. Ov. Fast. III. 83. Met. VI. 414. v. *Mycenae*.

Pelopeïdes undae, i. e. mare Myrtoum, quod Peloponnesum alluit. Habet autem Peloponnesus, quasi Pelopis insula, nomen a Pelope, qui ibi regnavit. Ov. Fast. IV. 285.

Pelopeĭus, contr. Pelopēus, -a, -um, a Pelope, vel ad Pelopem pertinens. Prop. III. 17. 20.

Pelopeïus Agamemnon, i. e. Pelopis nepos, vel pronepos. Prop. IV. 6. 33. v. *Agamemnon*.

Pelopeïus Atreus, i. e. Pelopis filius. Ov. Her. VIII. 27.

Pelopeïa virgo, i. e. a) Iphigenia, Agamemnonis filia, Pelopis proneptis. Ov. Trist. IV. 4. 67. b) Hermione, Menelai filia. Ov. Her. VIII. 81.

Pelopea est Thyestae filia, quae e patre Aegisthum procreavit. Ov. in Ibin 361.

Pelopea moenia sunt Peloponnesi s. Graeciae urbes, quibus Pelops, deinde Atreus, postea Agamemnon ac Menelaus, Atrei nepotes, imperaverunt. Virg. Aen. II. 193.

Pelopeïa arva, i. e. Phrygia, ubi Pelops natus est. Ov. Met. VIII. 622. v. *Tantalus*.

Pelops, -ŏpis, Tantali, Phrygiae regis, filius; dicitur *eburnus*, quod quum a patre caesus esset, eiusque humerus in deorum epulis a Cerere consumtus, haec ei, a diis in vitam restituto, *eburneum* tribuit. Post patris mortem ab Ilo, Troiano principe, Phrygia expulsus, Pisam ad Oenomaum regem se contulit, qui a genero se interfectum iri Oraculo monitus nemini Hippodamiam, unicam filiam, uxorem dare voluit, nisi a quo curuli certamine victus esset, dum superatos interficeret. Quod cum Pelops dolo Myrtili, Oenomai aurigae, effecisset, atque ipse rex currus ruina periisset, Hippodamiam uxorem duxit, finitimos bello subegit totamque regionem a se Peloponnesum vocavit. Hor. Od. I. 6. 8. I. 28. 7. II. 13. 37. Epod. XVII. 65. Virg. Ge.

Digitized by Google

III. 7. Ov. Her. VIII. 47. Am. III. 1. 15. et al. Tib. I. 4. 64. Cat. LXIV. 347. v. *Myrtilus*.

Pelopis soror, i. e. Niobe. Ov. in Ibin 587.

Pelorĭas, -ădis, [terra,] id. q. Pelorus. Ov. Fast. IV. 479.

Pelōrus s. Pelōros, -i, fuit unum e tribus Siciliae promontoriis, ad septemtrionalem eius partem contra Italiam; hodie *Capo di Faro*. Virg. Aen. III. 411. 687. Ov. Met. V. 350. XIII. 727. XV. 706.

Pelasiăcus, -a, -um, in vel e Pelusio, ad Pelusium spectans, id. q. Aegyptius. Virg. Ge. I. 228.

Pelusĭum, -i, Aegypti urbs, haud procul a mari; hodie nil ex ea superest. Prop. III. 7. 55.

Penātes, -um, fuerunt dii, qui, capta Troia, ab Aenea in Italiam abducti, primum Lavinii, mox Albae Longae servati, tandem Romam deducti sunt, ubi sub Velia colle prope Vestae aedem templum habuere. A Romanis deinde domestici et privati cuiusque domus et familiae dii habebantur, eorumque simulacra in interioribus aedium partibus s. penetralibus collocabantur. A Laribus ita diversi fuisse videntur, ut quemadmodum hi omnium aedium communes essent, et ab omnibus colerentur, sic Penates singulis aedibus tam proprii fuerint, ut eos sibi quaeque familia privatos custodes tutoresque adsciceret. Hor. Od. II. 4. 15. et al. Virg. Aen. I. 68. (72.) 378. (382.) et al. Ov. Her. VII. 77. et al. Confunduntur interdum cum Laribus. Virg. Aen. VIII. 543. Et horum ad instar pro domo, patria atque omnibus rebus, quas sibi quisque carissimas habet, saepius usurpantur. Hor. Od. III. 14. 3. et al. Virg. Ge. II. 505. IV. 155. et al. Ov. Fast. IV. 431. VI. 529. 603. et saepe.

Penātĭger dicitur Aeneas, quod Penates secum e Troia portavit. Ov. Met. XV. 450.

Penēis, -ĭdis, quae ad Peneum flumen pertinet. Ov. Met. I. 544.

Peneis, i. e. Daphne, Penei filia. Ov. Met. I. 472. 504.

Penēĭus contr. Penēus, -a, -um, a Peneo, vel ad Peneum pertinens, nonnumquam id. q. Thessalus. Virg. Ge. IV. 317. Ov. Met. VII. 230. XII. 109.

Peneïa Daphne, i. e. Penei fluminis filia. Ov. Met. I. 452. 525.

Penĕleus, -ĕi, Hippalcimi filius, fuit unus e Graecis ducibus, qui in Troiae excidio Coroebum ad Minervae aram occidit. Virg. Aen. II. 425.

Penelŏpe, -es, s. Penelŏpa, -ae, Icarii s. Icari

Digitized by Google

e Periboea filia, Ulyssis coniux, cui Telemachum peperit. Quum autem Ulysses Troiam oppugnaturus profectus esset, et viginti annos iam abesset, Penelope, per tot annos amore constans, omnes illos procos, a quibus interea petebatur, elusit. Quum enim se cuidam ex his nupturam esset pollicita, simulac telam, quam Laërtae pararet, absolvisset, noctu, quo longius eos frustraretur, id quod interdiu operi addiderat, retexuit, donec tandem Ulysses, in patriam domumque redux factus, horum amorum finem fecerit; de hac Aeschylus atque Euripides tragoedias scripserunt, quae perierunt. Homerus autem in Odyssea, in primis VIII., eius laudes cantat. Hor. Od. I. 17. 20. III. 10. 11. Sat. II. 5. 76. 81. et al. Ov. Her. I. 1. sqq. Am. II. 18. 21. et al. Prop. II. 7. 41. et al.

Penelopes socer, i. e. Laërtes. Ov. Met. VIII. 315.

Penelopēus, -a, -um, a Penelopé, vel ad Penelopen pertinens. Ov. Trist. V. 14. 36. Cat. LXI. 229.

Pēnēus s. Pēnēos, -i, magnus Thessaliae fluvius, qui e Pindi radicibus exortus, inter Ossam et Olympum montes per amoena Thessaliae Tempe defluit et in Thermaeum sinum effunditur. Hodie *Salampria* dicitur. Fingitur autem huius amnis deus Cyrenes Daphnesque pater (*). Virg. Ge. IV. 355. Pseudo-Virg. Cul. 118. Ov. Am. III. 6. 31. Met. I. 569. II. 243. Cat. LXIV. 286.

Pēnĭus, -i, flumen, quod in Pontum Euxinum olim se exoneravit; de eo hodie non constat. Ov. ex Pont. IV. 10. 47.

Penthesilēa, -ae, fuit Amazonum regina, Martis filia, quae cum Amazonibus, a Maeotide palude Priamo adversus Graecos auxilium ferens ab Achille victa atque interfecta est. Virg. Aen. I. 491. (495.) XI. 662. Ov. Her. XXI. 118. Art. Am. III. 2. et al. Prop. III. 9. 14.

Pentheus, -ĕi et ĕos, fuit Cadmi in Thebarum regno successor, Echionis ex Agave filius, qui Bacchum deum esse negans, eiusque sacra contemnens, a matre illiusque sororibus, Ino et Autonoë, Bacchico furore correptis, pro apro vivus discerptus fuit. Caput autem abscissum, thyrsoque impositum, Agave circumtulisse fertur. Ov. Met. III. 514. 577. sqq. Hoc argu-

(*) Vocatur autem senex ab effigie, sub qua a veteribus omnes repraesentabantur fluvii, ut et ipse Oceanus. Ov. Fast. V. 168. Met. II. 510. cf. Virg. Aen. X. 124. Ov. Met. I. 580. et al.

Digitized by Google

mento Euripidis tragoedia, *Bacchae* inscripta, adhuc exstat, cuius fabulam Virgilius atque Horatius sequentes eum, a Baccho in furorem actum, duos soles duasque Thebas vidisse, Bacchumque eius domum subvertisse dicunt. Hor. Od. II. 19. 14. Ep. I. 16. 73. Virg. Aen. IV. 469. Prop. III. 15. 24. III. 21. 33.

Penthĕus, -a, -um, a Pentheo, vel ad Pentheum pertinens. Ov. Met. IV. 429.

Penthīdes, -ae, unus e Penthei, posteris. Sic dicuntur a) Menoceus, Creontis filius, Penthei pronepos, qui se bello Thebano pro patria devovit. Ov. in Ibin 449. b) Lycurgus, Edonorum in Thracia rex, quod forsitan a Pentheo genus ducebat. Ov. in Ibin 609.

Peparēthos, -i, Aegaei maris insula, inter Thermaicum et Pelasgicum sinus, vino oleoque fertilis; hodie *Piperi*. Ov. Met. VII. 470.

Perdix, -icis, filius sororis Daedali, Atheniensis. Ab avunculo doctus, circinum serramque e piscis spina invenit; deinde ab eodem ex Acropoli s. arce Minervae praeceps datus deae opera in sui nominis avem conversus est. Ov. Met. VIII. 237. sqq.

Perenna. Ov. Fast. III. 146. 523. 654. v. *Anna*.

Pergăma, -orum (*), dicuntur Troiae arx, in qua Priami eiusque liberorum domus et regia fuit; hinc Pergama pro ipsa *Troia* ponuntur. Hor. Od. II. 4. 12. Virg. Aen. I. 466. (470.) et al. Ov. Her. I. 32. et al. Prop. II. 1. 21. et al.

Pergamĕus, -a, -um, id. q. Troianus. Hor. Od. I. 15. 36. (†). Virg. Aen. III. 110. Prop. III. 11. 62.

Pergamea vates, i. e. Cassandra, Priami filia. Prop. IV. 1. 51.

Pergus, -i, Siciliae lacus prope Ennam urbem. Ov. Met. V. 386.

Periclymĕnus, -i, Nelei, Pyliorum regis, e Chloride filius, Nestoris frater, quem, a Neptuno avo formae pro arbitrio mutandae facultate donatum, Hercules interfecit. Ov. Met.

(*) Poëtae Graeci arces quarumcunque urbium πέργαμα dicunt, v. EURIP. *in Phoeniss.* v. 1183. Cf. et BARNES, *ad Iphigen. in Aul.* v. 773; per synecdochen autem Homerus aliique de *arce Troiana* usurparunt, etsi nonnulli *Troiae* nomen addere maluerint. v. Stesichori et Euripidis loca, quae *Vossius* adfert *Inst. Orat.* 4. 8. Cf. et *Lucret.* 1. 1. ubi etiam Troine Pergama arcem Troianam vocat.

(†) Alii *Iliacus* h. l. legere malunt.

Digitized by Google

XII. 556. v. *Nestor.*

Perilla, -ae, femina docta, poëtria, quam nonnulli Ovidii filiam aut privignam male putarunt. Ov. Trist. III. 7. 1. 29. Est praeterea fictum nomen, sub quo Metella a poëtis celebrata fuit. Ov. Trist. II. 437.

Perillēus, -a, -um, a Perillo, vel ad Perillum pertinens. *Perilleum aes*, i. e. taurus aeneus, a Perillo factus. Ov. Trist. V. 1. 53. in Ibin 439.

Perillŭs, -i, idem esse videtur ac *Cicuta*, ut nomen sit Perillius Cicuta. Hor. Sat. II. 3. 69. 75. 175. v. *Cicuta.*

Perillus, -i, fuit artifex, qui Phalaridi, Agrigentinorum tyranno crudelissimo, taurum aeneum cavum fecit, quo inclusus homo igni subiecto torreri ac lente exuri posset, eratque tanto artificio factus, ut, si homo in eo prae dolore clamaret, sonus per tauri os instar mugitus audiretur. Phalaris autem, huius rei periculum facere volens, primum ipsum Perillum inventorem ei inclusit atque combussit. Ov. Art. Am. I. 653. Trist. III. 11. 41. Prop. II. 19. 52.

Perimedēus, -a, -um, a Perimede, vel ad Perimeden pertinens, i. q. magicus; fuit enim *Perimēde* venefica. Prop. II. 1. 74.

Perimēle, -es, fuit Nympha, Hippodamantis filia, quae ab Acheloo vi compressa, et hanc ob caussam a patre in mare coniecta, Neptuni beneficio in sui nominis insulam mutata fingitur. Ov. Met. VIII. 590.

Perĭphas, -ntis, fuit antiquissimus Atticae rex, qui a Iove in aquilam conversus dicitur. Ov. Met. VII. 400. — Vocatur sic quoque Lapitha, qui in Pirithoi nuptiis Pyretum Centaurum interemit. Ov. Met. XII. 449. — Item unus e ducibus Graecis, qui ad Troiam fuerunt. Virg. Aen. II. 476.

Perithŏus, v. Pirithous.

Permessus, -i, Boeotiae fluvius, qui ex Helicone monte defluit, Musis et Apollini sacer. Hodie idem nomen habet. Virg. Ecl. VI. 64. Prop. II. 8. 30.

Pero, -us, pulchra Nelei et Chloridis filia, Nestoris soror Prop. II. 2. 17. v. *Melampus.*

Perrhaebus, -a, -um, id. q. Thessalus. Fuit enim *Perrhaebia* Thessaliae regio, in Macedoniae confinio, unde nonnulli eam ad Macedoniam, alii ad Thessaliam referunt. Ov. Met. XII. 172. sq. Prop. III. 3. 55.

Persa, -ae, Persidis regionis incola. Fuerunt autem *Persae* Asiae Maioris populus potentissimus atque opulentissimus, qui victu et cultu splendidi et luxuriosi exstitere. Quemadmodum autem antea Medos vicit imperiumque ab his ad Persas transtulit Cyrus rex, sic etiam

Digitized by Google

postea a Parthis victi Persae cum his coaluerunt; unde solenni poëtarum more pro *Parthis* ponuntur. Hor. Od. I. 2. 22. I. 21. 15. et al. Prop. III. 9. 21. *Parthi.*

Persēis, -ĭdis, i. e. Hecate, Persae ex Asteria filia. Ov. Met. VII. 74. — Inscribitur etiam sic carmen quoddam incerti auctoris. Ov. ex Pont. IV. 16. 25.

Perseides herbae sunt magicae. Ov. Rem. Am. 263. v. *Hecate.*

Perseĭus et Persēus, -a, -um, a Perseo, vel ad Perseum spectans.

Perseia castra, i. e. Persei. Ov. Met. V. 128. Prop. III. 21. 8.

Persephŏne, -es, Graecis eadem, quae Latinis *Proserpina*, Pseudo-Virg. Cul. 260. Ov. Her. XXI. 46. et al. Tib. 3. 5. 5. Prop. II. 10. v. *Proserpina.*

Perses, -ae, ultimus Macedoniae rex, genus ab Achille referens, qui ab Aemilio Paullo victus abiecte se ad victoris pedes proiecit et Romam in Triumphum ductus est. Prop. IV. 11. 39.

Perseus, -ĕi, et -ĕos, Iovis e Danaë filius, ab Acrisio avo cum matre in mare coniectus, et ad Seriphum insulam reti a piscatoribus extractus est: quum vero a Polydecte ad Gorgadas insulas prope Aethiopiam esset missus, ut Medusae, Phorcynis filiae, caput, quod adspicientes in lapides mutabat, ad se ferret, clypeo a Minerva, et ense adamantino, Harpe dicto, ac talaribus a Mercurio acceptis, per aërem volavit caedemque perfecit. Hinc postquam rediit, Atlantem, hospitiose excipere recusantem, oblato Medusae capite in montem mutavit; deinde in Aethiopia Andromeden, ob Cassiopeae matris superbiam saxo alligatam, liberavit, et Phineo rivali eiusque sociis partim in lapides mutatis, aliis interfectis, uxorem duxit, e qua Persen, Persarum regni conditorem, procreavit. Quo facto se ad Polydecten recepit, quem, Medusam interfectam negantem, etiam in lapidem convertit. Porro cum coniuge Argos patriam petiit, Proetumque, qui Acrisium avum regno expulerat, in lapidem commutavit avumque in regnum restituit; quem tamen postea disci iactu imprudens interfecit. Ipse autem post mortem una cum uxore, matre Cassiopea et patre Cepheo, inter sidera relatus est. Ov. Her. XV. 35. XVIII. 153. Art. Am. I. 53. Met. IV. 610. sqq. Cat. LV. 25. Prop. II. 21. 24. II. 23. 56. v. *Andromeda.*

Persēus, -a, -um, a Perse, vel ad Persen pertinens. Fuit autem *Perses* Crii Titanis ex Eurybia filius, qui ex Asteria Hecaten procreavit.

Digitized by Google

Persea, i. e. Hecate, Persae filia, Pseudo-Virg. Cir. 67.

Persĭcus, -a, -um, a Persis, vel ad Persas pertinens. Ov. Trist. V. 10. 34. ex Pont. I. 3. 69. Cat. XC. 2.

Persici apparatus, i. e. luxuriosi, quales Persae in epulis apparandis adhibere solent. Hor. Od. I. 38. 1.

Persis, -ĭdis s. -ĭdos, quae in vel e Persia est, vel ad Persiam pertinet. Ov. Art. Am. I. 172.

Persis, -ĭdis, et Persĭa, -ae, dicitur Asiae regio latissima, inter mare Caspium et sinum Persicum sita. Ov. Art. Am. I. 225. Fast. I. 385. Met. I. 62. Trist. V. 3. 23. Parthi eam bello domuerunt, unde pro Parthico imperio ponitur. Virg. Ge. IV. 290. v. *Parthi.*

Perusīnus, -a, -um, in vel ex Perusia, ad Perusiam pertinens. Fuit autem *Perusia* urbs Etruriae, haud procul a lacu Trasimeno, in qua Antonius ab Octaviano in Bello civili obsessus fuit. Prop. I. 22. 3.

Petălē, -es, fuit anus, Cynthiae ancilla, quae quod ad illius mortuae sepulcrum coronam tulerat, a puella, quam Propertius deinde amabat, ad ligneum stipitem vincta lanam tractare coacta fuit. Prop. IV. 7. 39.

Petelĭa s. Petilĭa, -ae, fuit parvum oppidum in Bruttiis, inter Crotonem ac Scylacium, a Philoctete, Herculis comite, quum ob seditionem Meliboea, urbe patria, profugisset, conditum. Hodie vocatur *Belcastro*, al. *Strongli*. Virg. Aen. III. 402.

Petillĭus, -i, Romanus, qui dum Capitolii curam gerebat, Iovis Capitolini auream surripuit coronam, cuius furti reus factus, a iudicibus in Augusti gratiam, cuius amicus fuit, absolutus quidem est, verumtamen eo crimine Capitolini cognomen accepisse fertur. Hor. Sat. I. 4. 94. I. 10. 26.

Petrĭnum, -i, fuit tractus in agro Sinuessae, Campaniae urbis, ubi generosum vinum nascebatur. Hor. Ep. I. 5. 5.

Peucetĭus, -a, -um, in vel e Peucetia, ad Peucetiam pertinens. Fuit autem *Peucetia* Italiae Inferioris regio, inter Apuliam et Messapiam, quae vulgo hodie *Terra di Bari* vocatur. Ov. Met. XIV. 513.

Phaeāces, -um, fuerunt Corcyrae insulae incolae, luxui ac ventri ita indulgentes, ut Phaeax pro maximo helluone dicatur. Hor. Ep. I. 15. 24. Ov. Met. XIII. 719.

Phaeacum arces sunt Phaeaciae s. Corcyrae montes. Virg. Aen. III. 291.

Phaeācis, -ĭdis, carmen de Phaeacibus et Ulyssis nau-

Digitized by Google

fragi apud Alcinoum, Phaeacum regem, hospitio, a Tuticano poëta ex Homero (*) translatum. Ov. ex Pont. IV. 12. 27. IV. 16. 27. v. *Tuticanus*.

Phaeacĭus et Phaeācus, -a, -um, e Phaeacibus, vel ad Phaeaces pertinens. Prop. III. 1. 51. v. *Alcinous*.

Phaeacia tellus, i. e. Corcyra, insula in Iŏnio mari, a Phaeacibus olim inhabitata. Ov. Am. III. 9. 47. Tib. I. 3. 3. IV. 1. 78. v. *Corcyraeus*.

Phaeax, -ācis. v. Phaeaces.

Phaedĭmus, -i, unus ex Amphionis et Niobes filiis, qui ab Apolline ac Diana sagittis transfixi periere. Ov. Met. VI. 239. v. *Niobe*.

Phaedra, -ae, fuit Minois Secundi, Cretae regis, e Pasiphaë filia, quae, Ariadne sorore repudiata, Theseo nupsit, ex quo Acamantem atque Demophoontem suscepit. Hippolytum autem privignum, frustra ad illicitum amorem sollicitatum, apud patrem accusavit, ut si in se stupri iniuriam inferre esset conatus, quo facto Phaedra se ipsa necavit. Virg. Aen. VI. 445. Ov. Her. IV. 74. 112. Fast. VI. 737. Prop. II. 1. 53. v. *Hippolytus*.

Phaestĭas, -ădis, quae e Phaesto est, ad Phaestum pertinet. Fuit autem *Phaestum* Cretae urbs mediterranea; hodie eius rudera adhuc *Festo* dicuntur. Ov. Met. IX. 715.

Phaestĭus, -a, -um, in vel e Phaesto, ad Phaestum pertinens. Ov. Met. IX. 668.

Phaëthon, -tis, Solis e Clymene filius, qui quum patris currum solarem male rexisset, fulmine a Iove ictus in Eridanum fluvium decidisse, et a Naïadibus sepultus fingitur. Hor. Od. IV. 11. 25. Pseudo-Virg. Cul. 127. Ov. Fast. IV. 793. Met. I. 751. sqq. Cat. LXIV. 292. — Vocatur sic quoque ipse *sol*, forsitan quod Phaëthon Graece *luce urens* significet, vel quod Phaethon Solis equis aliquando usus sit. Virg. Aen. V. 105.

Phaëthontēus, -a, -um, a Phaëthonte, vel ad Phaëthontem pertinens. Ov. Met. IV. 246.

Phaëthontiădes, -um, Phaëthontis sorores. Virg. Ecl. VI. 62. v. *Heliades*.

Phaëthūsa, -ae, e Phaëthontis sororibus una, natu maxima. Ov. Met. II. 346. v. *Heliades*.

Phalanthus, -i, fuit Laco, qui A. U. L. cum Partheniis domo profectus, et in Italiam delatus, occupata Tarentinorum arce, ibi regnasse tradi-

(*) Odyss. η et θ.

Digitized by Google

tur. Hor. Od. II. 6. 12. v. *Lacedaemonius.*

Phalăris, -ĭdis, fuit crudelis Agrigentinorum in Sicilia tyrannus. Huic Perillus artifex aeneum taurum, quo homines inclusi comburerentur, dono dedit, in quem tandem et ipse tyrannus, seditione orta, a suis civibus coniectus crematus est, Ov. Art. Am. I. 653. Trist. III. 11. 51. et al. v. *Perillus.*

Phanaeus, -i, fuit mons in Chio insula. qui, uti tota insula, praestantissimo vino nobilis fuit; hodie *Fanale.* Inter vitiferos montes hunc *regem* vocat Virgilius. Ge. II. 98.

Phantăsos, -i, Somni dei filius et minister, qui ut in somnis rerum imagines hominum animis obversentur, efficere fingitur. Ov. Met. XI. 642.

Phaon, -ōnis, Lesbius iuvenis, forma praestans, quem Sappho poëtriam amasse atque carmine celebrasse Ovidius tradidit, Her. XV. 11. sqq. v. *Sappho,* ibique adnot.

Phărĭus, -a, -um, e Pharo, vel ad Pharum pertinens, id. q. Aegyptius. Ov. ex Pont. I. 1. 38. Prop. III. 5. 5. v. *Isiacus.*

Pharia iuvenca, i. e. a) Iö. Ov. Fast. V. 619. b) Isis dea, quo nomine Iö post mortem ab Aegyptiis fuit culta. Ov. Art. Am. III. 635.

Pharia turba sunt ministri et cultores Isidis, quia eius sacra ex Aegypto, in qua insula Pharos, Romam allata erant, Isidis cultores bis die deae laudes canebant. Tib. I. 3. 32.

Pharius piscis, i. e. crocodilus, cuius stercore molestiae in facie enascentes tolli solebant, cutisque nitida reddebatur (*). Ov. Art. Am. III. 270. in Ibin 605.

Pharos s. Pharus, -i, fuit exigua Aegypti insula cum urbe eiusdem nominis prope Alexandriam, cui postea ponte iuncta fuit, et quae, uti universa Aegyptus, Isidis deae cultu nobilis exstitit; hodie Aegyptiis *Farioni* dicitur. Ov. Am. II. 13. 8. Met. IX. 772. XV. 287. Prop. II. 1. 30.

Pharsalĭa, -ae, dicitur tractus ille ad Pharsalum, Thessaliae urbem, ubi Caesar primum Pompeium, mox Octavianus atque Antonius Brutum Cassiumque profligarunt; hodie urbs dicitur *Farsa.* Ov. Met. XV. 823. Cat. LXIV. 36.

Pharsalius, -a, -um, a Pharsalo vel ad Pharsalum pertinens. Cat. LXIV. 36.

Phasiăcus, -a, -um, in vel e Phasi, vel ad Phasin pertinens. Ov. Her. XII. 10.

Phasiaca terra, i. e. Colchis. Ov. Trist. II. 439. v. *Phasis.*

(*) Cf. Plin. Hist. Nat. XXVIII. 28. Hor. Epod. XII. 11.

Digitized by Google

Phasiaca corona, i. e. quam Medusa, Glaucae, Creontis filiae, Iasoni nuptae, dono dedit, et qua incensa haec cum patre eiusque regia conflagravit (†). Ov. in Ibin 605.

Phasĭas, -ădis, et Phasis, -ĭdis, quae ad Phasin pertinet, Phasidis accola. Prop. I. 20. 18.

Phasias s. *Phasis puella*, i. e. Medea, ex Colchide, cuius regionis fluvius Phasis est. Ov. Her. VI. 103. XIX. 176. Art. Am. II. 103. 382. Fast. II. 42. Met. VII. 298. ex Pont. III. 3. 80.

Phasis, -is et -ĭdis s. -ĭdos, fluvius, Colchidis regionis maximus, qui e Caucasi montibus exortus in Pontum Euxinum defertur; hodie *Fasso*. Virg. Ge. IV. 367. Ov. Met. II. 249. VII. 6. ex Pont. IV. 10. 52. Cat. LXIV. 3. Prop. III. 21. 11.

Phasidos patria, i. e. Colchis. Ov. Her. VI. 108.

Phaylläcus, -a, -um, e Phayllo, vel ad Phayllum pertinens. Fuit autem *Phayllus* Ambraciae tyrannus, qui ab obvia leaena discerptus fertur. Ov. in Ibin 504.

Phegēĭus, -a, -um, a Phegeo, Alphei filio, vel ad Phegeum, Alphei filium, pertinens.

Phegeius ensis, i. e. Temeni et Axionis, Phegei filiorum, qui Alcmaeonem, monile aureum, antea Alphesiboeae datum, reposcentem patris iussu interfecerunt. Ov. Met. IX. 412. v. *Amphiaraides*.

Phegeus, -ĕi, vocatur Aeneae famulus. Virg. Aen. V. 263., et duo Troiani, quorum uterque Aenea duce in Italiam profectus a Turno occisus est. Virg. Aen. V. 263. IX. 765. XII. 371.

Phegis, -ĭdis, i. e. Alphesiboea, Phegei filia. Ov. Rem. Am. 455.

Phemĭus, -i, fuit musicus in Ithaca, qui in Penelopes procorum conviviis canere solebat, et ita sua arte excelluisse videtur, ut ab Ovidio pro quocunque egregio musico ponatur. Am. III. 7. 61.

Phenĕos s. Phenĕus, i, antiqua Arcadiae urbs prope Cyllenen montem, ubi Euander quondam regnavit, et in cuius agris Styx lacus exstitit, cuius aqua noctu bibentibus mortifera, interdiu vero innocua fuisse fingitur; hodie idem nomen servat. Virg. Aen. VIII. 165. Ov. Met. XV. 332. Cat. LXVIII. 109.

Pheraeus, -a, -um, in vel e Pheris, vel ad Pheras pertinens. Fuerunt autem *Pherae* Thessaliae urbs, a Pherete, Crethei et Tyronis filio, condita; hodie ex hac nihil superest.

(†) Horat. illud donum *pallam* fuisse canit. Epod. V.

Digitized by Google

Pheraeus est Alexander, crudelis Pherarum tyrannus, qui a Thebe uxore, adiuvantibus fratribus, noctu necatus traditur. Ov. in Ibin. 323.

Pheraea gens, i. e. Pheraei tyranni genus. Ov. ex Pont. II. 9. 43.

Pheraea vacca, i. e. Admeti, Pheraeorum in Thessalia regis. Ov. Her. XV. 151. Art. Am. II. 239.

Phereclēus, -a, -um, a Phereclo, vel ad Pherēclum pertinens. *Pherēclus* autem navem, qua Paris raptam Helenen Troiam abduxit, aedificasse fertur. Ov. Her. XVI. 22.

Pheres, -ētis, Troianus, quem cum Aenea in Italiam profectum Halesus, Turni regis socius, interemit. Virg. Aen. X. 413.

Pheretiădes, -ae, i. e. Admetus, Pheretis regis filius. Ov. Art. Am. III. 19. Met. VIII. 310.

Phiăle, -es, una e Nymphis, quae in Dianae comitibus fuerunt. Ov. Met. III. 172.

Phidiăcus, -a, -um, a Phidia, vel ad Phidian pertinens. *Phidĭas* autem fuit insignis statuarius apud Graecos, qui aeneas et eburneas statuas fecisse traditur. In primis Iovis Olympii, ex auro et ebore, et Minervae statua, ab illo ex aere affabre facta, et ab Atheniensibus in arce collocata, nobilitatus est. Ov. ex Pont. IV. 1. 32. Prop. III. 7. 15.

Phidўle, -es, villica in Horatii praedio fuisse videtur. Hor. Od. III. 23. 2.

Philammon, -ōnis, Phoebi s. Apollinis e Chione filius, Autolyci frater uterinus, musica arte clarus. Ov. Met. XI. 317.

Philēmon, -ōnis, pauper rusticus, Phrygius, Baucidis maritus. Ov. Met. VIII. 631. sqq. v. *Baucis*.

Philesĭus. Ov. in Ibin 329. Rectius pro eo legitur *Phliasius*. q. v.

Philetēus, -a, -um, a Phileta poēta, vel ad Philetan pertinens. Prop. III. 2. 52. IV. 6. 3.

Philētas, -ae, elegiarum poēta Graecus, qui Philippi et Alexandri Magni tempore in insula Coo floruit et Battidem puellam, quam amabat, carminibus celebravit; Propertius hunc imitari studuit. Prop. II. 25. 31. III. 1. 1.

Philippēus, -a, -um, a Philippo, Macedoniae rege, vel ad Philippum pertinens.

Philippeus sanguis, i. e. Ptolemaeus XII Dionysius, Aegypti rex, qui Pompeium interfici iussit; Ptolemaeus enim, Lagi filius, a quo Aegyptii Ptolemaei originem ducebant, Philippum, Macedoniae regem, patrem habuisse creditus est (*). Prop. III. 9. 40.

(*) Curt. IX. 8. 22.

Digitized by Google

Philippi, -orum, Macedoniae adiectae, olim Thraciae, urbs, ubi Brutus et Cassius ab Octaviano et Antonio victi sunt, et Horatius, qui illorum partes secutus erat, incolumis evasit; hodie vicus eo loco idem nomen habet. Hor. Od. II. 7. 9. III. 4. 26. Ep. II. 2. 49. Virg. Ge. I. 490. Ov. Fast. III. 707. Met. XV. 824. Prop. II. 1. 27. — Vocatur sic quoque aureus numus, Philippi, Macedoniae regis, imagine signatus. Hor. Ep. II. 1. 234.

Philippus, -i, fuit Macedoniae rex, Amyntae filius, Alexandri Magni pater. Ov. ex Pont. IV. 15. 15. v. *Amyntiades*.

Philippus (L. Marcius), -i, Romanus civis, A. U. DCXCIII. Consul et DCXCVIII. Censor, fuit orator in primis vehemens ac facetus, domumque habuit in Carinis. Restituit autem Herculis, Musarum praesidis, aedem, eique porticum adiunxit. Hor. Ep. I. 7. 46. sqq. Ov. Fast. VI. 801. v. *Carinae*, *Marcia*.

Phillyrides. v. Philyrides.

Philoctēta et Philoctētes, -ae, Poeantis e Demonassa filius, Herculis comes, qui moriens arcum sagittasque, Lernaei serpentis sanguine tinctas, ei dono dedit. Cum Achivis deinde Troiam profectus, Aulide serpentis morsu ulceratus est, quumque Achivi tetrum vulneris odorem ferre non possent, in Lemno insula, adhortante Ulysse, expositus ac relictus est, donec Oraculi responso, Troiam sine Herculis sagittis capi non posse, Graecis monitis, Ulysses ac Diomedes, Agamemnonis iussu missi, ad Troiam eum duxerunt, ubi, sanato ulcere a Machaone, praeter complures nobiles Troianos Paridem quoque, singulari certamine victum, interfecit. Troia autem capta, Meliboeam, patriam urbem, rediit, unde, seditione exorta, in Italiam fugisse, ibique Peteliam condidisse traditur. Virg. Aen. III. 402. Ov. Met. XIII. 329. sqq. Trist. V. 4. 12. ex Pont. III. 1. 54. Prop II. 1. 61.

Philodēmus, -i, poëta Graecus, Epicureus, Ciceronis tempore clarus. Hor. Sat. I. 2. 121.

Philomēla, -ae, Pandionis I., Athenarum regis, e Zeuxippe filia, procnen sororem Thereo, Thracum regi, nuptam, visura in Thraciam profecta est, quo ubi, Thereo comitante, venit, ab hoc, illicito amore capto, stabulo inclusa, compressa, eique, ne illatum stuprum eloqueretur, lingua excisa est. Philomela vero scelus telae, quam ad sororem perferendam dedit, intexuit. Procne, re cognita, sororem carcere liberavit, et Ityn filium interfecit, patrique epulandum apposuit. Tereus deinde, dum uxorem atque

Digitized by Google

sororem fugientes stricto gladio persequitur, in epopem s. upupam, Philomela in lusciniam, Procne in hirundinem mutati fuisse finguntur. Ov. Am. II. 6. 7. Art. Am. II. 383. Met. VI. 451. sqq. Ponitur saepe pro *luscinia*, interdum pro *hirundine*, in quam alii Philomelam mutatam tradunt (*). Virg. Ecl. VI. 79. Ge. IV. 511.

Philyrĕius, contr. Philyrēus, -a, -um, a Philyra, vel ad Philyram pertinens. *Philyra* autem fuit Nympha, Oceani filia, quae e Saturno, in equum converso, Chironem Centaurum peperit, et, dum inusitata specie queritur, deosque invocat, ut se isti opprobrio eriperent, a Iove, precibus moto, in philyram, i. e. tiliam arborem commutata fingitur.

Philyrēius heros, i. e. Chiron. Ov. Met. II. 676. Fast. V. 391.

Philyrēia tecta, i. e. Chironis. Ov. Met. VII. 352.

Philyrĭdes, -ae, i. e. Chiron, Philyrae filius. Virg. Ge. III. 550. Ov. Art. Am. I. 11. Fast. V. 383. (*). Prop. II. 1. 62.

Phineĭus, contr. Phinēus, -a, -um, e Phineo, Beli vel Agenoris filio, vel ad hunc illumve pertinens. Virg. Aen. III. 212. Ov. Fast. VI. 131. Met. V. 109.

Phineus, -ĕi et -ĕos, Beli ex Anchina filius, Cephei, Aethiopiae regis, frater, qui gravem iniuriam sibi illatam putans Andromedam, sibi ante desponsatam, Perseo dari, in nuptiarum epulis cum sociis adversus Perseum arma suscepit; a quo tamen cum suis, oblato Medusae capite, in lapidem mutatus fingitur. Ov. Art. Am. I. 339. Met. V. 8. sqq. v. *Perseus*, *Andromeda*.

Phineus, -ĕi et -ĕos, Agenoris, al. Neptuni filius, Salmydessi in Thracia rex. filios suos Plexippum ac Pandionem, hortante Idaea, altera eius uxore, excoecavit. Quapropter ipse a diis oculis privatus est, Harpyiaeque ad eum missae sunt, quae ei cibum auferrent, mensamque foedarent. Postea vero quam Argonautas hunc appulsos benigne recepit, Calais atque Zetes Harpyias fugarunt; ab Hercule deinde interfectus est. Ov. Art. Am. I. 339. Rem. Am. 335. Met. VII. 3. Prop. III. 3. 63. v. *Harpyiae*. — Est quoque Atheniensis iustissimus, quem cum Peripha in avem mutatum refert Ov. Met. VII. 399.

(*) Conf. *Heyne* ad h. l.

(†) Omnes autem, Graecos secuti, *Phillyriden* dixerunt, ut prima syllaba produci posset, cf. Grammat. mea Graeca Ed. IV. part. Pros. C. I. §. 6. IV.

Digitized by Google

Phīnīdes, -ae, unus e Phinei posteris. Dicuntur sic Plexippus ac Pandion, Phinei filii. Ov. in Ibin 273. v. *Phineus*.

Phlegēthon, -tis, fingitur fluvius apud inferos, ignem aquae loco volvens. Virg. Aen. VI. 551. Pseudo-Virg. Cul. 271. 373. Invocatur inter Tartari deos. Virg. Aen. VI. 265.

Phlegethontis, -ĭdis, quae est in vel e Phlegethonte, vel ad Phlegethontem pertinet. Ov. Met. V. 544. XV. 532.

Phlegon, -tis, vocatur unus e quattuor Solis equis. Ov. Met. II. 154.

Phlegraeus et Phlegrus, -a, -um, in vel e Phlegra, vel ad Phlegram pertinens. Fuit autem *Phlegra* eadem urbs, quae postea *Pallene* est dicta, in cuius agris Iupiter Gigantes vicisse fingitur. Pseudo-Virg. Cul. 27. Ov. Met. X. 151. Prop. II. 1. 39. III. 9. 37. v. *Pallene*.

Phlegraeus s. *Phlegraeos*, -i, est Centaurus, in Pirithoi nuptiis a Peleo occisus. Ov. Met. XII. 378.

Phlegўas, -ae, fuit Lapitharum rex, Martis filius, Ixionis ac Coronidis pater, qui, quod ob stupri iniuriam, in filiam ab Apolline illatam, dei templum Delphis incenderat, ab Apolline sagittis confixus ad inferos est delectus, ubi subter ingens saxum, quod in eum decidere minatur, iacere fingitur. Virg. Aen. VI. 618.

Phlegўae, -arum, fuerunt Boeotiae gens, quae Minyadem terram inhabitavit, et ob impietatem ac sacrilegium a Neptuno, terra tridenti percussa, abolita fuit. Ov. Met. XI. 414.

Phliasĭus, -a, -um, in vel e Phliunte, vel ad Phliuntem pertinens. Fuit autem *Phlius* Achaiae urbs, haud procul a Sicyone; hodie nil ex ea superest. Ov. in Ibin 329.

Phobētor, -ŏris, unus e Somni dei filiis et ministris, qui varias animantium formas induere, iisque homines perterrefacere fingitur; a diis autem *Icelos* vocatur. Ov. Met. XI. 640.

Phocaei, -orum, sunt Phocaeae, Ioniae urbis maritimae, incolae, quae urbs hodie vicus est et *Fochia Vecchia* dicitur. Hi quum ab Harpago, Cyri duce, gravi premerentur obsidione, uno duntaxat die ad deliberandum de rebus suis concesso, ad urbem relinquendam consilium ceperunt, et in Cyrnum s. Corsicam insulam et Massiliam, suam coloniam in Gallia profecti sunt; ante tamen, quam patria cederent, omni exsecratione iuramentoque se obstrinxerunt, ne quis remaneret, neu prius reverteretur, quam candens ferrum, quod mari immerserant, in huius

Digitized by Google

superficie apparuisset (*). Hor. Epod. XVI. 17.

Phocaĭcus, -a, -um, in vel e Phocaea, vel ad Phocaeam pertinens. Ov. Met. VI. 9. — Praeterea significat ad Phocidem regionem pertinens. Ov. Met. II. 569. Am. III. 9. 47. item Met. II. 244.; ubi tamen rectius legitur *Psophaicus*, q. v.

Phocĕus, -a, -um, in vel e Phocide, vel ad Phocidem pertinens. Ov. Met. V. 276. XI. 348.

Phoceus et *Phoceus iuvenis*, i. e. Pylades, quia Phoci regis, a quo Phocis regio nomen habet, pronepos erat. Ov. Am. II. 6. 15. Trist. I. 5. 21. IV. 4. 71. ex Pont. II. 3. 45.

Phocis, -ĭdis, fuit Graeciae regio in Achaia, inter Boeotiam, Locridem atque Aetoliam; hodie *Livadiae* pars est. Ov. Met. I. 313.

Phocus, -i, Aeaci e Psamathe nympha filius, qui cum Peleum et Telamonem fratres, paterno sanguine iunctos, lucta et pugillatu praestaret, ab his, invidia motis, occisus est. Ov. Met. VII. 47. sqq. XI. 267. 381.

Phoebas, -ădis, i. e. Cassandra, Priami filia, Phoebi sacerdos. Ov. Am. II. 8. 12. Trist. II. 400. Prop. III. 11. 62.; ubi alii *Maenas* legere malunt.

Phoebe, -es, vocatur saepissime Diana s. Luna, Phoebi soror, unde etiam pro ipsa *nocte* ponitur. Virg. Ge. I. 431. Aen. X. 216. Ov. Her. XX. 229. Fast. VI. 235. et al. — Est quoque Tyndarei e Leda filia, Castoris, Pollucis atque Helenes soror. Ov. Her. VIII. 77. — Tandem sic dicitur Leucippi ex Phiodice filia, Ilairae soror, quarum utraque ob formae praestantiam a Castore ac Polluce amata et rapta fingitur. Ov. Art. Am. I. 679. Fast. V. 699. Prop. I. 2. 15. v. *Idas*.

Phoebeĭus, contr. Phoebēus, -a, -um, e Phoebo, vel ad Phoebum pertinens, Phoebo sacer. Ov. Her. XVI. 180. Met. III. 130. et al. v. *Phoebus*.

Phoebeĭus ales, i. e. corvus, quae avis, ab Apolline ex albo in nigrum colorem mutata, ob vaticinandi artem, qua praedita fingitur, huic deo sacra erat. Ov. Met. II. 545. v. *Coronis*.

Phoebeĭus iuvenis, h. e. Aesculapius, Phoebi e Coronide filius. Ov. Met. XV. 642.

Phoebeĭus anguis, i. e. Aesculapius, sub anguis specie, in quem mutatus putabatur, ab Epidauro Romam advectus. Ov. Met. XV. 742.

(*) Herod. I. 165. Suid. in v. Φωκαίων ἀρά, Plut. in Arist. XXVI., et Valckenaer in Diss. de Rit. iur. iur. C. VI. p. 70.

Digitized by Google

Phoebea lampas, i. e. sol. Virg. Aen. III. 637. IV. 6.

Phoebea ars, i. e. medendi, cui Phoebus s. Apollo praeest. Ov. Fast. III. 827.

Phoebeia Byblis, i. e. Phoebi neptis. Ov. Met. IX. 662. v. *Miletus*.

Phoebea virgo audacius sumitur pro *corona laurea*, quod Daphne puella, a Phoebo amata, in laurum mutata fingitur. Ov. ex Pont. II. 2. 82.

Phoebea Troia, i. e. a Phoebo muris cincta, Sab. ap. Ov. II. 77. v. *Laomedon*.

Phoebei ictus, i. e. solis. Ov. Met. V. 389.

Phoebea Hecate, i. e. Phoebes neptis, Sab. ap. Ov. III. 82. v. *Asteria*.

Phoebigĕna, -ae, i. e. Aesculapius, Phoebi filius. Virg. Aen. VII. 773. v. *Coronides*.

Phoebus, -i, (*) id. q. Apollo et Sol. Hor. Od. I. 32. 13. III. 3. 66. et al. Virg. Ecl. III. 62. et al. Ov. Met. I. 451. et saepe. Tib. I. 4. 37. et al. Prop. II. 23. 78. et al.—Ponitur etiam pro utraque coeli plaga, i. e. et orientis et occidentis solis. Ov. Met. I. 338. Iungitur quoque Apollini apud Virg. Aen. III. 251.

Phoebi porticus, i. e. Apollinis, in monte Palatino ab Augusto exstructa, inter cuius columnas Danai filiae erant dispositae, habitu novarum nuptarum. Prop. II. 23. 1.

Phoebi sacerdos, i. e. Sibylla. Virg. Aen. VI. 628.

Phoebi moenia, i. e. Troia. Ov. Her. I. 67. v. *Troia*.

Phoebi filia, i. e. Pasiphaë, Solis e Perseide filia. Ov. Her. X. 91.

Phoebi soror, i. e. Diana. Ov. Met. V. 330. XV. 550. Prop. II. 12. 15.

Phoebi antistita, i. e. Cassandra. Ov. Met. XIII. 410.

Phoebo natus, i. e. Aesculapius, Phoebi filius. Ov. Fast. I. 291. v. *Coronides*.

Phoenissus, -a, -um, in vel e Phoenice, ad Phoenicen pertinens. *Phoenīce* autem fuit Syriae regio maritima ad septemtrionalem Palaestinae partem; hodie idem nomen servat. Virg Aen. I. 670. (674.) Ov. Met. XV. 288.

Phoenissa, i. e. Dido. Virg. Aen. I. 714. (718.) IV. 348. 529. cf. VI. 450., vel Anna, Didus soror, e Phoenice oriundae. Ov. East. III. 595.

Phoenix, -īcis, qui est e Phoenice, Phoenicis incola.

(*) Graece Φοῖβος, splendidus, lucidus; quod quum perpetuum Apollinis s. Solis epitheton sit, Romani inde proprium *Phoebi* nomen fecerunt.

Digitized by Google

Persea, i. e. Hecate, Persae filia, Pseudo-Virg. Cir. 67.

Persĭcus, -a, -um, a Persis, vel ad Persas pertinens. Ov. Trist. V. 10. 34. ex Pont. I. 3. 69. Cat. XC. 2.

Persici apparatus, i. e. luxuriosi, quales Persae in epulis apparandis adhibere solent. Hor. Od. I. 38. 1.

Persis, -ĭdis s. -ĭdos, quae in vel e Persia est, vel ad Persiam pertinet. Ov. Art. Am. I. 172.

Persis, -ĭdis, et Persĭa, -ae, dicitur Asiae regio latissima, inter mare Caspium et sinum Persicum sita. Ov. Art. Am. I. 225. Fast. I. 385. Met. I. 62. Trist. V. 3. 23. Parthi eam bello domuerunt, unde pro Parthico imperio ponitur. Virg. Ge. IV. 290. v. *Parthi.*

Perusīnus, -a, -um, in vel ex Perusia, ad Perusiam pertinens. Fuit autem *Perusia* urbs Etruriae, haud procul a lacu Trasimeno, in qua Antonius ab Octaviano in bello civili obsessus fuit. Prop. I. 22. 3.

Petălē, -es, fuit anus, Cynthiae ancilla, quae quod ad illius mortuae sepulcrum coronam tulerat, a puella, quam Propertius deinde amabat, ad ligneum stipitem vincta lanam tractare coacta fuit. Prop. IV. 7. 39.

Petelĭa s. Petilĭa, -ae, fuit parvum oppidum in Bruttiis, inter Crotonem ac Scylacium, a Philoctete, Herculis comite, quum ob seditionem Meliboea, urbe patria, profugisset, conditum. Hodie vocatur *Belcastro*, al. *Strongli.* Virg. Aen. III. 402.

Petillĭus, -i, Romanus, qui dum Capitolii curam gerebat, Iovis Capitolini auream surripuit coronam, cuius furti reus factus, a iudicibus in Augusti gratiam, cuius amicus fuit, absolutus quidem est, verumtamen eo crimine Capitolini cognomen accepisse fertur. Hor. Sat. I. 4. 94. I. 10. 26.

Petrĭnum, -i, fuit tractus in agro Sinuessae, Campaniae urbis, ubi generosum vinum nascebatur. Hor. Ep. I. 5. 5.

Peucetĭus, -a, -um, in vel e Peucetia, ad Peucetiam pertinens. Fuit autem *Peucetia* Italiae Inferioris regio, inter Apuliam et Messapiam, quae vulgo hodie *Terra di Bari* vocatur. Ov. Met. XIV. 513.

Phaeāces, -um, fuerunt Corcyrae insulae incolae, luxui ac ventri ita indulgentes, ut Phaeax pro maximo heluone dicatur. Hor. Ep. I. 15. 24. Ov. Met. XIII. 719.

Phaeacum arces sunt Phaeaciae s. Corcyrae montes. Virg. Aen. III. 291.

Phaeācis, -ĭdis, carmen de Phaeacibus et Ulyssis nau-

Digitized by Google

fragi apud Alcinoum, Phaeacum regem, hospitio, a Tuticano poëta ex Homero (*) translatum. Ov. ex Pont. IV. 12. 27. IV. 16. 27. v. *Tuticanus*.

Phaeacĭus et Phaeācus, -a, -um, e Phaeacibus, vel ad Phaeaces pertinens. Prop. III. 1. 51. v. *Alcinous*.

Phaeacia tellus, i. e. Corcyra, insula in Iŏnio mari, a Phaeacibus olim inhabitata. Ov. Am. III. 9. 47. Tib. I. 3. 3. IV. 1. 78. v. *Corcyraeus*.

Phaeax, -ācis. v. Phaeaces.

Phaedĭmus, -i, unus ex Amphionis et Niobes filiis, qui ab Apolline ac Diana sagittis transfixi periere. Ov. Met. VI. 239. v. *Niobe*.

Phaedra, -ae, fuit Minois Secundi, Cretae regis, e Pasiphaë filia, quae, Ariadne sorore repudiata, Theseo nupsit, ex quo Acamantem atque Demophoontem suscepit. Hippolytum autem privignum, frustra ad illicitum amorem sollicitatum, apud patrem accusavit, ut si in se stupri iniuriam inferre esset conatus, quo facto Phaedra se ipsa necavit. Virg. Aen. VI. 445. Ov. Her. IV. 74. 112. Fast. VI. 737. Prop. II. 1. 53. v. *Hippolytus*.

Phaestĭas, -ădis, quae e Phaesto est, ad Phaestum pertinet. Fuit autem *Phaestum* Cretae urbs mediterranea; hodie eius rudera adhuc *Festo* dicuntur. Ov. Met. IX. 715.

Phaestĭus, -a, -um, in vel e Phaesto, ad Phaestum pertinens. Ov. Met. IX. 668.

Phaëthon, -tis, Solis e Clymene filius, qui quum patris currum solarem male rexisset, fulmine a Iove ictus in Eridanum fluvium decidisse, et a Naïadibus sepultus fingitur. Hor. Od. IV. 11. 25. Pseudo-Virg. Cul. 127. Ov. Fast. IV. 793. Met. I. 751. sqq. Cat. LXIV. 292. — Vocatur sic quoque ipse *sol*, forsitan quod Phaëthon Graece *luce urens* significet, vel quod Phaethon Solis equis aliquando usus sit. Virg. Aen. V. 105.

Phaëthontēus, -a, -um, a Phaëthonte, vel ad Phaëthontem pertinens. Ov. Met. IV. 246.

Phaëthontiădes, -um, Phaëthontis sorores. Virg. Ecl. VI. 62. v. *Heliades*.

Phaëthūsa, -ae, e Phaëthontis sororibus una, natu maxima. Ov. Met. II. 346. v. *Heliades*.

Phalanthus, -i, fuit Laco, qui A. U. L. cum Partheniis domo profectus, et in Italiam delatus, occupata Tarentinorum arce, ibi regnasse tradi-

(*) Odyss. η et θ.

Digitized by Google

tur. Hor. Od. II. 6. 12. v. *Lacedaemonius.*

Phalăris, -ĭdis, fuit crudelis Agrigentinorum in Sicilia tyrannus. Huic Perillus artifex aeneum taurum, quo homines inclusi comburerentur, dono dedit, in quem tandem et ipse tyrannus, seditione orta, a suis civibus coniectus crematus est, Ov. Art. Am. I. 653. Trist. III. 11. 51. et al. v. *Perillus.*

Phanaeus, -i, fuit mons in Chio insula. qui, uti tota insula, praestantissimo vino nobilis fuit; hodie *Fanale.* Inter vitiferos montes hunc *regem* vocat Virgilius. Ge. II. 98.

Phantăsos, -i, Somni dei filius et minister, qui ut in somnis rerum imagines hominum animis obversentur, efficere fingitur. Ov. Met. XI. 642.

Phaon, -ōnis, Lesbius iuvenis, forma praestans, quem Sappho poëtriam amasse atque carmine celebrasse Ovidius tradidit, Her. XV. 11. sqq. v. *Sappho,* ibique adnot.

Pharĭus, -a, -um, e Pharo, vel ad Pharum pertinens, id. q. Aegyptius. Ov. ex Pont. I. 1. 38. Prop. III. 5. 5. v. *Isiacus.*

Pharia iuvenca, i. e. a) Iō. Ov. Fast. V. 619. b) Isis dea, quo nomine Iō post mortem ab Aegyptiis fuit culta. Ov. Art. Am. III. 635.

Pharia turba sunt ministri et cultores Isidis, quia eius sacra ex Aegypto, in qua insula Pharos, Romam allata erant, Isidis cultores bis die deae laudes canebant. Tib. I. 3. 32.

Pharius piscis, i. e. crocodilus, cuius stercore molestiae in facie enascentes tolli solebant, cutisque nitida reddebatur (*). Ov. Art. Am. III. 270. in Ibin 605.

Pharos s. Pharus, -i, fuit exigua Aegypti insula cum urbe eiusdem nominis prope Alexandriam, cui postea ponte iuncta fuit, et quae, uti universa Aegyptus, Isidis deae cultu nobilis exstitit; hodie Aegyptiis *Farioni* dicitur. Ov. Am. II. 13. 8. Met. IX. 772. XV. 287. Prop. II. 1. 30.

Pharsalĭa, -ae, dicitur tractus ille ad Pharsalum, Thessaliae urbem, ubi Caesar primum Pompeium, mox Octavianus atque Antonius Brutum Cassiumque profligarunt; hodie urbs dicitur *Farsa.* Ov. Met. XV. 823. Cat. LXIV. 36.

Pharsalius, -a, -um, a Pharsalo vel ad Pharsalum pertinens. Cat. LXIV. 36.

Phasiăcus, -a, -um, in vel e Phasi, vel ad Phasin pertinens. Ov. Her. XII. 10.

Phasiaca terra, i. e. Colchis. Ov. Trist. II. 439. v. *Phasis.*

(*) Cf. Plin. Hist. Nat. XXVIII. 28. Hor. Epod. XII. 11.

Digitized by Google

Phasiaca corona, i. e. quam Medusa, Glaucae, Creontis filiae, Iäsoni nuptae, dono dedit, et qua incensa haec cum patre eiusque regia conflagravit (†). Ov. in Ibin 605.

Phasĭas, -ădis, et Phasis, -ĭdis, quae ad Phasin pertinet, Phasidis accola. Prop. I. 20. 18.

Phasias s. *Phasis puella*, i. e. Medea, ex Colchide, cuius regionis fluvius Phasis est. Ov. Her. VI. 103. XIX. 176. Art. Am. II. 103. 382. Fast. II. 42. Met. VII. 298. ex Pont. III. 3. 80.

Phasis, -is et -ĭdis s. -ĭdos, fluvius, Colchidis regionis maximus, qui e Caucasi montibus exortus in Pontum Euxinum defertur; hodie *Fasso*. Virg. Ge. IV. 367. Ov. Met. II. 249. VII. 6. ex Pont. IV. 10. 52. Cat. LXIV. 3. Prop. III. 21. 11.

Phasidos patria, i. e. Colchis. Ov. Her. VI. 108.

Phayllaeus, -a, -um, e Phayllo, vel ad Phayllum pertinens. Fuit autem *Phayllus* Ambraciae tyrannus, qui ab obvia leaena discerptus fertur. Ov. in Ibin 504.

Phegeĭus, -a, -um, a Phegeo, Alphei filio, vel ad Phegeum, Alphei filium, pertinens.

Phegeius ensis, i. e. Temeni et Axionis, Phegei filiorum, qui Alcmaeonem, monile aureum, antea Alphesiboeae datum, reposcentem patris iussu interfecerunt. Ov. Met. IX. 412. v. *Amphiaraides*.

Phegeus, -ĕi, vocatur Aeneae famulus. Virg. Aen. V. 263., et duo Troiani, quorum uterque Aenea duce in Italiam profectus a Turno occisus est. Virg. Aen. V. 263. IX. 765. XII. 371.

Phegis, -ĭdis, i. e. Alphesiboea, Phegei filia. Ov. Rem. Am. 455.

Phemĭus, -i, fuit musicus in Ithaca, qui in Penelopes procorum conviviis canere solebat, et ita sua arte excelluisse videtur, ut ab Ovidio pro quocunque egregio musico ponatur. Am. III. 7. 61.

Phenĕos s. Phenĕus, i, antiqua Arcadiae urbs prope Cyllenen montem, ubi Euander quondam regnavit, et in cuius agris Styx lacus exstitit, cuius aqua noctu bibentibus mortifera, interdiu vero innocua fuisse fingitur; hodie idem nomen servat. Virg. Aen. VIII. 165. Ov. Met. XV. 332. Cat. LXVIII. 109.

Pheraeus, -a, -um, in vel e Pheris, vel ad Pheras pertinens. Fuerunt autem *Pherae* Thessaliae urbs, a Pherete, Crethei et Tyronis filio, condita; hodie ex hac nihil superest.

(†) Horat. illud donum *pallam* fuisse canit. Epod. V.

Digitized by Google

Pheraeus est Alexander, crudelis Pherarum tyrannus, qui a Thebe uxore, adiuvantibus fratribus, noctu necatus traditur. Ov. in Ibin. 323.

Pheraea gens, i. e. Pheraei tyranni genus. Ov. ex Pont. II. 9. 43.

Pheraea vacca, i. e. Admeti, Pheraeorum in Thessalia regis. Ov. Her. XV. 151. Art. Am. II. 239.

Phereclēus, -a, -um, a Phereclo, vel ad Phereclum pertinens. *Pherēclus* autem navem, qua Paris raptam Helenen Troiam abduxit, aedificasse fertur. Ov. Her. XVI. 22.

Pheres, -ētis, Troianus, quem cum Aenea in Italiam profectum Halesus, Turni regis socius, interemit. Virg. Aen. X. 413.

Pheretiădes, -ae, i. e. Admetus, Pheretis regis filius. Ov. Art. Am. III. 19. Met. VIII. 310.

Phiăle, -es, una e Nymphis, quae in Dianae comitibus fuerunt. Ov. Met. III. 172.

Phidiăcus, -a, -um, a Phidia, vel ad Phidian pertinens. *Phidĭas* autem fuit insignis statuarius apud Graecos, qui aeneas et eburneas statuas fecisse traditur. In primis Iovis Olympii, ex auro et ebore, et Minervae statua, ab illo ex aere affabre facta, et ab Atheniensibus in arce collocata, nobilitatus est. Ov. ex Pont. IV. 1. 32. Prop. III. 7. 15.

Phidўle, -es, villica in Horatii praedio fuisse videtur. Hor. Od. III. 23. 2.

Philammon, -ŏnis, Phoebi s. Apollinis e Chione filius, Autolyci frater uterinus, musica arte clarus. Ov. Met. XI. 317.

Philēmon, -ŏnis, pauper rusticus, Phrygius, Baucidis maritus. Ov. Met. VIII. 631. sqq. v. *Baucis*.

Philesĭus. Ov. in Ibin 329. Rectius pro eo legitur *Phliasius*. q. v.

Philetēus, -a, -um, a Phileta poëta, vel ad Philetan pertinens. Prop. III. 2. 52. IV. 6. 3.

Philētas, -ae, elegiarum poëta Graecus, qui Philippi et Alexandri Magni tempore in insula Coo floruit et Battidem puellam, quam amabat, carminibus celebravit; Propertius hunc imitari studuit. Prop. II. 25. 31. III. 1. 1.

Philippēus, -a, -um, a Philippo, Macedoniae rege, vel ad Philippum pertinens.

Philippeus sanguis, i. e. Ptolemaeus XII Dionysius, Aegypti rex, qui Pompeium interfici iussit; Ptolemaeus enim, Lagi filius, a quo Aegyptii Ptolemaei originem ducebant, Philippum, Macedoniae regem, patrem habuisse creditus est (*). Prop. III. 9. 40.

(*) Curt. IX. 8. 22.

Digitized by Google

Philippi, -orum, Macedoniae adiectae, olim Thraciae, urbs, ubi Brutus et Cassius ab Octaviano et Antonio victi sunt, et Horatius, qui illorum partes secutus erat, incolumis evasit; hodie vicus eo loco idem nomen habet. Hor. Od. II. 7. 9. III. 4. 26. Ep. II. 2. 49. Virg. Ge. I. 490. Ov. Fast. III. 707. Met. XV. 824. Prop. II. 1. 27. — Vocatur sic quoque aureus numus, Philippi, Macedoniae regis, imagine signatus. Hor. Ep. II. 1. 234.

Philippus, -i, fuit Macedoniae rex, Amyntae filius, Alexandri Magni pater. Ov. ex Pont. IV. 15. 15. v. *Amyntiades*.

Philippus (L. Marcius), -i, Romanus civis, A. U. DCXCIII. Consul et DCXCVIII. Censor, fuit orator in primis vehemens ac facetus, domumque habuit in Carinis. Restituit autem Herculis, Musarum praesidis, aedem, eique porticum adiunxit. Hor. Ep. I. 7. 46. sqq. Ov. Fast. VI. 801. v. *Carinae*, *Marcia*.

Phillyrides. v. Philyrides.

Philoctēta et Philoctētes, -ae, Poeantis e Demonassa filius, Herculis comes, qui moriens arcum sagittasque, Lernaei serpentis sanguine tinctas, ei dono dedit. Cum Achivis deinde Troiam profectus, Aulide serpentis morsu ulceratus est, quumque Achivi tetrum vulneris odorem ferre non possent, in Lemno insula, adhortante Ulysse, expositus ac relictus est, donec Oraculi responso, Troiam sine Herculis sagittis capi non posse, Graecis monitis, Ulysses ac Diomedes, Agamemnonis iussu missi, ad Troiam eum duxerunt, ubi, sanato ulcere a Machaone, praeter complures nobiles Troianos Paridem quoque, singulari certamine victum, interfecit. Troia autem capta, Meliboeam, patriam urbem, rediit, unde, seditione exorta, in Italiam fugisse, ibique Peteliam condidisse traditur. Virg. Aen. III. 402. Ov. Met. XIII. 329. sqq. Trist. V. 4. 12. ex Pont. III. 1. 54. Prop II. 1. 61.

Philodēmus, -i, poëta Graecus, Epicureus, Ciceronis tempore clarus. Hor. Sat. I. 2. 121.

Philomēla, -ae, Pandionis I., Athenarum regis, e Zeuxippe filia, prochen sororem Thereo, Thracum regi, nuptam, visura in Thraciam profecta est, quo ubi, Thereo comitante, venit, ab hoc, illicito amore capto, stabulo inclusa, compressa, eique, ne illatum stuprum eloqueretur, lingua excisa est. Philomela vero scelus telae, quam ad sororem perferendam dedit, intexuit. Procne, re cognita, sororem carcere liberavit, et Ityn filium interfecit, patrique epulandum apposuit. Tereus deinde, dum uxorem atque

Digitized by Google

sororem fugientes stricto gladio persequitur, in epopem s. upupam, Philomela in lusciniam, Procne in hirundinem mutati fuisse finguntur. Ov. Am. II. 6. 7. Art. Am. II. 383. Met. VI. 451. sqq. Ponitur saepe pro *luscinia*, interdum pro *hirundine*, in quam alii Philomelam mutatam tradunt (*). Virg. Ecl. VI. 79. Ge. IV. 511.

Philyrĕius, contr. Philyrēus, -a, -um, a Philyra, vel ad Philyram pertinens. *Philyra* autem fuit Nympha, Oceani filia, quae e Saturno, in equum converso, Chironem Centaurum peperit, et, dum inusitata specie queritur, deosque invocat, ut se isti opprobrio eriperent, a Iove, precibus moto, in philyram, i. e. tiliam arborem commutata fingitur.

Philyrĕius heros, i. e. Chiron. Ov. Met. II. 676. Fast. V. 391.

Philyrĕia tecta, i. e. Chironis. Ov. Met. VII. 352.

Philyrĭdes, -ae, i. e. Chiron, Philyrae filius. Virg. Ge. III. 550. Ov. Art. Am. I. 11. Fast. V. 383. (*). Prop. II. 1. 62.

Phineĭus, contr. Phinēus, -a, -um, e Phineo, Beli vel Agenoris filio, vel ad hunc illumve pertinens. Virg. Aen. III. 212. Ov. Fast. VI. 131. Met. V. 109.

Phineus, -ĕi et -ĕos, Beli ex Anchina filius, Cephei, Aethiopiae regis, frater, qui gravem iniuriam sibi illatam putans Andromedam, sibi ante desponsatam, Perseo dari, in nuptiarum epulis cum sociis adversus Perseum arma suscepit; a quo tamen cum suis, oblato Medusae capite, in lapidem mutatus fingitur. Ov. Art. Am. I. 339. Met. V. 8. sqq. v. *Perseus*, *Andromeda*.

Phineus, -ĕi et -ĕos, Agenoris, al. Neptuni filius, Salmydessi in Thracia rex. filios suos Plexippum ac Pandionem, hortante Idaea, altera eius uxore, excoecavit. Quapropter ipse a diis oculis privatus est, Harpyiaeque ad eum missae sunt, quae ei cibum auferrent, mensamque foedarent. Postea vero quam Argonautas hunc appulsos benigne recepit, Calais atque Zetes Harpyias fugarunt; ab Hercule deinde interfectus est. Ov. Art. Am. I. 339. Rem. Am. 335. Met. VII. 3. Prop. III. 3. 63. v. *Harpyiae*. — Est quoque Atheniensis iustissimus, quem cum Peripha in avem mutatum refert Ov. Met. VII. 399.

(*) Conf. *Heyne* ad h. l.

(†) Omnes autem, Graecos secuti, *Phillyriden* dixerunt, ut prima syllaba produci posset, cf. Grammat. mea Graeca Ed. IV. part. Pros. C. I. §. 6. IV.

Digitized by Google

Phinīdes, -ae, unus e Phinei posteris. Dicuntur sic Plexippus ac Pandion, Phinei filii. Ov. in Ibin 273. v. *Phineus*.

Phlegēthon, -tis, fingitur fluvius apud inferos, ignem aquae loco volvens. Virg. Aen. VI. 551. Pseudo-Virg. Cul. 271. 373. Invocatur inter Tartari deos. Virg. Aen. VI. 265.

Phlegethontis, -ĭdis, quae est in vel e Phlegethonte, vel ad Phlegethontem pertinet. Ov. Met. V. 544. XV. 532.

Phlegon, -tis, vocatur unus e quattuor Solis equis. Ov. Met. II. 154.

Phlegraeus et Phlegrus, -a, -um, in vel e Phlegra, vel ad Phlegram pertinens. Fuit autem *Phlegra* eadem urbs, quae postea *Pallene* est dicta, in cuius agris Iupiter Gigantes vicisse fingitur. Pseudo-Virg. Cul. 27. Ov. Met. X. 151. Prop. II. 1. 39. III. 9. 37. v. *Pallene*.

Phlegraeus s. *Phlegraeos*, -i, est Centaurus, in Pirithoi nuptiis a Peleo occisus. Ov. Met. XII. 378.

Phlegўas, -ae, fuit Lapitharum rex, Martis filius, Ixionis ac Coronidis pater, qui, quod ob stupri iniuriam, in filiam ab Apolline illatam, dei templum Delphis incenderat, ab Apolline sagittis confixus ad inferos est delectus, ubi subter ingens saxum, quod in eum decidere minatur, iacere fingitur. Virg. Aen. VI. 618.

Phlegўae, -arum, fuerunt Boeotiae gens, quae Minyadem terram inhabitavit, et ob impietatem ac sacrilegium a Neptuno, terra tridenti percussa, abolita fuit. Ov. Met. XI. 414.

Phliasĭus, -a, -um, in vel e Phliunte, vel ad Phliuntem pertinens. Fuit autem *Phlius* Achaiae urbs, haud procul a Sicyone; hodie nil ex ea superest. Ov. in Ibin 329.

Phobētor, -ōris, unus e Somni dei filiis et ministris, qui varias animantium formas induere, iisque homines perterrefacere fingitur; a diis autem *Icelos* vocatur. Ov. Met. XI. 640.

Phocaei, -orum, sunt Phocaeae, Ioniae urbis maritimae, incolae, quae urbs hodie vicus est et *Fochia Vecchia* dicitur. Hi quum ab Harpago, Cyri duce, gravi premerentur obsidione, uno duntaxat die ad deliberandum de rebus suis concesso, ad urbem relinquendam consilium ceperunt, et in Cyrnum s. Corsicam insulam et Massiliam, suam coloniam in Gallia profecti sunt; ante tamen, quam patria cederent, omni exsecratione iuramentoque se obstrinxerunt, ne quis remaneret, neu prius reverteretur, quam candens ferrum, quod mari immerserant, in huius

Digitized by Google

superficie apparuisset (*). Hor. Epod. XVI. 17.

Phocaĭcus, -a, -um, in vel e Phocaea, vel ad Phocaeam pertinens. Ov. Met. VI. 9. — Praeterea significat ad Phocidem regionem pertinens. Ov. Met. II. 569. Am. III. 9. 47. item Met. II. 244.; ubi tamen rectius legitur *Psophaicus*, q. v.

Phocĕus, -a, -um, in vel e Phocide, vel ad Phocidem pertinens. Ov. Met. V. 276. XI. 348.

Phoceus et *Phoceus iuvenis*, i. e. Pylades, quia Phoci regis, a quo Phocis regio nomen habet, pronepos erat. Ov. Am. II. 6. 15. Trist. I. 5. 21. IV. 4. 71. ex Pont. II. 3. 45.

Phocis, -ĭdis, fuit Graeciae regio in Achaia, inter Boeotiam, Locridem atque Aetoliam; hodie *Livadiae* pars est. Ov. Met. I. 313.

Phocus, -i, Aeaci e Psamathe nympha filius, qui cum Peleum et Telamonem fratres, paterno sanguine iunctos, lucta et pugillatu praestaret, ab his, invidia motis, occisus est. Ov. Met. VII. 47. sqq. XI. 267. 381.

Phoebas, -ădis, i. e. Cassandra, Priami filia, Phoebi sacerdos. Ov. Am. II. 8. 12. Trist. II. 400. Prop. III. 11. 62.; ubi alii *Maenas* legere malunt.

Phoebe, -es, vocatur saepissime Diana s. Luna, Phoebi soror, unde etiam pro ipsa *nocte* ponitur. Virg. Ge. I. 431. Aen. X. 216. Ov. Her. XX. 229. Fast. VI. 235. et al. — Est quoque Tyndarei e Leda filia, Castoris, Pollucis atque Helenes soror. Ov. Her. VIII. 77. — Tandem sic dicitur Leucippi ex Philodice filia, Ilairae soror, quarum utraque ob formae praestantiam a Castore ac Polluce amata et rapta fingitur. Ov. Art. Am. I. 679. Fast. V. 699. Prop. I. 2. 15. v. *Idas*.

Phoebeĭus, contr. Phoebĕus, -a, -um, e Phoebo, vel ad Phoebum pertinens, Phoebo sacer. Ov. Her. XVI. 180. Met. III. 130. et al. v. *Phoebus*.

Phoebeĭus ales, i. e. corvus, quae avis, ab Apolline ex albo in nigrum colorem mutata, ob vaticinandi artem, qua praedita fingitur, huic deo sacra erat. Ov. Met. II. 545. v. *Coronis*.

Phoebeĭus iuvenis, h. e. Aesculapius, Phoebi e Coronide filius. Ov. Met. XV. 642.

Phoebeĭus anguis, i. e. Aesculapius, sub anguis specie, in quem mutatus putabatur, ab Epidauro Romam advectus. Ov. Met. XV. 742.

(*) Herod. I. 165. Suid. in v. Φωκαίων ἀρά, Plut. in Arist. XXVI., et Valckenaer in Diss. de Rit. iur. iur. C. VI. p. 70.

Digitized by Google

Phoebea lampas, i. e. sol. Virg. Aen. III. 637. IV. 6.

Phoebea ars, i. e. medendi, cui Phoebus s. Apollo praeest. Ov. Fast. III. 827.

Phoebeia Byblis, i. e. Phoebi neptis. Ov. Met. IX. 662. v. *Miletus*.

Phoebea virgo audacius sumitur pro *corona laurea*, quod Daphne puella, a Phoebo amata, in laurum mutata fingitur. Ov. ex Pont. II. 2. 82.

Phoebea Troia, i. e. a Phoebo muris cincta, Sab. ap. Ov. II. 77. v. *Laomedon*.

Phoebei ictus, i. e. solis. Ov. Met. V. 389.

Phoebea Hecate, i. e. Phoebes neptis, Sab. ap. Ov. III. 82. v. *Asteria*.

Phoebigĕna, -ae, i. e. Aesculapius, Phoebi filius. Virg. Aen. VII. 773. v. *Coronides*.

Phoebus, -i, (*) id. q. Apollo et Sol. Hor. Od. I. 32. 13. III. 3. 66. et al. Virg. Ecl. III. 62. et al. Ov. Met. I. 451. et saepe. Tib. I. 4. 37. et al. Prop. II. 23. 78. et al.—Ponitur etiam pro utraque coeli plaga, i. e. et orientis et occidentis solis. Ov. Met. I. 338. Iungitur quoque Apollini apud Virg. Aen. III. 251.

Phoebi porticus, i. e. Apollinis, in monte Palatino ab Augusto exstructa, inter cuius columnas Danai filiae erant dispositae, habitu novarum nuptarum. Prop. II. 23. 1.

Phoebi sacerdos, i. e. Sibylla. Virg. Aen. VI. 628.

Phoebi moenia, i. e. Troia. Ov. Her. I. 67. v. *Troia*.

Phoebi filia, i. e. Pasiphaë, Solis e Perseide filia. Ov. Her. X. 91.

Phoebi soror, i. e. Diana. Ov. Met. V. 330. XV. 550. Prop. II. 12. 15.

Phoebi antistita, i. e. Cassandra. Ov. Met. XIII. 410.

Phoebo natus, i. e. Aesculapius, Phoebi filius. Ov. Fast. I. 291. v. *Coronides*.

Phoenissus, -a, -um, in vel e Phoenice, ad Phoenicen pertinens. *Phoenīce* autem fuit Syriae regio maritima ad septemtrionalem Palaestinae partem; hodie idem nomen servat. Virg Aen. I. 670. (674.) Ov. Met. XV. 288.

Phoenissa, i. e. Dido. Virg. Aen. I. 714. (718.) IV. 348. 529. cf. VI. 450., vel Anna, Didus soror, e Phoenice oriundae. Ov. Fast. III. 595.

Phoenix, -īcis, qui est e Phoenice, Phoenicis incola.

(*) Graece Φοῖβος, splendidus, lucidus; quod quum perpetuum Apollinis s. Solis epitheton sit, Romani inde proprium *Phoebi* nomen fecerunt.

Digitized by Google

Virg. Aen. I. 344. (348.) Ov. Met. III. 46. Prop. II. 20. 61.

Phoenix, -icis, Amyntoris, Dolopum regis, filius, apri Calydonii venationis socius, qui stupri iniuriae in Clytiam, patris pellicem, falso accusatus propterea a patre oculis privatus est. A Peleo autem, ad quem se contulerat, ad Chironem Centaurum ductus est, qui illi visum restituit. Cum Achille deinde Troiam profecto, urbe capta, praedae custodia ei cum Ulysse commissa fuit. Virg. Aen. II. 762. Ov. Her. III. 129. Met. VIII. 307. Art. Am. I. 337. Prop. II. 1. 62. — Est quoque *Phoenix* Carmes pater, qui Ogygius cognominatur: sitne vero hic Agenoris filius, an alius, non liquet. Pseudo-Virg. Cir. 220.

Pholŏe, -es, Peloponnesi mons in Arcadia, haud procul a Parrhasia urbe; hodie *Xiria*. Ov. Fast. II. 273.

Pholŏe, -es, nomen servae Cretensis, ab Aenea Sergesto donatae. Virg. Aen. V. 285. — Vocatur sic quoque puella formosa ac superba, Chloridis filia, quae a *Cyro*, etiam *Maratho* dicto, multisque aliis procis frustra petitur. Hor. Od. I. 33. 7. 9. II. 5. 17. III. 15. 7. Tib. I. 8. 69.

Pholus, -i, fuit unus e Centauris, quem Virgilius in Pirithoi nuptiis, vino inebriatum, interfectum; Ovidius vero fuga mortis periculum evasisse dicit. Ge. II. 456. Aen. VIII. 294. Met. XII. 306. — Item Troianus, quem in Italia Turnus interemit. Virg. Aen. XII. 341.

Phorbas, -ntis, dicitur unus e Priami filiis, cuius formam adsumsit Somnus deus, quum Palinurum, Aeneae navis gubernatorem, opprimere aggrederetur. Virg. Aen. V. 842. — Est quoque Methionis filius, Syenites, qui in Persei nuptiis ab Amphimedonte interfectus est. Ov. Met. V. 74. 78. — Item Phlegyarum in Boeotia rex impius, qui Delphos euntes occidere solebat. Ov. Met. XI. 414. — Denique unus e Lapithis, qui in Pirithoi nuptiis Aphidan interemit. Ov. Met. XII. 322.

Phorcus, -i, Phorcys, -yos, et Phorcyn, -ynos, Ponti e Tellure filius, deus marinus habitus, qui e Cetone sorore *Gorgones* et *Phorcydes* procreavit. Virg. Aen. V. 240. 824. — Vocatur sic quoque unus e Latinis, cuius septem filii Turno adversus Aenean auxilio profecti sunt. Virg. Aen. X. 328. s. *Phorcydes*.

Phorcydes, -um, dicuntur duae Phorci e Cetone filiae, Gorgonum sorores, *Pemphredo* et *Enyo*, ab ortu inde anus factae et Graecis hinc *Graeae* dictae, quae ambae unum tantum oculum habebant, quem altera alteri tradente, vicissim utraque eo uti solebat. Perseus

Digitized by Google

vero quum ad has venisset, oculum interceptum se redditurum negavit, nisi viam, qua Medusam inveniret, ante indicassent. Ov. Met. IV. 774.

Phorcȳnis, -ĭdos, i. e. Medusa, Phorci filia. Ov. Met. IV. 742. — Item Medusae caput. Ov. Met. V. 230.

Phorcis, -ĭdos, i. q. Medusa. Prop. III. 21. 8.

Phorōnis, -ĭdos, i. e. Io, Inachi filia, Phoronei soror. Ov. Met. I. 668. II. 524.

Phraātes, -ae, fuit Parthorum rex, Orodis filius, Pacori frater, cui, ob crudelitatem expulso, Scythae, ad quos confugerat, regnum restituerunt. Hunc postea Augustus solo sui nominis terrore ita devicit, ut non tantum signa, antea M. Crasso et Antonio adempta, captivosque redderet, sed etiam filios Romanis obsides daret. Hor. Od. II. 2. 17. Ep. I. 12. 27. v. *Parthi*.

Phrixēus, -a, -um, a Phrixo, vel ad Phrixum pertinens. Ov. Her. XII. 8.

Phrixeas ovis vellera et *Phrixea vellera*, i. e. aureum vellus arietis, qui Phrixum in Colchidem tulerat. Ov. Her. VI. 104. Fast. III. 852. Met. VII. 7.

Phrixos s. Phrixus, i, (*) Athamantis, Thebarum regis, e Nephele filius, Helles soror. Quum Ino noverca utrique insidias strueret, Nephele in coelum recepta liberos, qui iam ad aram stabant immolandi, subduxit, iisque arietem, cuius vellus erat aureum, dedit, quo mare traiicientes in Colchidem abirent; quum vero aries eos in pelagus detulisset, Helle de ariete decidens freto Hellesponti nomen dedit. Phrixus autem, ut incolumis in Colchidem pervenit, arietem immolavit aureamque pellem Marti dicavit. Aeetes, Colchidis rex, Phrixo benigne recepto, Chalciopen filiam dedit uxorem. Aureum vellus, quod a dracone servabatur, postea Iāson cum Argonautis, adiutrice Medea, in Thessaliam abduxit. Ov. Her. XVIII. 143. XIX. 163. et al.

Phrygĭa, -ae, duplex Asiae Minoris regio, quarum altera, *minor* dicta, ad Hellespontum et Aegaeum mare fuit sita. Hor. Od. II. 12. 22. Virg. Aen. VII. 267. Ov. Her XVI. et al. Prop. III. 11. 63. *Maior* autem magna mediterranea regio, Cariae, Lydiae et Galatiae, fuit contermina. Hodie utraque ad Natoliam pertinet. Ov. Met. VI. 146. 400. cf. Prop. II. 25. 35.

Phrygĭus, -a, -um, in vel e Phrygia, vel ad Phrygiam pertinens, et quia Troia in Phrygia Minore erat sita, id. q. *Troianus*. Hor. Od. II.

(*) Non *Phryxus*. Est enim Graece Φρίξος, cf. Apoll. I. 9. 1.

Digitized by Google

9. 16. Virg. Ge. IV. 41. et saepe. Ov. Her. I. 54. et al. Cat. LXIV. 345. Prop. II. 1. 42.

Phrygius lapis et *Phrygiae columnae*, i. e. marmor ex Synnădis, Phrygiae Maioris urbe, quod candidum purpureisque maculis distinctum Romanis in maximo pretio fuit. Hor. Od. III. 1. 41. Tib. III. 3. 13.

Phrygius maritus, i. e. *Aeneas*. Virg. Aen. IV. 103. Ov. Met. XIV. 79., aut *Pelops*. Prop. I. 2. 19.

Phrygius pastor s. *vir*, i. e. Paris, Priami, Troiae regis, filius. Virg. Aen. VII. 363. Ov. Art. Am. I. 54.

Phrygius praedo s. *tyrannus* vocatur, a) cum contemtu *Aeneas*. Virg. Aen. XI. 484. XII. 75. b) *Laomedon*, Troiae rex. Ov. Met. XI. 203.

Phrygius senex, i. e. Antenor. Ov. ex Pont. IV. 16. 18.

Phrygius vates, i. e. Helenus, Priami filius. Ov. Met. XIII. 721.

Phrygia mater, i. e. Cybele, quod in Phrygia imprimis colebatur. Virg. Aen. VII. 139. Ov. Fast. II. 55.

Phrygio sono tibia, i. e., Phrygia tibia, qua inter sacrificandum cani solebat, ne quid sinistri in sacris audiretur. Tib. II. 1. 86.

Phrygium aequor, *Phrygiae undae*, i. e. maris mediterranei pars, quae Phrygiam Minorem s. Troada alluit. Virg. Aen. I. 381. (385). Prop. II. 23. 65.

Phrygium flumen, i. e. Marsyas, Phrygiae Maioris amnis, Ov. in Ibin 554.

Phrygium buxum, i. e. quo in Cybeles sacris sacerdotes cantare solebant. Ov. ex Pont. I. 1. 45.

Phrygium nemus, i. e. in monte Ida, ubi Cybeles sacra peragobantur. Cat. LXIII. 2. 20.

Phrygii campi sunt Bithyniae, quae antiquis temporibus ad Phrygiam pertinuit. Cat XLVI. 4.

Phrygii modi, i. e., cantus Gallorum, Cybeles sacerdotum, qui sibi virilia membra abscindebant. Tib. I. 4. 70.

Phrygiae sorores sunt Priami filiae. Hor. Od. II. 9. 16.

Phrygiae carinae, i. e. Paridis Troiani. Ov. Am. I. 10. 1.

Phryne, -es, fuit famosa meretrix, Thespiis nata, quae Thebas, ab Alexandro deletas, instauraturam se promittebat, si titulo honoraretur, Phrynen meretricem refecisse Thebas, quas Alexander everterat. Prop. II. 5. 6. — Item Romana puella, quam Horatius frustra amavit. Hor. Epod. XIV. 16. — Nomen lenae. Tib. II. 6. 45.

Phryx, -gis, in vel e Phrygia, ad Phrygiam pertinens, Phrygiae incola, saepe id. q. Troianus. Hor. Od. I. 15. 34. Virg. Aen. I. 468. (472.) II.

Digitized by Google

191. et al. Ov. Her. XVI. 196. Fast. IV. 223. et al. Cat. LXIII. 22. Prop. II. 18. 30. IV. 1. 2.

Phryx, i. e. *Aeneas*. Virg. Aen. XII. 99. Ov. Fast. IV. 274.; et *Attis*, vel Gallus, Cybeles sacerdos. Prop. II. 18. 16.

Phryx satyrus, i. e. Marsyas. Ov. ex Pont. III. 3. 42.

Phryxēus. v. Phrixeus.

Phryxus. v. Phrixus.

Phthia, -ae, Thessaliae urbs in Phthiotide apud sinum Maliacum, Achillis patria et regnum; hodie nihil ex ea superest. Virg. Aen. I. 284. (288.) Ov. Met. XIII. 156.

Phthias, -ădis, femina e Phthia. Ov. Her. VII. 165.

Phthiōta, -ae, qui e Phthiotide est, ad Phthiotidem pertinet. Fuit autem *Phthiōtis* Thessaliae regio australis ad sinum Maliacum, in qua Phthia urbs nobilis fuit. Ov. Am. III. 6. 32.

Phthioticus, -a, -um, ad Phthiotin pertinens.

Phthiotica Tempe i. e. Tempe in Pelasgiotide Thessalia inter Ossam et Olympum; dicitur autem *Phthiotica* a vicinitate, uti poëtis assolet. Cat. LXIV. 55.

Phthius, -a, -um, in vel e Phthia, vel ad Phthiam pertinens. Hor. Od. IV. 6. 4. Ov. Her. III. 65.

Phthius vir, i. e. Achilles. Prop. II. 10. 18.

Phthius rex, i. e. Peleus, Achillis pater, Phthiae rex. Ov. Am. II. 17. 17.

Phyăces, -ae, Getarum regulus, qui crebris incursionibus Tomitarum agros infestabat. Ov. ex Pont. IV. 10. 23.

Phylaceĭus, -a, -um, in vel e Phylace, vel ad Phylacen pertinens. Fuit autem *Phylăce* Thessaliae in Phthiotide urbs inter Pellam et Larissam, de qua hodie non constat.

Phylaceĭa coniux, i. e. Laodamia, Protesilai uxor, dicta sic a Phylace, ubi Protesilaus regnavit, vel a Phylaco, Protesilai avo. Ov. Trist. V. 14. 39.

Phylacĭdes, -ae, (*) i. e. Protesilaus, Phylaci nepos. Ov. Am. II. 6. 41. Art. Am. II. 356. et al. Prop. I. 19. 7.

Phyleus, -ĕi, Augiae, Elidis regis, filius, unus e Graeciae principibus, ad Calydonium aprum interficiendum accitus. Ov. VIII. 308.

Phylĭus s. Phyllĭus, -i, Boeotius iuvenis, qui Cycni, formosi Hyriei filii, amorem sibi conciliare studens, huius iussu magnos vultures vivos cepit, atque ad illum perduxit; ingentem leonem, in Aetolorum pecora grassantem, sine armis interfecit; deinde taurum quoque vincere iussus est, id quod Phy-

(*) Metrica necessitate per duplex l. scribitur l. l.

Digitized by Google

lius, suum amorem toties contemtum videns, negavit. Quo facto Cycnus superbus, hoc aegre ferens, se alto saxo deiecit. Ov. Met. VII. 372.

Phyllēis, -ĭdis, quae est e Phyllo, Thessaliae urbe in Phthiode, ex qua nihil hodie superest. Ov. Her. XIII. 35.

Phyllēĭus, contr. Phyllēus, -a, -um, in vel e Phyllo urbe, vel ad Phyllum pertinens. Ov. Art. Am. III. 783.

Phylleus iuvenis, i. e. Caeneus, Phyllo urbe oriundus. Ov. Met. XII. 479.

Phyllis, -ĭdis et -ĭdos, fuit Sithonis, Thraciae regis, filia, Thracum regina, quae Demophoontem, Thesei, Athenarum regis, filium, Troia domum redeuntem et huc appulsum, benigne recepit suo que amore dignata est. Quum vero Demophoon ante quam nuptias contraheret, Athenas proficiscendi, ibique suas res componendi veniam impetrasset, et dicta die non rediisset, Phyllis amoris impatiens laqueo vitam finivit et in amygdalum arborem conversa est. Ov. Her. II. 1. Am. II. 18. 22. Art. Am. III. 38. 460. et al. Prop. II. 19. 30. v. *Demophoon* — Est quoque fictum puellarum nomen. Hor. Od. II. 4. 14. IV. 11. 3. Virg. Ecl. III. 76. 78. V. 10. Ov. Trist. II. 5. 37. ex Pont. IV. 16. 20. Prop. IV. 8. 29. 57.

Phyllodŏce, -es, Nerei et Doridis filia, una e nymphis marinis, Cyrenes comes. Virg. Ge. IV. 336.

Pĭcēnus, -a, -um, in vel e Piceno agro in Italia, Umbriae regioni confini. Laudantur Piceni agri mala, utpote quorum succus admodum grati saporis esset. Horum autem semina digitis premere et emittere solebant amatores, quae si cameram coenaculi attigissent, felicissimi amoris omen dabant. Hor. Sat. II. 3. 272. II. 4. 70.

Pĭcus, -i, a Romanis deus agrestis habitus, fuit antiquus Aboriginum in Italia rex, equorum studiosissimus, Saturni filius, qui e Canente, Iani regis filia, Faunum procreavit; a Circe autem in venatione visus et ob eximiam formam amatus est; sed eius amorem adspernatus, aurea virga a dea percussus, in sui nominis avem conversus fingitur. Virg. Aen. VII. 48. sqq. Ov. Fast. III. 291. 299. 319. Met. XIV. 320. sqq.

Pierĭdes, -um, dicuntur Musae, a Pieria, Macedoniae regione, ubi e Mnemosyne, e Iove gravida, natae finguntur, vel a Piero, Thessaliae monte, qui Musis sacer fuit. Virg. Ecl. III. 85. VI. 13. et al. Pseudo-Virg. Cir. 94. Ov. Am. I. 1. 6. et saepe. Tib. I. 4. 62. et al. Prop. II. 8. 16. *Pierides Calabrae*, v. Calaber.

Pĭĕris, -ĭdis, i. e. Melpo-

Digitized by Google

mene, una e Musis. Hor. Od. IV. 3. 18., uti et Erato. Ov. Fast. IV. 222.

Pierĭus, -a, -um, a Musis, ad Musas pertinens, Musis sacer. Hor. Od. III. 4. 40. Ov. ex Pont. I. 5. 58. i. q. Thessalicus. Prop. II. 10. 5.

Pierius latex, i. e. aqua e Piero, Thessaliae monte, profluens. Pseudo-Virg. Cul. 18. Ov. Am. III. 9. 26.

Pieria pellex, i. e. Thessala, a Piero, Thessaliae monte; ad maiorem autem invidiam excitandam, in primis pro peregrina ponitur. Hor. Od. III. 10. 15.

Pieria via, i. e. poëseos studium. Ov. ex Pont. II. 9. 62.

Pierĭdăcus, i. e. fons in Piero, Musis sacer. Tib. III. 1. 16.

Pierii modi et *honores* sunt carmina. Hor. Ep. II. 3. 405. Tib. IV. 1. 192.

Pĭĕros s. Pĭĕrus, -i, fuit Macedoniae rex, qui ex Evippe novem genuit filias, quae cum Musis cantus certamen ineuntes, et iudicibus nymphis victae, in picas mutatae referuntur. Ov. Met. V. 302. sqq.

Pilumnus, -i, fuit unus e Turni maioribus, a Iove vel Iunone originem ducens, quem Rutuli divino cultu prosecuti sunt. Vocatur autem modo eius parens, modo abavus. Virg. Aen. IX. 4. X. 619. XII. 83.

Pimplēa. Pro eo rectius legitur Pimpleis, q. v.

Pimplēis, -ĭdis, vocatur Musa a Pimpla, Musis sacro monte in Pieria, Macedoniae, olim Thraciae, regione. Hor. Od. I. 26. 9.

Pimplēus, -a, -um, ad Pimplam montem in Macedonia, pertinens. Cat. CV. 1.

Pinarĭus, -a, -um, Romanae gentis nomen. Virg. Aen. VIII. 270. v. *Potitius*.

Pindarĭcus, -a, -um, a Pindaro, vel ad Pindarum pertinens. Hor. Od. IV. 9. 6. Epist. I. 3. 10. Ov. ex Pont. IV. 16. 28. Prop. III. 15. 40.

Pindărus, -i, Thebanus, natus Olymp. LXV. a. 1. q. A. U. CCXXXIV., novem Graecorum lyricorum poëtarum longe princeps, spiritus magnificentia, sententiis, figuris, beatissima rerum verborumque copia, et velut quodam eloquentiae flumine insignis, propter quae Horatius huic neminem comparandum credidit. E multis hymnis, quos cecinit, quadraginta quinque tantum ad nostram pervenerunt aetatem. Hor. Od. IV. 2. 1.

Pindos s. Pindus, -i, altus mons in Epiri et Thessaliae confinio, Musis atque Apollini sacer; hodie *Mezzovo*. Hor. Od. I. 12. 6. Virg. Ecl. X. 11. Ov. Met. I. 570. II. 225. et al. Prop. III. 3. 55.

Piraeeus, contr. Pirae-

Digitized by Google

us, -a, -um, in vel e Piraeeo, ad Piraeeum pertinens. Fuit autem *Piraeus* s. *Piraeus* portus et vicus Athenarum, qui fere quinque millia passuum ab urbe aberat, et amplius trecentas naves continere poterat, eratque flumine cum ipsa urbe coniunctus, ad utrumque latus muris ingentis altitudinis ac latitudinis exstructis. Portus adhuc exstat, quamquam coeno atque iniectis ruderibus repletus, ut vix commode per eum navigari possit, et a leone marmoreo, qui eo loco est, *Porto Leone* s. *Porto Draco* vocatur. Pseudo-Virg. Cir. 468. Ov. Met. VI. 446. Fast. IV. 563. Cat. LXIV. 74. Prop. III. 20. 23.

Pirēnis, -idis, quae est in vel e Pirene, vel ad Pirenen pertinet. Fuit autem *Pirene* limpidissimus fons in Acrocorintho s. summa Corinthi arce, Musis sacer. Ov. Met. II. 240. ex Pont. I. 3. 75.

Pirenis Ephyre, i. e. Corinthus. Ov. Met. VII. 391.

Pirithŏus s. Perithŏus, -i, fuit Ixionis, vel Iovis e Dia filius (*), Lapithis, Thessaliae populo, imperans. Quum vero eius nuptiis cum Hippodame s. Hippodamia Centauri, vicina gens, interessent, vino inebriatus Eurytus sponsam, alii alias feminas rapere coeperunt, quapropter magna pugna exorta, Theseus, Pirithoo intimus, Eurytum, mox reliqui Lapithae multos e Centauris interfecerunt; ceteri autem se in fugam verterunt. Aliam vero caussam huius pugnae tradit Virgilius; Martem enim ait, quod non, uti ceteri dii, ad Pirithoi nuptias esset vocatus, ob acceptam iniuriam Lapithis iratum, Centauris furorem immisisse (†). Mortuo deinde Hippodame, Theseus cum Pirithoo primum Helenam rapuerunt, qua a Castore et Pollace repetita, Proserpinam raptum ad inferos descenderunt, sed a Plutone uterque prehensus et in vincula coniectus fingitur. Hor. Od. III. 4. 80. IV. 7. 28. Ov. Her. IV. 110. 112. Met. VIII. 303. et al. Prop. II. 7. 12. v. *Theseus*.

Pisa, -ae, Peloponnesi urbs in Elide, ad Alpheum flumen olim sita, ubi Olympiaca certamina celebrabantur. Virg. Ge. III. 180. Ov. Met. V. 494. in Ibin. 327. v. *Olympiacus*.

Pisae Alpheae, i. e. Pisae, antiqua urbs Etruriae ad Arnum flumen, a Graecis, Pisa, Elidis urbe, oriundis, Alphei accolis conditae; hodie eodem fere loco

(*) Cf. Ov. Met. VIII. 566. Virg. Aen. VI. 394. Apoll. I. 8. 2. Hom Il. β. 741. ξ. 317. Hyg. f. 155. extr.
(†) Aen. VII. 304.

Digitized by Google

est *Pisa*. Virg. Aen. X. 179.

Pisaeus, -a, -um, in vel e Pisa, Elidis urbe, vel ad Pisam, Elidis urbem, pertinens. Ov. Met. V. 409. Trist. IV. 10. 95. v. *Arethusa*.

Pisaea, i. e. Hippodamia, Oenomai, Pisae in Elide regis, filia, Pelopis uxor. Ov. Trist. II. 386.

Pisaea hasta, i. e. Oenomai. Ov. Am. III. 2. 15. cf. in Ibin 368.

Pisander, -dri, unus e Penelopes procis, cuius fit mentio ap. Ov. Her. I. 91.

Pisces, -ium, et poëtice Piscis, -is, Zodiaci circuli s. lineae eclipticae signum, quod sol medio fere Februario intrat, et olim ab astronomis ultimum habebatur, ut sol, medio fere Martio sive veris initio, Piscium signi perlustrato, arietem ingrediens circulum absolvisse novumque cursum incepisse atque hiemem finivisse putaretur. Fingunt autem, Venerem ac Cupidinem, in Syria Typhonem metuentes, in mare prosiliisse, et a duobus piscibus dorsis esse receptos; quapropter postea a dea inter sidera relati sunt. Virg. Ge. IV. 234. Ov. Fast. II. 458. 491. III. 400. Met. X. 78. 165. Trist. IV. 7. 2. Prop. IV. 1, 107.

Pisaurum, -i, Umbriae in Italia urbs, hodie *Pesaro* dicta. Cat. LXXXI. 3.

Piso (L. Calpurnius), -ōnis, Romanus, literarum et in primis poëseos studiosissimus. Fuit autem A. U. DCCXXXIX. Consul, Horatioque familiariter usus est; qui ad illum et eius filios secundi libri tertiam scripsit epistolam.

Piso (Cn. Calpurnius), -ōnis, Romanus, qui in Hispaniam Citeriorem quaestor cum imperio Praetoris missus est, cuius avaritiam Verannius et Fabullus, Catulli amici, qui hunc in provinciam erant secuti, experti sunt, quam ob caussam hi post reditum lepide a poëta de exiguo lucro, quod inde retulerant, irridentur. Cat. XXVIII. 1.

Pităne, -es, Aeolidis regionis urbs, haud longe a Caici fluminis ostiis. Ov. Met. VII. 357.

Pithecūsa(e), -arum (*), fuit insula maris Tyrrheni, Miseno, Campaniae promontorio, obiecta, cuius incolae Cercopes, Iovem decipere studentes, a deo in simias mutati feruntur; hodie vocatur *Ischia*. Ov. Met. XIV. 90.

Pitho, -us, nomen pulchrae puellae, cuius meminit Ov. Am. III. 7. 23.

Pitholĕon, -ntis, Rhodius poëta, qui in epigrammatibus, quae scripserit, Graeca verba Latinis immiscuit. Hor. Sat. I. 10. 22.

(*) Hanc nonnulli eandem ac *Inarimen* faciunt; Ovidius vero aliique *Inarimen* diversam putant. Cf. Heyne Exc. II. ad Virg. Aen. L. IX.

Digitized by Google

Pittheĭs, -ĭdis, dicitur Aethra, Pitthei filia Ov. Her. X. 131.

Pittheĭus, contr. Pittheus, -a, -um, a Pittheo, vel ad Pittheum pertinens. Est autem Troezenis epitheton, quod Pittheus in ea urbe regnavit. Ov. Her. IV. 107. Met. VI. 418. XV. 296. 506.

Pittheus, -ĕi et -ĕos, fuit Troezenis rex, Pelopis filius, Aethrae pater. Ov. Met. VIII. 622.

Plancus, v. Munatius.

Plato, -ōnis, Atheniensis philosophus celeberrimus, Socratis discipulus, Academiae auctor, Aristotelis praeceptor, qui Olymp. XCV. a. 1. s. A. U. CCCLIV. floruit. Ex eius scriptis dialogorum multitudo adhuc exstat, ut epistolae aliaque. Hor. Sat. II. 3. 21. II. 4. 3. Prop. III. 20. 25.

Plautīnus, -a, -um, a Plauto poëta, vel ad Plautum poëtam pertinens. Hor. Ep. II. 3. 270.

Plautĭus (C.), -i, Romanus civis, qui cum Ap. Claudio Caeco Censor fuit: quum autem tibicines in Iovis aede vescendi et decantandi iure ab hoc essent prohibiti, et propterea omnes, Urbe relicta, Tibur abiissent, nemine, qui sacris praecineret, Romae relicto, Plautius illos, per ebrietatem reductos, personis et vestibus longis texit, et in urbe retinuit, et ut quotannis triduum hoc cultu ornati per urbem vagarentur, effecisse traditur. Ov. Fast. VI. 685. (*).

Plautus (M. Accĭus), -i, Sarsina in Umbria ortus, fuit Latinus poëta comicus, qui A. U. DLXX. Romae mortuus est. In eius comoediis, e quibus, adhuc XX. supersunt, multa nova verba finxit. Reprehenditur ab Horatio Ep. II. 1. 58. 170. II. 3. 54. 270. (†).

Pleĭas, Pleias et Plias, -ădis, una e Pleiadibus. Fuerunt autem *Pleiades*, quae etiam *Atlantides* et Romanis *Vergiliae* dictae, Atlantis e Pleïone septem filiae, Alcyone, Merope, Celaeno, Electra, Sterope, Taygete et Maia, quae a Iove in totidem stellas mutatae finguntur, et sidus in Tauri cervice efficiunt, quod XXII. Aprilis oriens coelum serenum facere credebatur (‡), et

(*) Cf. Liv. Hist. IV. 30, qui aliter rem tradit.

(†) Cicero contra eius iocandi genus urbanum et ingeniosum vocat, Off. I. 29. cf. Quinct. X. 1. 99.

(‡) Unde et nomen habere videntur ἀπὸ τοῦ πλεῖν, i. e. a navigando, quod suo ortu apud veteres tempus ad navigandum idoneum indicabant, cum ante mare quasi clausum esset, nec quisquam fere per illud navigaret, cf. Serv. ad. Virg. Ge. I. 137.

Digitized by Google

XXIII. Septembris die] matutino tempore occidit: ex his autem sex tantum apparent. Hor. Od. IV. 14. 21. Virg. Ge. I. 138. IV. 233. Ov. Fast. III. 105. V. 84. 106. et al. Prop. II. 13. 51. III, 3. 58. v. *Merope*.

Pleïas et *Pleias*, h. e. a) Maia, Mercurii mater. Ov. Met. I. 670. Fast. V. 664. b) Electra, quae e Iove Dardanum peperit. Ov. Her. XVI. 173.

Pleïade natus, i. e. Mercurius, Maiae filius. Ov. Fast. V. 447.

Pleïŏne, -es, nympha, Oceani et Tethyos filia, quae ex Atlante septem Pleiades in Cyllene, Arcadiae monte, peperit. Ov. Fast. V. 83. Met. II. 743.

Pleiones nepos, i. e. Mercurius. Ov. Her. XVI. 62.

Plemmyrĭum, -i, fuit castellum et promontorium Siciliae, ad introitum sinus Syracusarum, quod a fluctibus, quibus mari aestuante alluitur, undosum vocatur; hodie *Massa d'Olievieri*. Virg. Aen. III. 95.

Pleuron, -ōnis, Aetoliae urbs mediterranea ad Evenum, haud procul ab Oleno, in quam Combe filios fugit. Hodie de urbe non constat. Ov. Met. VII. 382.

Pleuronĭus, -a, -um, e Pleurone, vel ad Pleuronem spectans. Ov. Met. XIV. 494.

Plexippus, -i, Thestii filius, Toxei et Althaeae frater, qui quum Atalantae apri Calydonii pellem, a Meleagro, Althaeae sororis filio, donatam, eripere tentaret, ab hoc occisus est. Ov. Met. VIII. 440.

Plias, -ădis, id. q. Pleias. Virg. Ge. IV. 232. Ov. Her. XVI. 173. XVIII. 188. et al.

Plisthenĭdes, -ae, i. e. Menelaus, Plisthenis filius. Sab. ap. Ov. I. 107.

Plisthenĭus, -a, -um, a Plisthene, vel ad Plisthenem spectans. Fuit autem *Plisthĕnes* Atrei filius, qui ex Aërope Agamemnonem atque Menelaum procreavit, qui post patris mortem ab Atreo avo educati sunt (*).

Plisthenius torus, i. e. Agamemnonis. Ov. Rem. Am. 778.

Plotĭus Tucca, -i, Latinus poëta epicus egregiae eruditionis, Virgilio Horatioque amicus et Maecenati carus; qui post Virgilii mortem cum Vario Aeneida emendavit, ex cuius tamen scriptis nihil ad nostram aetatem pervenit. Hor. Sat. I. 5. 4, X. 8. 1.

Plotĭus Numida. v. Numida.

Pluto s. Pluton, -ōnis, Saturni ex Ope filius, Iovis et Neptuni frater, *inferorum deus*,

(*) Ovidius vero alios secutus Agamemnonem et Menelaum Atrei filios fecit, Her. VIII. 48., ubi Orestem quintum a Iove canit.

Digitized by Google

Proserpinam, Cereris filiam, sibi uxorem rapuit. Curru vectus fingitur, qui a tribus quattuorve nigris equis trahitur. Hor. Od. II. 14. 7. Virg. Aen. VII. 327. Tib. IV. 1. 67. v. *Proserpina.*

Plutonĭus, -a, -um, a Plutone, vel ad Plutonem pertinens. Hor. Od. I. 4. 17.

Podalirĭus, -i, Aesculapii filius, qui cum Machaone fratre e Creta insula ob insignem medicae artis peritiam a Graecis ad bellum Troianum evocati dicuntur. Ov. Art. Am. II. 735. Rem. Am. 313. Trist V. 6. 11. — Est quoque unus e Troianis, qui, diruta Troia, Aenea duce in Italiam profectus est. Virg. Aen. XII. 304.

Poeantiădes, -ae, i. e. Philoctetes, Poeantis filius. Ov. Met. XIII. 313.

Poeantĭus, -a, -um, a Poeante, vel ad Poeantem pertinens.

Poeantius s. *Poeantius heros* s. *Poeantia proles*, i. e. Philoctetes. Ov. Rem. Am. 111. Met. XIII. 45. Trist. V. 1. 61. V. 2. 13. ex Pont. I. 3. 5. in Ibin 255.

Poeas, -ntis, Thessalus e Meliboea urbe, Philoctetae pater; hinc *Poeante satus* est Philoctetes. Ov. Met. IX. 233.

Poenus, -a, -um, in vel e Phoenice, ad Phoenicen pertinens, id. q. Punicus. Hor. Od. II. 13. 15. Virg. Ecl. V. 27. Aen. I. 442. (446.) et al. v. *Phoenissus.* Quia vero Carthaginienses e Phoenice, duce Didone, oriundi erant, saepe id. q. *Carthaginiensis.* Hor. Od. III. 5. 34. IV. 4. 47. Virg. Aen. I. 303. (307.) et al. Hinc quoque aliquando id. q. *Africanus.* Virg. Ecl. V. 25. Aen. XII. 4. Pseudo-Virg. Cir. 135. Ov. Trist. IV. 6. 5. Prop. II. 23. 3. IV. 3. 51.

Poenus est Hannibal, Poenorum dux clarissimus. Hor. Od. I. 12. 38. Ov. Fast. III. 148. VI. 242. in Ibin 391.

Poenus uterque, h. e. gens utriusque Carthaginis, in Africa et in Hispania, a Poenis conditae. Hor. Od. II. 2. 11.

Polĕmo s. Polĕmon, -ōnis, Atheniensis, qui quum moribus admodum dissolutus aliquando Xenocratis philosophi scholam ebrius ingressus esset, adeo eius oratione, quam de pudicitia habebat, fuit commotus, ut priore vitae ratione mutata, frugalissimus factus sit philosophus, suoque magistro successerit. Hor. Sat. II. 3. 254.

Polītes, -ae, Priami ex Hecuba filius, qui, capta Troia, a Pyrrho, Achillis filio, caesus est. Virg. Aen. II. 526. V. 564. — Item unus ex Ulyssis sociis, qui ad Circen missi in sues mutati sunt. Ov. Met. XIV. 251.

Pollĭo (C. Asinĭus), -ōnis,

Digitized by Google

ĕques Romanus, celeber orator et poëta, qui tragoediis inclaruit, et Antonio et Augusto gratus, Virgilii Horatiique patronus fuit, ut hic odae I. libri II., ille eclogae IV. Pollionis nomen inscripserit. A. M. Antonio contra Parthinos, Illyricum populum, missus, de his victis triumphum egit; de civilibus autem bellis septendecim scripsit libros, qui periere. Hor. Sat. I. 10. 42. Virg. Ecl. III. 84. sqq. Cat. XII. 6.

Pollux, -ūcis, Iovis filius e Leda, Tyndarei uxore, Castoris, Helenae atque Clytaemnestrae frater. Hor. Od. III. 3. 9. III. 29. 64. et al. Virg. Ge. III. 89. Aen. VI. 121. Ov. Her. VIII. 71. et al. Prop. I. 2. 16. v. *Castor*; *Leda*.

Pollucis nympha equo, i. e. aqua ex fonte Iuturna, quam equus Pollucis, ut etiam Castoris, bibit post victoriam, ab A. Postumio Dictatore ad lacum Regillum relatam. Prop. III. 21. 26.

Polўbus, -i, unus e Penelopes procis, quem postea Eumaeus redeunte Ulysse interfecit. Ov. Her. I. 91. Sab. ap. Ov. I. 47.

Polydaemon, -ŏnis, unus e Semiramidis reginae posteris, quem Perseus in suis cum Andromeda nuptiis occidit. Ov. Met. V. 85.

Polydamas, -ntis, Troianus, Hectori amicissimus, quocum eadem nocte natus erat. Ov. Her. V. 94. Met. XII. 547. Prop. III. 1. 29.

Polydectes s. Polydecta, -es, fuit Seriphi insulae rex, Magnetis filius, qui Perseum cum Danaë, ab Acrisio arca inclusum, et huc appulsum, benigne recepit, infantemque educandum curavit. Postea Danaës amore flagrans, Perseum, quem timebat, ad Medusam Gorgonem interficiendam misit, unde hic victor rediens, quo iniuriam, matri illatam, ulcisceretur, Polydecten oblato Medusae capite in silicem mutavit. Ov. Met. V. 242.

Polydorĕus, -a, -um, a Polydoro, vel ad Polydorum pertinens. Ov. Met. XIII. 629.

Polydōrus, -i, Priami ex Hecuba minimus natu filius, quem pater belli Troiani initio cum magno auri pondere Polymnestori, Thraciae regi, clam educandum misit. Hic vero auri cupiditate incitatus, Troia capta, Polydorum interfecit. Virg. Aen. III. 45. sqq. Ov. in Nuc. 109. Met. XIII. 432. sqq. Prop. III. 11. 56.

Polyhymnĭa, -ae, una e novem Musis, quae historiae praeesse fingitur. Hor. Od. I. 1. 33. Pseudo-Virg. Cir. 55. Ov. Fast. V. 9. 53. v. *Musa*.

Polyĭdos, -i, Cretensis, qui e Creta aufugiens a Niso, Megarensium rege, hospitio exceptus est, quam ob caussam Minos II. huic

Digitized by Google

bellum intulit. Pseudo-Virg. Cir. 112.

Polymestor s. Polymnestor, ŏris, fuit Thraciae rex, qui Ilionam, Priami filiam natu maximam, in matrimonium accepit, Polydorumque, cum magna pecunia ad se missum, interemit. Quod quum Hecuba mater, cum reliquis mulieribus captiva abducta, ubi in Thraciam venit, cognovisset, regem adiit, et tanquam maius auri pondus indicatura eius colloquium petiit, quo impetrato, unguibus eum excaecavit. Ov. Met. XIII. 430. 551. Prop. III. 11. 55.

Polypēmon, -ŏnis, Procrustae cognomen. Ov. Met. VII. 410. in Ibin 409. v. *Procrustes*.

Polyphēmus s. Polyphēmos, -i, Neptuni filius, unus e Cyclopibus, immani magnitudine, unoque tantum oculo in fronte insignis, qui in Sicilia prope Aetnam antrum incoluit gregesque in montibus pascere solebat. Amavit autem Galateam nympham, a qua spretus, Acin iuvenem, quem Galatea praetulerat, saxo obruit. Ulysse deinde cum comitibus tempestatis vi huc appulso, nonnullos ex eius sociis devoravit, et nisi ab Ulysse inebriatus obcoecatus fuisset, omnes consumsisset. Virg. Aen. III. 641. 657. Ov. Met. XIII. 765. sqq., Prop. II. 24. 32.

Polyphoetes, -ae, Troianus, Cereris sacerdos, cuius umbra in inferis locis Aeneae occurrit. Virg. Aen. VI. 484.

Polyxĕna, -ae, Priami ex Hecuba filia, quae, capta Troia, a Pyrrho ad Achillis tumulum immolata est. Virg. Aen. III. 321. Ovidius vero hanc in Thracia caesam tradit. Met. XIII. 448. 460.

Pollyxenĭus, -a, -um, a Polyxena, vel ad Polyxenam pertinens. Cat. LXIV. 369.

Pometĭi, -orum, Pometiae incolae; quae urbs, etiam *Suessa Pometia* dicta, in Latio fuit sita, cuiusque hodie nulla vestigia supersunt. Virg. Aen. VI. 776.

Pomōna, -ae, una ex Hamadryadibus, hortorum arborumque cultrix, quae a Vertumno amata fingitur. Ov. Met. XIV. 623.

Pompēius, -a, -um, gentis Romanae nomen, e qua plures nobiles fuere, inter quos referuntur *Cn. Pompeius*, qui ob plurima fortia facinora cognomine *Magnus* est dictus, sed a Iulio Caesare bello civili victus, et in Aegyptum fugiens, Ptolemaei regis, cuius pater suo beneficio in regnum restitutus erat, fidem imploravit; a quo interfectus est. Ov. ex Pont. IV. 3. 41. Prop. III. 9. 35. Vocatur tantum *Magnus*. Ov. Fast. I. 603.

Pompeius Grosphus, Hor. Od. II. 7. 5. Ep. I. 12. 22. v. *Grosphus*.

Sex. Pompeius, unus e Sex.

Digitized by Google

Pompeii posteris, qui ad Numantiam male rem gessit; deinde Consul de Ovidio bene meritus est, qui ad eum ex Ponto tres scripsit epistolas, v. 4. 5. L. IV.

Pompēius, -a, -um, a Pompeiis, ad Pompeios pertinens. Prop. III. 9. 60.

Pompeia porticus, umbra, i. e. porticus nobilis, a Cn. Pompeio Magno condita, quae centum marmoreis columnis instructa, signis et egregiis picturis ornata platanisque umbrosa, populo Romano amoenissimus ambulandi atque pluviae ac solis aestus evitandi locus fuit. Ov. Art. Am. I. 67. III. 387. Prop. II. 23. 45. IV. 8. 75.

Pompeia domus, i. e. Sex. Pompeii. Ov. ex Pont. IV. 5. 9. v. supra *Sex. Pompeius*.

Pompilĭus (Numa), -i, secundus Romanorum rex. Hor. Od. I. 12. 33. Ov. Fast. III. 152. v. *Numa*.

Pompilĭus, -a, -um, a Numa Pompilio, vel ad Numam Pompilium spectans.

Pompilius sanguis, h. e. Calpurnii Pisones, a Numa Pompilio, oriundi. Fuit enim Calpus, a quo Calpurnia familia originem ducebat, Numae Pompilii filius. Hor. Ep. II. 3. 292. v. *Piso*.

Pomponĭus, -i, dicitur adolescens quidam luxuriose vivens, qui ante noctem cum facibus ambulare atque meretrices sectari solebat. Hor. Sat. I. 4. 52.

Pontĭcus, -a, -um, in vel e Ponto, vel ad Pontum pertinens. Fuitque haec regio arboribus ad naves aedificandas abundans; hinc Pontica pinus laudatur. Hor. Od. I. 14. 11. Ov. in Nuc. 166. Trist. I. 2. 94. III. 14. 50. Cat. IV. 13.

Ponticus sinus, i. e. pontus Euxinus. Cat. IV. 9.

Pontica praeda, i. e. quam Caesar a Pharnace, Ponti rege, reportaverat. Cat. XXIX. 19.

Pontĭcus, -i, egregius Romanus poëta, qui epico carmine Thebanum bellum cecinit, Ovidio et Propertio amicissimus, cuius scripta perierunt. Ov. Trist. IV. 10. 47. Prop. I. 7. 1.

Pontus, -i, Asiae Minoris regio, mali veneni feracissima, ad Ponti Euxini litus, a meridie inter Bithyniam et Armeniam sita, ubi Mithridates regnavit. Ov. Met. XV. 756. Nonnunquam pro *Ponto Euxino* sumitur. Ov. Trist I. 2. 83. I. 10. 13. 31. III. 11. 7. III. 12. 32. Plerumque vero apud poëtas latiori sensu omnes, quae Pontum Euxinum circumiacent, regiones continet. Virg. Ecl. VIII. 95. et al. Ov. Her. XVIII. 157. et al. Saepe ab Ovidio pro inferiore Moesia, quo relegatus erat, usurpatur. Trist. III. 8. 27. et al.

Pontus, i. e. Hellespontus, in quo Xerxes, Persarum rex, pontem fecit. Pseudo-Virg. Cul. 30.

Digitized by Google

Poplicŏla (P. Valerĭus), -ae, Romanus, egregius vir, qui Tarquinio Superbo, Romanorum rege, Bruto Collatinoque ducibus auctoribusque, urbe eiecto, iustissimus novae libertatis vindex exstitit. Fuerunt autem plures huius nominis nobiles. Pseudo-Virg. Cat XI. 40.

Populonĭa, -ae, fuit antiqua Etruriae urbs maritima, contra Ilvam insulam, cuius rudera hodie adhuc non procul a *Piombino* oppido exstant. Erat Abantis patria, unde haec eius mater dicitur. Virg. Aen. X. 172.

Porcĭus, -i, parasitus Nasidieni, cuius Horatius meminit Sat. II. 8. 23. — Item homo nequam, cuius meminit Cat. XLVII.

Poros, -i, fuit Indiae rex, quem victum captumque Alexander Magnus dimisit, et ampliore regno, quam quod tenuerat, donavit. Ov. Trist. III. 5. 29.

Porphyrĭon, -ōnis, Terrae filius, e Gigantibus unus, qui coelum adscendere conati sunt: a Iove autem hac pugna interfectus fingitur. Annumeratur etiam Titanibus. Hor. Od. III. 4. 54. v. *Titan.*

Porrĭma, -ae, soror Carmentae et Postvertae, a Romanis dea habita, quae praeterita canere solebat (†). Ov. Fast. I. 633.

Porsēna, -ae, Etruscorum rex, qui Tarquinium Superbum regem, Roma expulsum, in regnum restituere conatus est urbemque obsidione cinxit. Plurimis vero Romanae virtutis editis exemplis, pacem cum Romanis fecit. Hor. Epod. XVI. 4. Virg. Aen. VIII. 646.

Portūnus, -i, (*) Graecis *Palaemon*, fuit deus marinus qui portubus praeerat. Fingebatur autem dextra clavem tenens. Virg. Aen. V. 241. Ov. Fast. VI. 547. v. *Palaemon.*

Postverta, -ae, Porrimae soror, fuit dea, quae futura canere credebatur. Ov. Fast. I. 633.

Postumĭa, -ae, mulier quaedam vinolenta, cuius legem bibendi in convivio meminit Catullus XXVII. 3.

Postumĭus Albīnus (L.), -i, Romanus civis, quo A. U. DLXXX. Consule, Floralia festa quotannis instituta fuerunt. Ov. Fast. V. 330.

Postūmus pro Postumĭus, Ov. Fast. VI. 724. v. *Tubertus.* Vocatur [quoque *Postumus* unus

(†) Macrob. Sat. I. 7. Cf. et Varro. ap. A. Gell. N. A. VI. 16, cuius ratio verior videtur. Cf. et Salmas. ad Solin. p. 23.

(*) Alii *Portumnus*, sed minus recte, scribunt. Cf. Cic. Nat. Deor. II. 26.

Digitized by Google

ex *Horatii* amicis, qui, anxia futuri temporis, sollicitudine iucundo praesentis eius fructu abstinuisse videtur. Hor. Od. II. 14. 1. Uti etiam *Propertii*, qui gloriae et auri cupidus militiam amori praeferebat, tenerae coniugis immemor. Prop. III. 10. 1. 23. — Item homo impudicus. Cat. LXVII. 35.

Potitĭus, -a, -um, ad Potitiam gentem pertinens. Quae nobilissima in Latio gens una cum Pinaria gente vetustis temporibus Herculis sacris operabatur. Quum enim Euander Herculi, qui, Geryone victo, in Italiam venerat, sacra facere pararet, ad ministerium dapemque duas, eo tempore nobilissimas, familias adhibuit, quarum altera tantum in tempore praesto fuit; altera, extis iam adesis, venit: quo facta Hercules instituit, ut Potitia gens, quae ad tempus adfuerat, cum posteris extis solennibus vesceretur; Pinarii autem, qui tardius accesserant, cum omni posteritate extis excluderentur. Virg. Aen. VIII. 269. 281.

Potnĭas, -ădis, quae est e Potniis, Boeotiae vico, Thebis proximo, ubi Glaucus, Sisyphi filius, ab equabus, in furorem actis, dilaceratus traditur. Virg. Ge. III. 268. Ov. in Ibin 557. v. *Glaucus*.

Praeneste, -is, Latii urbs, haud procul a Roma, in Aequorum finibus in monte sita, quo per aestatem Romani secedere solebant, Fortunae templo et oraculo nobilis; hodie *Palestrina* vocatur. Hor. Od. III. 4. 23. Ep. I. 2. 2. Virg. Aen. VII. 682. VIII. 561. Prop. II. 23. 41.

Praenestīnus, -a, -um, in vel e Praeneste, ad Praeneste spectans. Virg. Aen. VII. 678.

Praenestinus, i. e. P. Rupilius Rex. Hor. Sat. I. 7. 28. v. *Rupilius*.

Praenestina dea, i. e. Fortuna. Ov. Fast. VI. 62.

Praxitĕles, -is, celeber statuarius, Magna in Graecia natus, qui duplice Venere ex Pario marmore, altera nuda et *Coa*, altera vestibus tecta et *Cnidia* dicta, nobilitatus est. Prop. III. 7. 16.

Priămēis, -ĭdis, i. e. Cassandra, una e Priami filiabus. Ov. Am. I. 9. 37. Art. Am. II. 405.

Priameĭus, -a, -um, a Priamo, vel ad Priamum pertinens. Virg. Aen. VII. 252.

Priameïus hospes, i. e. Paris, Priami filius. Ov. Art. Am. II. 5.

Priamēia virgo, i. e. a) Cassandra, Priami filia. Virg. Aen. II. 403. b) Polyxena, item Priami filia, a Pyrrho ad Achillis tumulum iugulata. Virg. Aen. III. 321.

Priameïa coniux, i. e. Hecuba. Ov. Met. XIII. 404. 513.

Priamĭdes, -ae, unus e

Priami, filius. Ov. Met. XIII. 482. Vocantur autem sic *Hector*. Hor. Sat. I. 7. 12., *Helenus*. Virg. Aen. III. 295. 346. Ov. Met. XIII. 99. 723. XV. 437., *Paris*. Ov. Her. V. 11. XIII. 43. XVI. 1. Art. Am. III. 759. Fast. VI. 15., *Deiphobus*. Virg. Aen. VI. 494. 509.

Priămus, -i, fuit *Podarcae* cognomen, ultimi Troianorum regum, Laomedontis filii, qui ex Hecuba uxore Hectorem, Paridem, Ilionen, Creüsam, Polyxenam, Cassandram, Helenum, Troilum, pluresque alios genuit. Illo autem regnante, Troia ob Helenam, Menelai uxorem, a Paride raptam, quam reddere recusabat, ab universa Graecia fere decem annos fuit obsessa tandemque capta; ipse vero, postquam fere omnes suos a Graecis interfectos vidit, a Pyrrho, Achillis filio, in Hecubae conspectu ante aram, quo confugerat, crudeliter confossus est. Hor. Od. I. 10. 14. et saepe. Virg. Aen. I. 458. (462.) et al. Ov. Her. I. 4. 34. Am. II. 14. 13. et saepe. Prop. II. 2. 50. et al. — Vocatur sic etiam Politae filius, Priami nepos, cum Aenea in Italiam profectus. Virg. Aen. V. 564.

Priami nati insolentius de uno Paride intelligendi sunt. Virg. Aen. VIII. 379.

Priāpus, -i, Bacchi e Venere filius, hortorum deus habitus, ea parte, qua vir erat, maxime deformis, in primis Lampsaci ad Hellespontum, ubi natus fingitur, fuit cultus. Romani eius imaginem, falce armatam, tanquam furum aviumque custodem, in hortis collocabant, eique asinum immolare solebant; quod, quum Lotidi nymphae (*), humi dormienti, vim adferre adgrederetur, a Sileni asino, qui forte rudebat, nympha excitata aufugerat. Hor. Epod. II. 21. Sat. I. 8. 2. Virg. Ecl. VII. 33. Ge. IV. 111. Ov. Am. II. 4. 32. Fast. I. 415. et al. Tib. I. 4. 1. Cat. XVIII. 1.

Priscus, -i, nomen duorum poëtarum, de quibus solum apud Ovidium mentio fit ex Pont. IV. 16. 10.

Privernum, -i, antiquum Latii oppidum, in Volscis prope Ufentem fluvium et Pomptinas paludes, quod hodie *Piperno vecchio* vocatur. Virg. Aen. XI. 540.

Privernus, -i, Rutulus, quem Capys in Italia occidit. Virg. Aen. IX. 576.

Procas, -ae, fuit Albanorum rex, Aventini regis filius, Numitoris et Amulii pater. Virg. Aen. VI. 767. Ov. Fast. IV. 52.

(*) Ov. Fast. I. 423. Alio vero loco Ovidius idem de Vesta fingit. Fast. VI. 335.

Digitized by Google

VI. 143. Met. XIV. 622.

Prochўta, -ae, s. Prochўte, -es, insula Tyrrheni maris in Campaniae ora, Inarimae s. Aenariae insulae, cuius olim pars fuit. proxima; hodie *Procida*. Virg. Aen. IX. 715. Ov. Met. XIV. 89.

Procne, -es, (*) Pandionis I., Athenarum regis, filia, Philomelae soror, Tereo regi nupta fuit. In hirundinem mutata fingitur. Hor. Ep. II. 3. 187. Virg. Ge. IV. 15. Pseudo-Virg. Cir. 410. Ov. Fast. II. 629. 855. Met. VI. 428. sqq. Unde pro ipsa *hirundine* ponitur. Ov. Trist. V. 1. 60. v. *Philomela*.

Procris, -ĭdis, Erechthei, Athenarum regis, e Praxithea filia, Cephali coniux, Orithyiae soror. Virg. Aen. VI. 445. Ov. Art. Am. III. 686. 727. et al. v. *Cephalus*.

Procrustes, -ae, Polypemon cognominatus, Neptuni filius, Sinis pater, qui in Attica ad Cephisum fluvium latrocinia exercens hospites lectum adscendere cogebat, quo si longiores essent, partem supereminentem amputabat, breviores vi extendebat. A Theseo tandem interfectus traditur; eiusque neptis in suī nominis avem conversa fingitur. Ov. Her. II. 69. Met. VII. 438.

Proculēius Varro Muraena (C.), -i, eques Romanus, Augusto familiaris, ob pietatem in fratres maxime apud Romanos nobilis fuit. Hic enim cum fratribus, *L. Licinio Varrone Muraena* (†) et *M. Terentio Varrone Muraena*, bonis civili bello privatis, suam patrimonii partem, quae antea sibi in divisione obtigerat, denuo divisit. Hor. Od. II. 2. 5. Vocatur etiam Muraena. Hor. Sat. I. 5. 38.

Procŭlus Iulĭus, -i, fuit Senator Romanus. Interfecto autem Romulo, populoque Patribus, a quibus regem necatum suspicaretur, infenso, hunc coelo repente delapsum sibi apparuisse. et, ut Quirinus nominaretur, mandasse, concioni persuasit. Ov. Fast. II. 499. — Vocatur sic etiam poëta Latinus, qui Callimachum in elegiis imitatus est, cuiusque carmina perierunt. Ov. ex Pont. IV. 16. 32.

Procўon, -ōnis, signum coeleste, tribus constans stellis, quod Latine *Antecanis* et *Canis minor* dicitur, et XV. Iulii mensis die exoritur; nomen autem habet, quia Caniculae, quae in Canis maioris ore primae magnitudinis stella est, ortum praece-

(*) Alii *Progne*; at Graece est Πρόκνη, cf. Munk. ad Hyg. f. 45.
(†) Ad hunc est Horatii Ode 10. L. II. v. *Licinius*.

Digitized by Google

dit; Canis vero maior XXVI. eiusdem mensis die oritur. Hor. Od. III. 29. 18.

Proetĭdes, -um, tres Proeti, Argivorum regis, filiae, *Lysippe*, *Iphinoë* et *Iphianassa*, quae quod se Iunoni forma praetulerant, insania correptae in vaccas sese mutatas mugire et aratro iungi credebant; a qua insania Melampus, Amythaonis filius, cum patre pactus, ut Iphianassa cum regni parte sibi uxor daretur, eas carminibus et herbis liberavit. Virg. Ecl. VI 48. Ov. Met. XV. 326.

Proetus, -i, Atlantis filius, ab Acrisio fratre Argis expulsus, in Lyciam abiit ad Iŏbaten, cuius filiae Sthenoboea in matrimonium ducta, soceri exercitu adiutus, primum Tirynthem, mox fratre expulso, Argos recepit, et tres filias Lysippen, Iphinoën, Iphianassamque procreavit. Hunc postea Perseus, in patriam redux factus, oblato Medusae capite in saxum mutavit. Hor. Od. III. 7. 13. Ov. Met. V. 238. v. *Bellerophon*, *Proetides*.

Progne, v. Procne.

Promĕtheus, -ĕi et -ĕos, filius Iăpeti ex Asia, Oceani filia, Epimethei frater, Deucalionis pater, homines e luto finxit, deinde Minerva adiutrice, in coelum sublatus ignem solis furatus est et in terram detulit, quapropter dii irati morbos ad homines demiserunt. Ipse autem Iovis iussu a Vulcano in Caucaso monte rupi adfixus, ut a vulture in aeternum eius viscera exederentur, nec unquam consumerentur, damnatus est; qua tandem poena ab Hercule, vulture interfecto, liberatus est. Horatius eum etiam in inferis suae temeritatis poenas dare fingit. E duabus tragoediis, quas Aeschylus de illo composuit, una adhuc exstat. Hor. Od. I. 16. 13. II. 13. 37. II. 18. 35. Epod. XVII. 67. Virg. Ecl. VI. 42. Ov. in Ibin 293. Cat. LXIV. 295. Prop. II., 7. III. 3. 29.

Promethēus, -a, -um, a Prometheo, vel ad Prometheum pertinens. Ov. Am. II. 16. 40.

Iuga Promethēa sunt montes Caucasi, ubi Prometheus rupi adfixus fingitur. Prop. I. 12. 10.

Promethīdes, -ae, i. e. Deucalion, filius Promethei e Clymene, Oceani filia. Ov. Met. I. 390.

Propertĭus (Sex. Aurelĭus), -i, elegantissimus Latinus poëta, ex Umbria oriundus, Virgilio, Horatio atque Ovidio aequalis, magni spiritus et poëticae eruditionis copia prae ceteris insignis, cuius elegiarum quattuor libri de *Cynthiae* amoribus supersunt. Ov. Art. Am. III. 333. Trist. II. 465. IV. 10. 45. 53. V. 1. 17. Prop. II. 7. 79. et saepe.

Propoetĭdes, -um, fuerunt puellae Cypriae, ex Amathunte urbe, quae Venerem deam

Digitized by Google

negantes omnium libidini prostabant, quapropter a dea, ad iram provocata, quia earum pudor obdurnerat, in lapides sunt conversae. Ov. Met. X. 221. 238.

Propontĭăcus, -a, -um, in vel e Propontide, ad Propontidem pertinens. Ov. Trist. I. 10. 29.

Propontiaca qua fluit Isthmos aqua, i. e. ad Propontidem sita; Isthmus enim hoc loco pro freto augusto maris poni videtur. Prop. III. 21. 2.

Propontis, -ĭdis, fuit sinus maris mediterranei, Asiam ab Europa discernens, qui duo habet ostia, quorum alterum Hellespontus, alterum Bosporus Thracius vocatur; hodie *Mare Marmorae* s. *Marmarae*. Ov. Fast. V. 257. Trist. III. 12. 41. ex Pont. IV. 9. 118. Cat. IV. 9.

Proserpĭna, -ae, Graecis Persephŏne, Iovis e Cerere filia, quam Pluto, Siciliam lustrans, forte apud Ennam urbem in Veneris aliarumque dearum ac Cyanes Nymphae consortio flores legentem, rapuit, inferorumque reginam fecit. Ceres autem a Iove, re cognita, impetrasse narratur, ut Proserpina quotannis sex menses apud superos ceterosque in inferis esset. Hor. Od. I. 28. 20. II. 13. 21. et al. Virg. Ge. I. 39. Aen. IV. 698. Ov. Her. XXI. 46. Fast. IV. 452. 587. et al. v. *Ceres*.

Protesilaĕus, -a, -um, a Protesilao, vel ad Protesilaum pertinens. Cat. LXVIII. 74.

Protesilāus, -i, Thessalus, Iphicli et Diomedeae filius, Laodamiae coniux, qui cum Graecis ad Troiam profectus ex his primus e navi in Troianum litus desiliit, unde nomen traxit, cum ante Idaus fuerit dictus. Ab Hectore vero, hostes terra prohibituro, interfectus est. Ov. Her. XIII. 17. 84. Met. XII. 68. v. *Laodamia*.

Proteus, -ĕi et -ĕos, Oceani et Tethyes filius, marinus habitus deus et praestans vates, qui non nisi coactus vera responsa dabat; eratque praeterea pastor phocarum Neptuni, qui in Aegyptio mari ad Pharum insulam degere variasque induere formas fingebatur. Hor. Od. I. 2. 7. Virg. Ge. IV. 388. sqq. Ov. Am. III. 12. 35. Art. Am. I. 761. Fast. I. 367. Met. II. 9. VIII. 731. et al. Hinc quoque sumitur pro homine parum sibi constante. Hor. Ep. I. 1. 90. et pro astuto debitore, qui creditorem tergiversando deludit. Hor. Sat. II. 3. 71.

Protei columnae sunt Aegypti fines. Virg. Aen. XI. 262.

Prytānis, -is, bello Troiano Sarpedonis socius ab Ulysse interfectus. Ov. Met. XIII. 258. Item Troianus, qui Aenea duce, in Italiam profectus a Turno caesus est. Virg. Aen. IX. 767.

Psamăthe, -es, Crotopi,

Digitized by Google

Argivorum regis, filia, ab Apolline compressa Linum peperit, quem cum patris metu pastoribus educandum dedisset, horum negligentia canes discerpserunt; Crotopus autem, re cognita, Psamathen interfici iussit, quam ob causam ab Apolline ipse occisus fertur. Ov. in Ibin 575. — Vocatur praeterea sic nympha, Nerei ex Doride filia, ex qua Aeacus Phocum genuit, qui quum a Peleo et Telamone, Aeaci ex Endeide filiis, esset occisus, Psamathe in Pelei armenta lupum, qui pastores bovesque dilaceraret, immisit, quem postea nympha, Thetidis sororis precibus mota, in saxum convertit. Ov. Met. XI. 398.

Psecas, -ădis, nympha, e Dianae comitibus. Ov. Met. III. 172.

Psophaĭcus, -a, -um, e Psophide, vel ad Psophidem pertinens (*). Ov. Met. II. 244.

Psophis, -ĭdos, fuit olim urbs in occidua Arcadiae parte, ad Erymanthi fluminis fontes. Ov. Met. V. 607.

Pterĕlas, -ae, fuit Taphi insulae rex, qui cum aurea coma immortalitatem, et ut, quamdiu illam comam haberet, insula capi non posset, a Neptuno accepit: Comaetho vero, eius filia, Amphitryonis, insulam obsidentis, amore capta patris comam abscidit, quo facto insula expugnata, pater mortuus traditur. Ov. in Ibin 364. Item unus ex Actaeonis canibus. Ov. Met. III. 212.

Ptolemaeĕus, -a, -um, i. q. Aegyptius, a Ptolemaeis, Aegypti regibus. Prop. II. 1. 30.

Publicĭus, -a, -um, fuit Romanae gentis nomen, in qua nobiles fuerunt duo fratres, *L.* et *M. Publicius Maleolus*, qui Aediles Romae clivum, postea *Publicium* dictum, e pecuniae parte, quam pecuariis, quorum pecus publicos agros depaverat, condemnatis ceperant, ita munierunt, ut in Aventinum montem curribus vehi possent. Ov. Fast. V. 288.

Publicĭus, -a, -um, a Publiciis vel ad Publicios pertinens. Ov. Fast. V. 294.

Puniceus, -a, -um, id. q. Carthaginiensis. Ov. in Ibin 284.

Punĭcus, -a, -um, ad Phoenicen pertinens, et quia Carthago a Didone, e Phoenice oriunda, erat condita, id. q. Carthaginiensis. Hor. Od. II. 12. 2. III. 5. 18. III. 6. 34. et al. Virg. Aen. I. 338. (342.) Ov. Her. VII. 140. et al.

Pupĭus, -i, (†) Latinus

(*) Alii *Phocaicus* legere malunt, q. v.
(†) Minus recte nonnulli *Puppium* legunt, v. Bentl. ad. l. l.

Digitized by Google

poëta tragicus, Iulii Caesaris tempore nobilis, cuius fabulas Horatius cavillans propterea lacrimosas dixisse videtur, quod ita spectantium animos movisse feruntur, ut lacrimas fundere cogerentur. Hor. Ep. I. 1. 67.

Pygmaeus, -a, -um, e Pygmaeis, vel ad Pygmaeos spectans. Fuerunt autem *Pygmaei* Indiae populus, non ultra duos pedes cum dimidio longus, quem cum gruibus bellum gerere, victum autem per aërem ferri, finxerunt veteres. Ov. Fast. VI. 176.

Pygmaea mater, i. e. Gerana, Pygmaeorum regina, vel ex aliorum opinione, Oenoë, pulchra inter Pygmaeos puella (*), quae ob superbiam a Iunone in gruem mutata refertur. Ov. Met. VI 90.

Pygmalĭon, -ōnis, Cilicis filius, Agenoris nepos, Cyprius statuarius, qui quum eburneam virginis statuam, a se affabre factam, adamaret, a Venere impetravit, ut illa vitam acciperet, quo facto Paphum ex ea genuisse fertur. Ov. Met. X. 243. sqq. Vocatur sic quoque Tyriorum rex, Beli filius, qui auri cupiditate flagrans Sychaeum, Herculis sacerdotem, Didusque sororis maritum, clam ante aras interfecit, cuius caedis per somnium conscia facta Dido cum opibus in Africam fugit, ubi Carthaginem condidit. Virg. Aen. I. 347. (351.) et al. Ov. Her. VII. 150. Fast. III. 574. Met. X. 243.

Pylădes, -ae et -is, fuit Strophii, Phocidis regis, filius, Orestis amicus fidelissimus, ut ne furentem quidem Orestem reliquerit, quam ob causam huic gratiam postea pro meritis retulit Orestes, Electramque sororem ei uxorem dedit. Hor. Sat II. 3. 139. Ov. Art. Am. I. 745. Trist. I. 9. 28. et al. v. *Orestes*.

Pylĭus, -a, -um, e Pylo, vel ad Pylum pertinens. Ov. Met. II. 684. Trist. I. 4. 10. et al. Nonnunquam id. q. Nestoreus. Ov. Trist. V. 5. 62. ex Pont. II. 8. 41. Tib. IV. 1. 112.

Pylius, i. e. Nestor, Pylo oriundus, Pseudo-Virg. Cat. XI. 15. Ov. Met. VIII. 365. XII. 537. 542. et al. Cf. Hor. Od. I. 15. 22.

Pylius. Rectius pro eo legitur Pelias. Ov. Am. III. 7. 41.

Pylos, -i, fuit urbs antiqua Peloponnesi in Messenia, ubi Nestor, Nelei filius, natus fuisse et regnasse traditur; hodie *Navarino* vocatur. Ov. Her. I. 63. 100. Met. VI. 418. XII. 55. (†). Tib. IV. 1. 48.

Pyracmon, -ōnis, unus e tribus Cyclopibus, Vulcani ministris, qui in Aetnaea officina

(*) Ael. de An. XV. 29. Cf. Eust. in Hom. p. 1444. Ant. Lib. c. 16.
(†) Tria autem huius nominis oppida in Peloponneso Nestorem suum civem dixerunt.

Digitized by Google

Jovi fulmen parabant. Virg. Aen. VIII. 425. v. *Cyclops*.

Pyracmos, -i, Centaurus, in Pirithoi nuptiis a Caeneo caesus. Ov. Met. XII. 460.

Pyramĭdes, -um, sunt moles illae quadratae in Aegypto, admiranda regum sepulcra, ex quibus tres, haud procul a Memphi, ceteras altitudine longe superant. Prop. III. 1. 57. (*).

Pyrămus, -i, Babylonius iuvenis, qui Thisben puellam, quam amabat, a leone dilaceratam arbitratus, se ipse interfecit. Ov. Met. IV. 55. sqq. v. *Thisbe*.

Pyrēne, -es, dicuntur alti montes, qui Hispaniam a Gallia separant. Tib. I. 7. 9.

Pyrēneus, -ĕi et -ĕos, fuit Thraciae rex, qui Dauliden, Phocidis urbem, vi expugnavit. Musas, ut fabulantur, aliquando Parnasum petentes, ingruente imbre, ut sua tecta subirent, invitavit; mox virginum amore captus, clausis foribus, illis vim inferre paravit: hae vero in aves mutatae aufugerunt, quas dum sequi studet Pyreneus, se ex arce praecipitem dans, in terram decidit atque ita periit. Ov. Met. V. 274. 287.

Pyrgi, -orum, antiquum Etruriae oppidum, haud procul ab Agylla, cuius ruinae adhuc supersunt. Virg. Aen. X. 184.

Pyrgo, -us, fuit nutrix filiorum Priami, quae post Troiam captam cum Aenea in Italiam profecta narratur. Virg. Aen. V. 645.

Pyrŏeis s. Pyrŏis, -entis, unus e quattuor equis, quos Sol suo currui iungere fingitur. Ov. Met. II. 153.

Pyrrha, -ae, Epimethei e Pandora filia, quae una cum Deucalione marito humanum genus, aquarum diluvio deletum, lapidibus post tergum iactis reparasse dicitur. Hor. Od. I. 2. 6. Virg. Ecl. VI. 41. Ov. Her. XV. 167. Met. I. 350. 385. v. *Deucalion*. Vocatur praeterea sic Horatii amica. Hor. Od. I. 5. 3.

Pyrrhĭa, -ae, ancilla in Titinnii poëtae fabula, quae lanam, quam furata erat, ita gestasse dicitur, ut deprehensa sit. Hor. Ep. I. 13. 14.

Pyrrhĭas, -ădis, quae e Pyrrha est, vel ad Pyrrham pertinet. Fuit autem *Pyrrha* oppidum in occidentali Lesbi insulae ora, haud procul a Malea promontorio. Ov. Her. XV. 15.

Pyrrhus, -i, postea *Neoptolemus* cognominatus, fuit Achillis e Deidamia filius, Pelei nepos, qui post patris mortem ad Troianum bellum profectus ligneum equum primus ingres-

(*) Vid. c. DORN SEIFFEN, *Handb. der Algem. Gesch.* I. D. *Oostersche Volk.* bl. 52.

Digitized by Google

sus est. Troia deinde capta, Politen, mox Priamum, eius patrem, interfecit, Polyxenamque ad Achillis tumulum immolavit; Andromachen autem et Helenum secum in Epirum captivos abduxit, ubi ex Andromache uxore ducta Molossum procreavit, quam postea Heleno cum Chaonum regno tradidit. Tandem vero rapta Hermione, Menelai et Helenae filia, antea Orestae promissa, hanc ob causam Delphis ante aram, patri constitutam, ab Oreste interfectus est. Virg. Aen. II. 469. 491. III. 296. Ov. Her. III. 136. VIII. 3. Met. XIII. 155. et al. Vocatur sic quoque Epiri rex, genus ab Achille ducens, egregius dux, qui a Tarentinis in auxilium vocatus cum Romanis gravissimum gessit bellum, sed tandem a Curio Consule victus in Epirum redire coactus fuit. Postea Argos oppugnatum profectus, ibi lapide vel tegula ictus periit. Hor. Od. III. 6. 35. Ov. Fast. VI. 203. 732. Prop. III. 9. 62.—Est quoque pueri nomen apud Hor. Od. III. 20.

Pythagŏras, -ae, celeberrimus philosophus, Samo insula oriundus, Aegyptum lustravit, Persarumque Magos adiit; unde redux in patriam factus, eam, Polycratis tyrannide oppressam, sponte reliquit, et in Italiam venit, ubi vel Servii Tullii tempore, vel Tarquinio Superbo regnante (*), floruit. Discipulis, ne faba et carne vescerentur, interdicebat: animas post mortem alias in alia corpora transmigrare eos docebat, et se Troiani belli tempore Euphorbum, Panthoi filium, fuisse asseverabat, quem Menelaus interfecit, eiusque clypeum, Euphorbi nomine notatum, in Iunonis Argivae templo suspendit; deinde se Homerum, mox pavonem fuisse contendit, et sic ex aliis in alia migrasse corpora, donec tandem Pythagoras sit factus. Quum vero viginti annos Crotone docuisset, Metapontum profectus ibi mortuus est, eiusque animam in se transiisse credidit Ennius. Hor. Epod. XV. 21. Sat. II. 4. 3. II. 6. 63. Ov. ex Pont. III. 3. 44.

Pythagorēus, -a, -um, a Pythagora, vel ad Pythagoran pertinens. *Pythagorea somnia* respiciunt Ennium, cui Homerus in somnis adesse visus est, qui se in eum transmigrasse asseveravit, et illum sibi pōesi similem fore promisit; unde et alter Homerus vocatur. Hor. Ep. II. 1. 50. 52.

Pythĭas, -ădis, serva in

(*) Hanc sententiam veram statuit Cic. Tusc. Quaest. I. 16. IV. 1., A. Gell. XVII. 21., illam Liv. Hist. I. 18. Ov. Fast. III. 153.

Digitized by Google

Lucilii poëtae comoediis, quae Simonem herum decipiebat. Hor. Ep. II. 3. 238.

Pythĭus, -a, -um, ad Apollinem pertinens. Fuit enim *Pythius* Apollinis cognomen, quod a Pythone dracone, quem sagittis interfecit, accepisse traditur. v. *Python*.

Pythius incola s. *deus*, i. e. Apollo, qui mentem Pythiae s. Delphici Apollinis sacerdotis, quum tripodi insidet, suo numine impletam, in vesaniam vertit, atque ita incolit. Pythia enim sic de dubiis rebus consulentibus responsa dabat. Hor. Od. I. 16. 6. Prop. II. 23. 16.

Pythia erant certamina, in Apollinis Pythii honorem instituta, et ob Pythonis draconis caedem celebrabantur. Hor. Ep. II. 3. 414. Ov. Met. I. 447. v. *Tempe*.

Pythia regna Dei templum Apollinis in monte Parnasso. Prop. III. 11. 52.

Python, -ōnis, fuit ingens draco, qui post Deucalionis diluvium e terra natus ab Apolline sagittis interemtus fuit, in cuius facti memoriam ludos deus instituit, atque ipse est *Pythius* cognominatus. Ov. Met. I. 438. 460. Prop. IV. 6. 35.

Digitized by Google

Q.

Quinctilia s. Quintilia, ae, fuit amica Calvi, poëtae nobilis, qui eius mortem praematuram carmine deflevit. Cat. XCVI. 6. Prop. II. 25. 89. v. *Calvus*.

Quinctĭlius s. Quintilĭus, -i, acutus et severus criticus, Cremonae natus, Virgilio et Horatio amicissimus, qui quum peregre profectus A. U. DCCXXX. occubuisset, Horatius de eius morte Virgilium consolatur. Od. I. 24. 5. sqq. Ep. II. 3. 438.

Quinctilĭus s. Quintilĭus, -a, -um, nomen gentis Romanae antiquissimae, utpote quae cum Romulo Romam condidisse fertur. Ov. Fast. II. 378. v. *Fabii*.

Quinctĭus s. Quintĭus, -a, -um, nomen gentis Romanae

Quinctius Hirpīnus, Romanus civis, quem Horatius exhortatur, ut omissis curis hilaritati se tradat. Hor. Od. II. 11. 2. Ep. I. 16.

Quinctius dicitur etiam vir, de quo nil aliunde constat. Pseudo-Virg. Cat. VIII. 8. — Item Catulli amicus, ad quam est Carm. LXXXII. — Est etiam *Quinctia* formosa puella; cui vero venustas et festivitas deerant. Cat. LXXXVI.

Quinquātrus, -uum (*), dicuntur Minervae festa, quae die XIX. Martii per quinque dies variis celebrabantur ludis, et tum munuscula, Minervalia dicta, a discipulis magistris adferebantur. Hor. Ep. II. 2. 197. Ov. Fast. VI. 651. 694.

Quirinālis, -e, a Quirino s. Romulo, vel ad Quirinum s. Romulum pertinens, Quirino sacer.

Quirinalis lituus, i. e. qualem Romulus in urbe condenda habuit. Virg. Aen. VII. 187.

Quirinalis trabea, i. e. qualem Romulus gessit. Virg. Aen. VII. 612.

Quirinale iugum, antea *Agonius* mons dictum, fuit unus e septem Romae urbis collibus, in quo Romulus sub Quirini nomine templum habuit; hodie *Monte Cavallo*. Ov. Fast. VI. 218.

Quirinalia sunt festa, quae die XVII. Februarii in Quirini s. Romuli honorem celebrabantur. Ov. Fast. VI. 218.

Quirīnus, -i, dictus est Romulus, postquam interfectus,

(*) Legitur etiam *Quinquatria*, Ov. Am. I. 8. 65.; lectio vero corrupta videtur.

Digitized by Google

inter deos relatus, deus bellicus factus est. Hor. Od. I. 2. 46. III. 3. 15. Epod. XVI. 13. et al. Virg. Aen. I. 292. (296.) VI. 860. Ov. Am. III. 8. 51. Fast. I. 37. 69. et al. — Quamquam puer sic quoque vocatur ab Ov. Fast. III. 41. v. *Proculus Iulius*, *Romulus*. Innuitur etiam hoc nomine Augustus adulationis caussa. Virg. Ge. III. 27.

Quirinus est etiam Iani epitheton in sacris, quasi Martius s. belliger, ab hasta, quam Sabini curim s. quirim vocarunt. Hor. Od. IV. 15. 9. (*).

Quirinus tener, i. e. Antonius effeminatus. Prop. IV. 6. 21.

Quirini collis, id. q. Quirinalis. Hor. Ep. II. 2. 68. v. *Quirinale iugum*.

Quirini turba, *populus* et *Quirini*, i. e. populus Romanus. Ov. Met. XIV. 607. XV. 572. 756. Prop. IV. 10. 11.

Quiris, -itis, id. q. civis Romanus. Fuerunt autem *Quirites* dicti a Curibus, Sabinorum oppido, postquam hi, foedere inter Romulum et T. Tatium, Sabinorum regem, icto, Romanis adiecti fuere, atque in unum coaluere populum. Hor. Od. II. 7. 3. III. 3. 57. IV. 14. 1. et al. Ov. Am. I. 7. 29. III. 2. 73. et al. — Dicuntur etiam sic apes. Virg. Ge. IV. 201. Prop. IV. 1. 13. et 8. 59.

Quirites prisci sunt Sabini. Virg. Aen. VII. 710.

Quiritium turba, i. e. populus Romanus, ad comitia congregatus. Hor. Od. I. 1. 7.

(*) v. Macrob. Sat. I. 9.

Digitized by Google

R.

Rabirĭus (C.), -i, egregius poēta Romanus, qui Augusti tempore floruit, et M. Antonii Triumviri res gestas carmine scripsisse videtur. Eius scripta perierunt. Ov. ex Pont. IV. 16. 5.

Ramnes, -ium, una e tribus equitum centuriis, quas Romulus conscripsit. Prop. IV. 1. 31. Ponitur quoque pro toto equestri ordine. Hor. Ep. II. 3. 342.

Ravĭdus, -i, Romanus quidam, Catulli rivalis, quapropter ab hoc perstringitur. Cat. XL. 1.

Regŭlus (M. Attilĭus), -i, egregius Romanorum dux, qui primo Punico bello a Carthaginiensibus captus est, a quibus postea de captivis permutandis Romam missus rem in senatu dissuasit; veteri autem belli iure Carthaginiensium servus factus Marciam uxorem liberosque a complexu removit, se, tanquam servum, indignum putans, qui a Romana matrona oscula acciperet, et Carthaginem ad crudelissima sibi parata supplicia rediit vere magnus vir. Hor. Od. I. 12. 37. III. 5. 13—56.

Remŭlus Silvĭus, -i, fuit Albae rex, Agrippae filius, Tiberini nepos, ob impietatem fulmine ictus regnum Aventino reliquit. Ov. Fast. IV. 49. — Vocatur etiam *Remulus* Tiberini filius, Acrotae frater. Met. XIV. 616. Item Turni socius, Tibure urbe oriundus, ab Aenea caesus. Virg. Aen. IX. 360. XI. 636. — Est quoque cognomen Numani Rutuli, qui Turni sororem natu minorem uxorem habuit, et ab Ascanio, Aeneae filio, interemtus est. Virg. Aen. IX. 593. 633. 653. — Item sic dicitur Rutulus, quem Orsilochi opera equo deiectum narrat Virg. Aen. XI. 636.

Remus, -i, Iliae s. Rheae Silviae filius, Romuli frater, qui per contemtum humilia Romae urbis moenia saltu traiiciens a Celere, quem Romulus omnes, novos muros transeuntes, interficere iusserat, rutro occisus est. In Remi autem honorem Remuria s. Lemuria, nocturna festa, quibus mense Maio Manibus inferias dabant, Romuli iussu sunt instituta. Hor. Epod. VII. 19. Virg. Ge. II. 533. Aen. I. 292. (296.) Ov. Am. III. 4. 40. Fast. II. 134. et al. Tib. II. 5. 24. Cat. XXIX. 15. Prop. II. 1. 23. III. 7. 50. et al. v. *Romulus*. — Dicitur et sic Rutulus, a Niso in nocturna ex-

Digitized by Google

peditione interemtus. Virg. Aen. IX. 330.

Rhadamanthus, -i, Iovis ex Europa filius, qui cum Minoë I. fratre Cretensibus leges dedisse, et in Lycia regnasse traditur, cui ob iustitiam apud inferos animarum iudicium commissum fingitur. Virg. Aen. VI. 566. Ov. Met. IX. 435. sqq.

Rhaetus et Rhaetĭcus, -a, -um, in vel e Rhaetia, ad Rhaetiam pertinens. Fuit autem *Rhaetĭa* Europae regio ad Rheni fontes, Vindelicorum regioni et Norico contermina, ad meridiem fere ad Voronam et Comam usque pertingens, vino nobilis, cuius gens, bellicosissima atque crudelissima, Alpium declivia inhabitans, cum Populo Romano bellum gessit, et ad Alpes Romano exercitui obviam facta a Druso repulsa est. Postea vero cum Vindelicis societate inita, ab Italia repressa, moxque Galliae Togatae imminens a Druso Tiberioque, ab Augusto illi adiutore dato, devicta est. Hor. Od. IV. 4. 17. IV. 14. 15. Virg. Ge. II. 96. Ov. Trist. II. 226.

Rhamnes, -ētis, augur et rex, qui Turno adversus Aenean auxilium ferens a Niso et Euryalo in nocturna expeditione interfectus refertur. Virg. Aen. IX. 325. 359. 452. Ov. in Ibin 633.

Rhamnūsis, -ĭdis, et Rhamnusĭa, -ae, quae et *Nemĕsis* et *Adrastēa*, dea, scelerum ultrix, poenas ab iis repetit, qui prospera fortuna usi insolescunt, et humanarum rerum vicissitudinis immemores, alios despiciunt, habetque hoc nomen a Rhamnunte, Atticae vico, ubi simulacrum, viginti cubitos altum, e Pario marmore primum ab Agoracrito, Phidiae discipulo, ei constitutum fuit. Pseudo-Virg Cir. 228. Ov. Met. III. 406. XIV. 694. Trist V. 8. 9. Cat. LXIV. 396. et al.

Rhea, -ae, quae et *Cybele*, *Ops*, *Magna deorum mater*, Coeli et Terrae filia, Saturni uxor, cui Iunonem, Vestam, Cererem, Iovem, Plutonem et Neptunum peperit. Ov. Fast. IV. 201. v. *Cybele*.

Rhea Silvĭa, -etam *Ilia* dicta, fuit Numitoris, Albae regis, filia, Romuli Remique mater. Virg. Aen VII. 659. v. *Ilia*.

Rhegĭon, -i, Italiae urbs in Siculi freti ora contra Messanam urbem; hodie *Reggio* dicitur. Ov. Met. XIV. 5. 48.

Rhenus, -i, nobilissimum Europae flumen, quod e Rhaeticis Alpibus ortum per Germaniam defluit, et in Oceanum septemtrionalem olim per duo ostia (*),

(*) Antequam *Drusi Fossa* (*de IJssel*) a Romanis erat facta; ex hoc enim tempore tria Rheni exstiterunt ostia.

Digitized by Google

unde Rhenus *bicornis* dictus est, effundebatur; ex his vero alterum, idque vetustissimum, quo Rhenus infra Lugdunum prope vicum (Catwyk) in Oceanum exonerabatur, multis abhinc annis arena obstructum, nostra aetate cum summo labore, nec minore artificio, denuo apertum fuit; erat autem hoc flumen finis inter Galliam et Germaniam. Hor. Sat. I. 10. 37. Ep. II. 3. 18. Virg. Ecl. X. 47. Aen. VIII. 727. Ov. Fast. I. 286. Met. II. 258. et al. Cat. XI. 11. Prop. III. 2. 45. Ponitur interdum pro *Rheni accolis*. Ov. ex Pont. III. 4. 88. et pro *deo fluminis*. Prop. IV. 10. 41.

Rhesus, -i, fuit Thraciae rex, Strymonis et Euterpes Musae filius, qui obsessis Troianis auxilium adversus Graecos tulit; quum vero ex Oraculi responso Troia capi non posset, si Rhesi equi albi Troadis pabulum gustassent, et e Xantho aquam bibissent, Diomedes et Ulysses, per Dolonem huius rei conscii, Rhesum, simulac ad Troadis fines advenit, noctuque castra e niveis tentoriis fecit, per primam quietem interfecerunt, equosque abduxerunt. Exstat hoc argumento Euripidis tragoedia, quae Rhesus inscribitur. Virg. Ge. IV. 462. Aen. I. 469. (473.) Pseudo-Virg. in Cul. 327. Ov. Her. I. 39. Am. I. 9. 23. et al. Cat. LV. 26.

Rhetēnor, -ŏris, unus e Diomedis sociis fuit, qui a Venere in aves conversi narrantur. Ov. Met. XIV. 504.

Rhipaeus, -a, -um, (†) ad Rhipaeos montes pertinens, qui in Sarmatiae Asiaticae atque Scythiae ora ultra Tanais fluminis fontes immensae fuerunt altitudinis. Virg. Ge. I. 240. III. 382. VI. 518. Prop. I. 6. 3.

Rhipeus, -ĕi, Troianus iustissimus, qui in Troiae excidio, multis interfectis Graecis, tandem et ipse periit. Virg. Aen. II. 339. 394. 426. — Est quoque hoc nomine Centaurus excelsae altitudinis, in Pirithoi nuptiis a Theseo caesus. Ov. Met. XII. 352.

Rhodănus, -i, maximus rapidissimusque Galliae Narbonensis fluvius, qui e Rhaeticis Alpibus exortus in Ararim immittitur, et cum hoc in meditĕrraneum mare effunditur. Hodie *Rhône* vocatur. Hor. Od. II. 20. 20. Ov. Fast. IV. 571. Met. II. 258. Tib. I. 7. 11.

Rhodĭus, -a, -um, in vel e Rhodo insula, ad Rhodum insulam pertinens. Hor. Sat. I. 10. 22. Virg. Ge. II. 102. Ov. Met. XII. 574.

(†) Alii *Riphaeus*, *Ripaeus* male, uti videtur, legunt; Graece enim est Ῥιπαῖος, cf. Steph. Byz. in v.

Digitized by Google

Rhodŏpe, -es, Thraciae mons s. montes altissimi, adeoque perpetua nive operti, qui per mediam fere Thraciam ad Pontum Euxinum usque procurrunt, et cum universa Thracia Baccho sacri fuerunt; hodie *Valiza*. Hor. Od. III. 25. 12. Virg. Ecl. VI. 30. VIII. 44. Ge. I. 332. III. 351. et al. Ov. Her. II. 113. Fast. III. 739. Met. II. 222. VI. 589. X. 77. Haemum, Thraciae regem, cum Rhodope uxore in sui nominis montes conversos finxerunt poëtae. Ov. Met. VI. 87. v. *Haemus*.

Rhodopeĭus, -a, -um, ad Rhodopen montem pertinens, id q. Thracius. Ov. Her. II. 1. in Ibin 347. Sab. ap. Ov. II. 21.

Rhodopeïus vates, vel *heros*, i. e. Orpheus. Ov. Met. X. 11. 50. cf. Art. Am. III. 321.

Rhodopeïae arces sunt iuga Rhodopes montis. Virg. Ge. IV. 461.

Rhodos s. Rhodus, -i, insula Asiae in Cariae ora sita, cum urbe eiusdem nominis, Apollini sacra, philosophiae, eloquentiae et rei navalis studiis celeberrima; hodie idem nomen habet. Hor. Od. I. 7. 1. Ep. I. 11. 17. 21. Ov. Met. VII. 365. Cat. IV. 8.

Rhodos, -i, Neptuni et Haliae filia, quae a Sole s. Helio compressa septem filios peperit, qui a patre *Heliadae* dicti sunt. Rhodo insulae nomen dedisse fertur. Ov. Met. IV. 204.

Rhoeteĭus, contr. Rhoetēus, -a, -um, in vel e Rhoeteo, ad Rhoeteum pertinens. Fuit autem *Rhoetēum* promontorium Troadis cum eiusdem nominis urbe, Aiacis, Telamonis filii, sepulcro, quod etiam nunc ex parte eo loco conspicitur, nobile (*). Promontorium hodie Turcis *Pefkiam* vocatur. Virg. Aen. III. 108. V. 646. VI. 505. Pseudo-Virg. Cul. 312. Cat. LXV. 7.

Rhoeteïus ductor, i. e. Aeneas. Virg. Aen. XII. 456.

Rhoeteum rapax, vel *profundum*, i. e. mare, Rhoeteum promontorium alluens. Ov. Fast. 4. 279. Met. XI. 197.

Rhoeteus, -ĕi, est Rutulus, quem Pallas, Euandri filius, interfecit. Virg. Aen. X. 399.

Rhoetus, -i, unus e Gigantibus, qui coelum adscendere studens a Baccho, in leonem converso, deiectus est. Hor. Od. II. 19. 23. — Refertur etiam inter Titanes. Hor. Od. III. 4. 55. v. *Gigas*, *Titan*. — Est etiam hoc nomine Rutulus, ab Euryalo in nocturna expeditione caesus. Virg. Aen. IX. 344. — Item Marrubiorum

(*) v. I. B. Lechevalier, Iter in Troada, Francice 1802. Parisiis editum, Part. II. c. 18, et in primis Part. III. ab. I. B. S. Morritt conscript. p. 250. sqq.

Digitized by Google

s. Marsorum rex, Anchemoli pater. Virg. Aen. X. 388. v. *Anchemolus*.—Et Aethiops, e Phinei sociis unus, quem Perseus occidit. Ov. Met. V. 33. — Tandem sic vocatur Centaurus, qui in Pirithoi nuptiis a Dryante vulneratus aufugit. Ov. Met. XII. 271. 285. 301. Virgilius autem, alios fabularum auctores secutus, eum interfectum canit. Ge. II. 456.

Riphēus. v. Rhipeus.

Robīgo s. Rubīgo, -ĭnis, fuit dea, in cuius honorem Romani die XXV. Aprilis Robigalia festa, a Numa Pompilio instituta, ut a segete rubiginem averteret, celebrabant. Ov. Fast. IV. 905. sqq.

Roma, -ae, fuit nobilissima Italiae urbs in Latio ad Tiberim, ubi Romani sedem imperii habuerunt, a Romulo et Remo fratribus condita; temporis autem progressu a multis ita amplificata, ut tandem murorum ambitu septem colles complecteretur; nomen in hunc diem servavit. Hor. Od. III. 3. 44. et al. Virg. Ecl. I. 20. et saepe. Ov. Am. I. 15. 26. et saepe. Cat. LXVIII. 34. Prop. I. 8. 31. et saepe.

Rōmānus, -a, -um, in vel e Roma, ad Romam pertiniens, Romae incola. Hor. Od. IV. 3. 23. Epod. VII. 17. et al. Virg. Ge. I. 490. et al. Ov. Am. II. 12. 23. III. 1. 29. et al. Prop. I. 7. 22. et saepe.

Romanus rex, i. e. Numa Pompilius, secundus Romanorum rex. Virg. Aen. VI. 811.

Romana urbs, i. e. Roma. Ov. Fast. II. 684. III. 24. VI. 613.

Romanus Mars, i. e. arma Romana. Tib. IV. 1. 149.

Romechĭum, -ii, urbs Italiae inferioris, de qua tamen nil constat. Ov. Met. XV. 705. (*).

Romulĕus, contr. Romŭlus, -a, -um, a Romulo, vel ad Romulum spectans, id. q. Romanus. Hor. Od. IV. 5. 1. Virg. Aen. VI. 877. Ov. Fast. II. 482. III. 67. Prop. III. 9. 53. IV. 4. 24.

Romulea urbs, i. e. Roma. Ov. Fast. V. 260. Met. XV. 625.

Romulĭdae, -arum, sunt Romani, a Romulo oriundi. Virg. Aen. VIII. 636.

Romŭlus, -i, Martis e Rhea Silvia s. Ilia Vestali filius, Iunonis nepos, Remi frater. Hiis autem infantibus Amulii patrui iussu ad Tiberim expositis lupa ubera praebuit, donec Faustulus eos inventos Accae Larentiae uxori nutriendos tradidit. Adulti, patruo interfecto, Numitori avo regnum restituerunt, Albaque profecti Romam condiderunt. Remo

(*) Locus est corruptus; nec, quid restituendum sit, patet.

Digitized by Google

deinde interfecto, primus Romanorum rex Romulus exstitit, multisque finitimis populis bello subactis, a Senatoribus ad Capream paludem caesus fuit, postquam annos XXXVII. regnaverat. Post mortem cum Hersilia uxore inter deos relatus; hic Quirini, illa Orae s. Horae nomine culti fuere; deusque bellicus factus in Martis Ultoris templo imaginem, et in Quirinali monte templum habuit. Hor. Od. I. 12. 33. II. 15. 10. et al. Virg. Ge. I. 498. Aen. VI. 779. VIII. 342. Ov. Am. III. 4. 40. in Nuc. 138. Fast. I. 29. et al. saepe. Tib. II. 5. 23. Prop. II. 7. 14. et al. v. *Amulius*, *Ilia* et *Proculus Iulius*.

Romuli Remique opprobria, i. e. populi Romani. Cat. XXIX. 15.

Romulus cinaedus dicitur cum contemtu *Iulius Caesar* ob impudicitiam obscoenam. Cat. XXIX. 5.

Roscĭus, -a, -um, ad L. Roscium Othonem spectans. Hor. Ep. I. 1. 62. v. *Otho*.

Roscĭus (Q.), -i, Romanus histrio, qui Ciceronis tempore floruit, tanta artis praestantia, ut omnes postea artifices, sua arte excellentes, Roscii dicerentur. Hor. Ep. II. 1. 82. — Romanus civis, qui ab Horatio, ut sibi advocatus sit, orans inducitur. Hor. Sat. II. 6. 35.

Roscĕa, -ōrum, fuerunt campi Reatini agri in Sabinis fertilissimi, prope Velinum lacum. Virg. Aen. VII. 712.

Rubi, -ōrum, obscurum Apuliae oppidum, inter Canusium et Barium; hodie *Ruvo* vocatur. Hor. Sat. I. 5. 94.

Rufa, -ae, mulier quaedam infimae conditionis ex Bononia, quae turpi libidine cuiusdam *Rufali* morem gerit. Cat. LIX. 1.

Rufĭnus, -i, unus ex Ovidii amicis, ad quem ex Ponto scripsit Ep. 3. L. I. Ep. 4. L. III.

Rufrae, -arum, Campaniae urbs in Samnii confinio, cuius nulla hodie vestigia supersunt. Virg. Aen. VII. 739.

Rufus, -i, dicitur unus ex Ovidii amicis, eiusque uxoris avunculus, ad quem est ex Pont. L. II. Ep. 11. — Item poëta Romanus lyricus, qui Pindarum, Graecum poëtam, Latine vertit. Laudatur ab Ovid. ex Pont. IV. 16. 28.

Rufus. Hor. Sat. II. 8. 58., est Nasidienus, q. v. — Item homo quidam, quem feminae ob tetrum alarum odorem fugiebant. Cat. LXIX. — Et falsus Catulli amicus. Cat. XXVII.

Rupilĭus (P.) Rex, -i, civis Romanus, Praeneste urbe oriundus, a Triumviris proscriptus Bruti in Asia comes exstitit; quandam autem huius litem cum Persio, e Graeco patre Romanaque matre nato, meminit Horatius Sat. I. 7. 1.

Digitized by Google

Ruso (Octavius), -ōnis (†), fuit foenerator Romae, qui debitoribus sua vilia scripta praelegere solebat. Hor. Sat. I. 3. 86.

Rutilius (P.) Rufus, -i, fuit orator et iurisconsultus Romanus, Stoicae philosophiae studiosus, Panaetii auditor, A. U. DCXLIX. Consul, qui iniquo iudicio damnatus Smyrnam in exsilium missus est; revocatus vero redire noluit. Ov. ex Pont. I. 3. 63.

P. Rutulius Lupus, Romanus civis, qui A. U. DCLXIII. Consul Marsico s. sociali bello XI. die Iunii ad Tolenum flumen periit. Ov. Fast. VI. 563.

Rutŭlus, -a, -um, in vel e Rutulis, vel ad Rutulos spectans.

Fuerunt autem *Rutuli* veteris Latii populus, inter Laurentum et Antium ad mare habitans, cuius princeps urbs Ardea; rex autem Turnus fuit. Virg. Aen. I. 266. (270.) et al. Ov. Fast. IV. 883. 891. Met. XIV. 455. et al. Tib. II. 5. 47.

Rutulus, i. e. Turnus. Virg. Aen. VII. 409. Ov. Met. XIV. 567.

(†) E Bentlei emendatione; alii *Druso*.

Digitized by Google

S.

Sabaeus, -a, -um, e Saba, vel ad Sabam pertinens. Fuit autem *Saba* Felicis Arabiae urbs, (hodie *Zibit*), inter Arabicum et Persicum mare, unde et tota Arabia Felix, quae myrrha, ture aliisque odoribus nobilissima fuit, Sabaea vocatur. Huius incolae, A. U. DCCXXIX. a Romanis primum bello tentati, molles imbellesque audiunt. Hor. Od. I. 29. 3. Virg. Ge. I. 57. Aen. I. 416. (420.) VIII. 706. Ov. Met. X. 480.

Sabellĭcus, Sabellus et Sabīnus, -a, -um, e Sabinis, ad Sabinos et Sabinorum regionem pertinens, Hor. Od. III. 6. 38. Sat. II. 1. 36. et al. Virg. Ge. II. 167. 532. et al. Ov. Am. III. 8. 61. Fast. I. 261. et al. Cat. XXXIX. 10. XLIV. 1. Prop. II. 23. 103. v. *Sabini*.

Sabellus, i. e. Horatius, honoris caussa ita se appellans, quod Sabini parci, nec moribus tam corrupti, quam Romani, erant. Hor. Ep. I. 16. 49.

Sabella anus, i. e. fatidica. Fuerunt Sabini, uti et Samnites, magica arte admodum infames. Hor. Sat. I. 9. 29. cf. Epod. XVII. 28.

Sabelli sunt Sammites, Italiae populus, Sabinae gentis propago. Hor. Sat. II. 1. 36.

Sabina herba antiquitus in sacris pro ture accendebatur, eiusque usus in Palilibus sacris remansit. Fuit autem proprie arbor pumila obviaque (†). Ov. Fast. I. 343.

Sabinus ager et *Sabinum* vocatur Horatii praedium, quod in Sabinorum regione ipsi a Maecenate donatum erat. Hor. Od. II. 18. 14. Sat. II. 7. 118.

Sabina silva et *vallis*, i. e. Horatii praedii in Sabinis. Hor. Od. I. 22. 9. III. 1. 47.

Sabinum, i. e. vinum in Sabinis agris nascens, quod crudum et austerum, nec delicatis luxuriosisque Romanis in magno pretio fuit. Hor. Od. I. 20. 1.

Sabini ardui sunt montuosi Sabinorum agri, in quibus Horatii villa fuit. Hor. Od. III. 4. 22.

(†) Cf. Plin. Nat. Hist. XVI. 33. et XXIV. 61. ibique Harduin., et Salmas. Plin. exercit. p. 260. 669.

Digitized by Google

Sabinae raptae sunt Sabinorum virgines, quas ad ludos, Neptuno equestri institutos, invitatas sibi rapuerunt Romani, Virg. Aen. VIII. 635. Ov. Art. Am. I. 8. 39. I. 10. 2. Fast. II. 431. et al. Prop. II. 7. 15.

Sabīni, -orum, fuerunt antiqua, bellicosa, casta et parca Italiae gens, ad Tiberim prope Romam, inter Narem et Anienem flumina habitans, quae ob virgines raptas prima adversus Romanos arma sumsit; vario autem Marte quum Sabini pugnassent, cum Romanis foedere inito, maxima parte Romam migrarunt; hodie tractus idem nomen servat Hor. Ep. II. 125. Virg. Ge. II. 532. Ov. Fast. II. 477. III. 95. et al.

Sabīnus, -a, -um, v. Sabellicus.

Sabīnus, -i, dicitur vetus Latii heros, Sabinae gentis auctor, quem Aeneas, in Italiam delatus, regionis deum invocat. Virg. Aen. VII. 178.

Sabinus (*A.*) fuit Latinus poëta, Ovidio intimus et aequalis; rescripsit ad huius epistolas, quarum tres, *Ulysses Penelopae*, *Demophoon Phyllidi*, et *Paris Oenonae*, etiam nunc inter Ovidii carmina servantur: de ceteris nil constat. Ov. Am. II. 18. 27. ex Pont. IV. 16. — Est quoque *Sabinus* Horatii conviva. Ep. I. 5. 27.

Item duo hoc nomine dicuntur, ceterum ignoti, Pseudo-Virg. Cat. VII. 7. VIII. 1.

Sacae, -arum, Asiae populus, ultra Caspium mare, qui ad Scythas refertur. Cat. II. 6.

Sacrānus, -a, -um, e Sacranis, vel ad Sacranos spectans. Fuerunt autem *Sacrani* Latii populus, qui Turno adversus Aenean in Italia opem tulit. Virg. Aen. VII. 796.

Saetăbus, v. *Setabus*.

Sagăna, -ae, veneficae nomen apud Hor. Epod. V. 25. Sat. I. 8. 25. sqq.

Sagăris, -is, (forte *Agarus*, hodie *Schivet et Malowouda*, legendum est), fluvius Sarmatiae Europaeae, qui se in Paludem Maeotin exonerat. Ov. ex Pont. IV. 10. 47. — Vocatur sic etiam Troianus, Aeneae famulus. Virg. Aen. V. 263. — Item unus ex Aeneae sociis, quem Turnus in Italia interemit. Virg. Aen. IX. 575.

Sagarītis, -ĭdis, nympha Hamadryas, Sagaris fluvii filia, quae Attidem, a Cerere amatum, ad suos pellexit amores; quapropter arbore, in qua vivebat, ab irata Cerere succisa, periit. Ov. Fast. IV. 229. v. *Nais*.

Salaminĭus, -a, -um, in vel e Salamine, ad Salaminem pertinens. Hor. Od. I. 15. 23.

Digitized by Google

Salămis, -ĭnis, insula et urbs in sinu Saronico prope Atticam, in qua olim Telamon, Teucri et Aiacis pater, regnavit; hodie *Coluri* vocatur. Hor. Od. I. 7. 21. 29. Virg. Aen. VIII. 158. Ov. Met. XIV. 760.

Salānus, -i, dicitur unus ex Ovidii amicis, quem hic perstringit ex Pont. II. 5. 1.

Salentīnus, v. Sallentinus.

Salernum, -i, urbs Italiae maritima in agro Picentino, quae hodie idem nomen habet. Hor. Ep. I. 15. 1.

Saliāris, -e, ad Salios, Martis sacerdotes, pertinens.

Saliare carmen Numae, i. e. a Numa Saliis canendum datum, quum in Martis sacris ancilia circumferrent. Erant autem haec carmina Horatii tempore priscis et ignotis verbis ita referta, ut intelligi non possent. Hor. Ep. II. 1. 86.

Saliares dapes sunt epulae splendidae exquisitaeque, quales Salii in Martis sacris parabant. Hor. Od. I. 37. 2.

Salĭi, -orum, fuerunt duodecim Martis Gradivi sacerdotes, iuvenes e patricio ordine a Numa Pompilio, secundo Romanorum rege, instituti, qui duodecim ancilia custodirent; nomen autem habent, ut videtur, a saltando, quod Martio mense Martis festo ancilia gerentes, eaque hastis pulsantes, armatam saltationem referebant. His postea Tullus Hostilius, sextus Romanorum rex, duodecim alia ex voto adiecit. Hor. I. 36. 12. Virg. Aen. VIII. 663. Ov. Fast. III. 260. sqq. — Vocantur sic etiam Herculis sacerdotes. Virg. Aen. VIII. 285.

Salisubsŭli, -orum, sunt Salii, Martis sacerdotes. Est autem fictum vocabulum a *Salii* et *Subsilio*. Cat. XVII. 6.

Salĭus, -i, ex Acarnania homo, qui in ludis, ab Aenea in Sicilia Anchisae patri institutis, cursu certavit. Virg. Aen. V. 198. 335. — Item unus e Rutulis, a Nealce Troiano in Italia caesus. Virg. Aen. X. 753.

Sallentīnus et Salentīnus, -a, -um, in vel e Sallentinis, ad Sallentinos pertinens. Fuerunt autem *Sallentini* Italiae in Calabria gens ad Tarentinum sinum. Virg. Aen. III. 400. Ov. Met. XV. 51.

Sallustĭus (C. Crispus), -i, civis Romanus, C. Crispi Sallustii historici e sorore nepos, in cuius nomen adscitus Augusti gratia floruit, Horatiique amicus fuit, fortunaque, quam habebat amplissimam, laute et splendide usus, ab omni avaritia et ambitione alienus vixit. Hor. Od. II. 2. 3. — Diversus ab hoc est Sallu-

Digitized by Google

stius, qui libertinarum amore tenetur. Hor. Sat. I. 2. 48.

Salmăcis, -ĭdis, nympha, quae fontem eiusdem nominis in Caria incoluit, in quo lavantem se Hermaphroditum ut vidit, amore capta eumque amplexa a diis, ut duo corpora unum fierent, impetravit. Ov. Met. IV. 286. 306. XV. 319.

Salmōneus, -ĕi, fuit superbus Elidis rex, Aeoli filius, Sisyphi frater, qui ex Alcidice Tyronem nympham procreavit. Hic quum per aereum pontem quadrigas agitaret, facesque in obvium quemque iacularetur, ut Iovis tonitrua ac fulmina imitaretur, a Iove irato fulmine ictus et ad inferos detrusus est, ubi superbiae poenas dat. Virg. Aen. VI. 585.

Salmōnis, -ĭdis, i. e. Tyro nympha, Salmonei ex Alcidice filia. Ov. Am. III. 6. 43. Prop. I. 13. 21. III. 17. 13. v. *Enipeus*.

Same, -es, parva Ionii maris insula prope Cephalleniam; alii vero ipsam Cephalleniam, antea a principe insulae urbe Samen dictam, intellectam malunt. Virg. Aen. III. 271. Ov. Met. XIII. 711. Trist. I. 5. 67.

Samĭus, -a, -um, in vel e Samo, vel ad Samum pertinens. Ov. Her. I. 87.

Samius, i. e. Pythagoras, in Samo natus. Ov. Fast. III. 153. Met. XV. 60. Trist. III. 3. 62. v. *Pythagoras*.

Samia testa, i. e. vasa fictilia, ex Samia terra facta; in hac enim insula terra aderat, ad fictilia vasa poculave idonea. Tib. II. 3. 47.

Samnītes, -um, dicuntur gladiatorum genus Romae, quod per fictam pugnam veros gladiatores imitabatur, et in ea Samnitum armis utebatur. Hor. Ep. II. 2 98.

Samos s. Samus, -i, fuit Aegaei maris insula cum principe eiusdem nominis urbe, in Asiae Minoris ora haud procul ab Ephesо, Iunoni sacra. Hodie idem nomen habet. Hor. Ep. I. 11. 2. 21. Virg. Aen. I. 16. (20.) Ov. Art. Am. II. 79. Fast. VI. 48. Met. VIII. 221. XV. 61.

Samus Thraeicia, i. e. Samothracia, insula maris Aegaei in Thraciae ora prope Hebrum. Virg. Aen. VII. 208. Ov. Art. Am. II. 602. Trist. I. 10. 20.

Sancus, -i, fuit Sabino sermone id. q. Hercules. Ov. Fast. VI. 214. v. *Fidius*.

Santonĭcus, -a, -um, in vel ex Santonibus, ad Santones pertinens. Fuerunt autem *Santŏnes* Galliae Aquitanicae gens maritima, inter Ligerim et Garumnam; regio horum hodie dicitur *Saintonge*. Tib. I. 7. 10.

Sapaei, -orum, fuerunt

Digitized by Google

Thraciae, populus, ad Propontidem, Chersoneso affinis. Ov. Fast. I. 389.

Sapphicus, -a, -um, a Sappho poëtria, vel ad Sappho pertinens.

Sapphica musa, i. e. Sappho poëtria. Cat. XXXV. 17.

Sappho, -us, egregia poëtria Lyrica, Charaxi frater, Scamandronymi e Clide s. Cloide filia, Mitylenis, Lesbi insulae urbe, nata, quae circa Olymp. XLIV. s. ante U. C. CL. annos floruisse videtur; multa amatoria scripsit carmina, novique carminis generis, quod Sapphicum dicitur, inventrix, Archilochi scribendi genus acerbum temperavit, Alcaeique poëtae amica fuit. Ex eius scriptis praeter duas egregias odas nihil ad nostram aetatem pervenit. Phaonem, formosissimum iuvenem, amasse ab Ovidio (*) traditur, qui eam fugiens in Siciliam clam abiit, quo cognito carmen ad illum scripsit; quum vero non rediret, eum in Siciliam secuta est, et, ut ad amorem flectere non potuit, se in mare praecipitavit. Hor. Od. II. 13. 25. Ep. I. 17. 28. Ov. Art. Am. III. 331. Trist. II. 365. et al.

Sardanapālus, -i, fuit postremus Assyriae rex, vitae adeo curruptae, ut inter feminas feminea indutus veste neret; ab Arbace, Medorum praefecto, victus in exstructam pyram se, divitias, pellices ceteraque carissima coniecit. Ov. in Ibin 314.

Sardinĭa, -ae, ingens insula inter Italiam et Africam, quae tritici feracissima exstitit, hodieque idem habet nomen. Hor. Od. I. 31. 4.

Sardis, -is, et Sardes, -ium, princeps Lydiae urbs, Croesi regia, ad Tmoli montis radices sita; hodie vicus eo loco *Sart* vocatur, Hor. Ep. I. 11. 2. Ov. Met. XI. 137. 152.

Sardibus vicinus amnis, i. e. Pactolus, e Tmolo exoriens et medias Sardes perfluens. Ov. Ov. Met. XI. 137.

Sardōus et Sardus, -a, -um, in vel e Sardinia, ad Sardiniam pertinens. Hor. Sat. I. 3. 3. Ov. Fast. IV. 289.

Sardoa herba, i. e. batrachium s. ranunculus, herba amara, vel apiastrum, quod herbae genus in Sardinia amari saporis et venenatum est. Virg. Ecl. VII. 41.

(*) Her. XV. Ex nonnullorum sententia Ovidius Sappho poëtriam cum quadam eiusdem nominis meretrice confudit, quae Phaonem amavit, Eressia vero, item Lesbi insulae urbe, oriunda fuit, cf. Acl. Var. Hist. XII. 19. et ib. Periz., et D. Wachler, Hist. liter. univ., Theotisce edit. P. I. p. 152.

Digitized by Google

Sardum mel fuit amari pessimique saporis, utpote quod in Sardinia ac Corsica ex amaris herbis apes colligerent. Hor. Ep. II. 3. 375.

Sarmătes, -ae, v. Sauromates.

Sarmatĭcus, -a, -um, in vel e Sarmatia, vel ad Sarmatiam spectans. Fuit autem *Sarmatia* septemtrionalis Europae pars, quam hodie *Poloniam*, *Moscoviam* et *Tartariam Minorem* dicunt, cuius incolarum pars, in Asiam usque ad Hyrcanum mare progressa, eas regiones, quae hodie *Tartaria Major* et *Circassia* dicuntur, unde duplex eorum regio fuit, *Europaea* et *Asiatica*, in primis inhabitavit. Sarmatae autem habitu, armis, moribus vivendique ratione Scythis et Parthis haud absimiles exstiterunt. Ov. Trist. I. 5. 62. III. 3. 63. v. *Scythae*.

Sarmaticum mare, i. e. Pontus Euxinus, Sarmatiae partem alluens. Ov. ex Pont. IV. 10. 38.

Sarmătis, -ĭdis, quae est e Sarmatia, vel ad Sarmatiam pertinet. Ov. Trist. IV. 10. 110. ex Pont. I. 2. 114.

Sarmentus, -i, libertinus, scurra, qui inter Maecenatis comites refertur ab Hor. Sat. I. 5. 52. 56.

Sarnus, -i, - flumen in Campania, inter Neapolim et Surrentum, quod in Tyrrhenum mare immittitur; hodie idem nomen servat. Virg. Aen. VII. 738.

Sarpēdon, -ŏnis, fuit Lyciae rex fortissimus, Iovis e Laodamia, Bellerophontis filia, filius, qui Troianis adversus Graecos auxilia ferens ad Troiam a Patroclo interfectus est; reliquit autem Antiphaten filium, qui postea cum Aenea in Italiam profectus a Turno caesus est. Virg. Aen. I. 100. (104.) IX. 697. Ov. Met. XIII. 255.

Sarrānus, -a, -um, in vel e Sarra, ad Sarram pertinens, id. q. Tyrius. *Sarra* enim fuit antiquissimum Tyri urbis nomen. Virg. Ge. II. 506. — Est quoque hoc nomine Rutulus, a Niso Troiano interfectus. Virg. Aen. IX. 335. 454.

Sarrastes, -ium, Campaniae populus, Sarni accola, qui cum Turno adversus Aeneam stetit. Virg. Aen. VII. 738.

Saticŭlus, -a, -um, in vel e Saticula, ad Saticulam pertinens; quae fuit urbs in Samnii et Campaniae confinio prope Capuam. Virg. Aen. VII. 729.

Satŭra, -ae, fuit palus Latii in Volscis prope Circeios urbem, eadem, quae Pomptina palus. Virg. Aen. VII. 801.

Satureiānus, -a-um, in vel e Satureiis in Apulia campis, qui praestantioribus equis

Digitized by Google

alendis admodum idonei fuisse videntur. Alii autem *Saturēium* parvum prope Tarentum olim oppidum fuisse dicunt. Hor. Sat. I. 6, 59.

Saturnalia, -um et -orum, fuerunt festa, quae in memoriam Saturni regni Romae mense Decembri per septem dies, laetitiae plenos, peragebantur. Cat. XIV. 15. v. *Saturnus*.

Saturnĭus, -a, -um, a Saturno, ad Saturnum spectans, Saturno sacer.

Saturnius numerus, i. e. versuum genus antiquissimum, rude et inconditum, quo priscis temporibus Saturno rege usi sunt. Hor. Ep. II. 1. 158.

Saturnius, id. q. Saturni filius. Dicuntur sic a) Iupiter Virg. Aen. IV. 372. Ov. Met. I. 163. VIII. 703. cf. IX. 242. b) Neptunus. Virg. Aen. V. 799. c) Pluto. Ov. Met. V. 420.

Saturnia tellus, i. e. ea Italiae pars, in qua Saturnus regnavit, quae postea *Latium* dicta est. Virg. Ge. II. 173. Aen. VIII. 329. cf. Aen. I. 569. (573).

Saturnia falx, i. e. falx arborea, Saturno, qui agrorum culturae praeest, sacra. Ov. in Nuc. 63. (*).

Saturnia Roma dicitur, quia Saturnus, a Iove regno pulsus, a Iano rege receptus, *Saturniam* urbem in Tarpeio monte condidisse fertur. Ov. Fast. VI. 31.

Saturnia, i. e. Iuno, Saturni filia. Virg. Aen. I. 23. (27.) IV. 92. et saepe. Ov. Fast. I. 265. II. 191. et al. Tib. III. 3. 33.

Saturnia virgo, i. e. Vesta, Saturni filia. Ov. Fast. VI. 383.

Saturnia proles, i. e. Picus; Saturni filius. Ov. Met. XIV. 320. cf. Vrg. Aen. VII. 49.

Saturnia regna, i. e. aurea aetas, quae Saturno regnante fuit. Virg. Ecl. VI. 41., vel Saturni regnum. Aen. XI. 252.

Saturnus, -i, Coeli et Terrae s. Vestae filius, antiquissimus deus et rex habitus, patri genitalia abscidit, ipsumque regno deiecit. E Rhea s. Ope sorore Iovem, Neptunum, Plutonem, Cererem, Iunonem et Vestam, e Canente Picum; in equum vero conversus e Philyra Chironem procreavit. Quum autem Titan, Saturni frater natu ma-

(*) Unde *falcifer* deus vocatur Ov. Fast. I. 234 et *falcifer* senex Fast. V. 627.; agriculturam enim Italos docuisse traditur (†). Cf. v. *August*, de civ. Dei L. 7. c. 19. et *Varro* et *Auctor* de orig. gent. Rom. c. 3. *Virg.* Aen. L. 8. 316. sqq.

Digitized by Google

ior, Coelo patri in regnum succedere vellet; mater vero sororesque Saturno magis faverent, hac lege Saturno regnum concessit, ut masculinam devoraret prolem, quo post Saturni mortem regnum ad suos rediret liberos. Multis igitur devoratis liberis, Iovem et Iunonem eodem partu Ops edidit, quae Iovem statim in Cretam Curetibus Corybantibusque nutriendum tradidit, qui cymbalis tympanisque pulsandis prohibuerunt, quominus Iovis vagitus audirentur. Pro Iove autem Saturno lapidem devorandum dedit, et sic quoque reliquos clam educandos curavit. Aliam praeterea huius impietatis caussam adfert Ovidius (*), quod Saturnus ex Oraculi responso a filio regno pelleretur. Titan ut fraudem resciit, cum Titanibus filiis bellum movit, Saturnumque captum cum uxore in vincula coniecit; quos tamen Iupiter, devictis Titanibus, liberavit et in regnum restituit. Saturnus deinde Oraculi memor Iovi insidias struxit, quibus Iupiter cognitis patrem regno expulit, qui in Italiam fugit, ubi a Iano rege hospitio exceptus et occultus partem regni deinde accepit, hominesque feros et incultos, in montibus dispalatos, in unum congregavit, urbemque circa Tiberim Saturniam in Tarpeio monte, postea Capitolino dicto, exstruxit, incolis mores et instituta dedit, artesque in primis agriculturam eos docuit, regionemque, quod ibi latuerat, Latium dixit. Hoc regnante aureum saeculum, uti fingunt, exstitit. A Iove autem, ad quem regno expellendum puniendumque Terra Gigantes aliaque monstra frustra procreaverat, in Tartara detrusus est, et argentea aetas successit. Deinde divino honore cultus est, hominesque ei immolati fuere, quem crudelem sacrificandi morem Hercules sustulit, eiusque loco frugum sacrificia instituit. Ut autem aurei saeculi memoria exstaret, a XVII. die Decembris per aliquot dies Saturnalia festa, laetitiae plena, a Romanis celebrabantur. Habuit tria templa Romae, fingiturque plerumque vir admodum senex, promissa barba, falcem manu tenens. Hor. Od. II 12. 9. Virg. Ge. I. 336. II. 538. Aen. VI. 795. VII. 49. 180. et al. Ov. Her. IV. 132. Am. III. 8. 35. Fast. I. 193. 235. III. 796. et saepe. Tib. I. 3. 35. II. 5. 9. Prop. II. 23. 108. IV. 1. 106.

Saturnus pernix, i. e. in equum mutatus. Virg. Ge. III. 93.

Saturnus et *Saturni stella*, i. e. Saturnus planeta, qui quod a

(*) Fast. IV. 198.

Digitized by Google

sole maxime remotus est, frigidus vocatur; conficit enim vix intra triginta annos suum cursum, et in genesi perniciosus habetur. Hor. Od. II. 17. 23. Virg. Ge. I. 336.

Saturni pronepos, i. e. Periphetes latro, Vulcani filius, a Theseo prope Epidaurum interfectus. Ov. in Ibin 407. v. *Vulcanus*.

Saturni dens, i. e. vinitoria falx. Tribuitur autem falx deo, quod agrorum culturae praeest. Virg. Ge. II. 406.

Saturni dies infelix habebatur ad iter ingrediendum, quae superstitio a Iudaeis ad Romanos transierat. Tib. I. 3. 17.

Saturno ortus, i. e. Iupiter. Hor. Od. I. 12. 50.

Satўrus, -i, unus e Satyris, qui fuerunt, uti fingunt, semidei salaces, Bacchi comites, in silvis montibusque degentes, leves cursuque celeres, cum Faunis saltantes, qui superiore corporis parte hominem, caprum inferiore referebant, minuta cornua in capite totumque corpus villis tectum habebant. Hor. Od. I. 1. 31. II. 19. 4. et al. Virg. Ecl. V. 73. Pseudo-Virg. Cul. 115. Ov. Her. IV. 171. V. 153. et al. Art. Am. I. 542. et al. Cat. LXIV. 251.

Satyrus, i. e. Marsyas. Ov. Fast. VI. 703. Met. VI. 383. ex Pont. III. 3. 42.

Satyri dicuntur carminis genus, ad vitia carpenda compositum. Hor. Sat. II. 6. 17. Ep. II. 3. 226. 235.

Sauromătes, contr. Sarmătes, -ae, unus e Sauromatis, Ov. Trist. II. 198. III. 12. 30. et al. v. *Sarmaticus*.

Scaea, -ae, fuit una e Troiae urbis portis. Virg. Aen. II. 612. Prop. III. 7. 39. Hanc et in parva Troia, quam Helenus in Epiro ad Troiae in Phrygia modum exstruxerat, invenit Aeneas. Virg. Aen. III. 351.

Scaeva, -ae, eques Romanus, Horatio amicus, ad quem est Ep. 17. L. I. — Vocatur sic etiam prodigus, qui matrem veneno necavit. Hor. Sat. II. 1. 53. sqq.

Scamander, -dri, a diis *Xanthus* dictus (*), parvum Asiae Minoris in Troade flumen, ex Ida monte fluens, moxque Simoëntem recipiens in mare Aegaeum prope Hellespontum exoneratur Hor. Epod. XIII. 14. Cat. LXIV. 358.

Scaurus, -a, -um, fuit in primis Aemiliae gentis cognomen. Fuerunt autem nobiles prae ceteris *M. Aemilius Scaurus*, A. U. DCXXXVIII. et DCXLVI. Consul, vir gravitate et singu-

(*) Cf. Hom. Il. φ. v. 74. Ael. de An. VII. 21.

Digitized by Google

lari animi constantia insignis, qui de Liguribus triumphum egit, et diu Princeps Senatus exstitit; et huius filius *M. Scaurus*, qui in Aedilitate ludorum magnificentia et exstructo theatro inclaruit. Hor. Od. I. 12. 37.

Scepsĭus, -i, fuit, uti nonnullis videtur, Metrodorus philosophus, Scepsi, Mysiae urbe in Troade, oriundus, qui cum Mithridate, Ponti et Bithyniae rege, vixit, Romanorumque mores scriptis insectatus est. Ov. ex Pont. IV. 14. 38.

Schoenēis, -ĭdis, i. e. Atalanta, Schoenei, in Scyro insula regis, filia. Ov. Her. XVI. 263. XIX. 123. Am. I. 7. 13.

Schoeneĭus, -a, -um, a Schoeneo, vel ad Schoeneum pertinens.

Schoeneïa et *Schoeneïa virgo*, i. e. Atalanta, Schoenei regis filia. Ov. Met. X. 609. 660. Trist. II. 399.

Scipiăde s. Scipiăda, -ae, unus e Scipionis posteris. Vocatur sic *P. Corn. Scipio*, P. Scipionis, in Hispania interfecti, filius, *maior* dictus, qui, exercitu in Africam traiecto, Hannibalem Italia cedere et in Africam redire coëgit, ibique Carthaginiensibus victis, Africani cognomine condecoratus, et ab Ennio poëta carmine celebratus est. Hor. Od. IV. 8. 14. cf. Ov. Fast. I. 593. Item *P. C. Scipio Africanus minor*, L. Aemilii Paulli filius, qui a Scipione Asiatico, Africani maioris filio, adoptatus, magnus vir exstitit, et de populo Romano optime meruit; Carthaginem enim et Numantiam delevit, unde et Africani cognomen accepit. Fuit autem C. Laelio Sapienti intimus, a Lucilio poëta carmine celebratus. Hor. Sat. II. 1. 17. 72. cf. Ov. Fast. I. 596.

Scipiadae sunt uterque Scipio maior et minor. Virg. Ge. II. 170. Aen. VI. 844. Pseudo-Virg. Cul. 369. Prop. III. 9. 59.

Scipĭo, -ōnis, fuit nomen familiae Romanae perillustris in gente Cornelia. Nobiles in primis fuerunt *P. Corn. Scipio Africanus maior*, secundo bello Punico clarus. Ov. Art. Am. III. 410., et *P. C. Scipio Aemilianus Africanus minor*, prioris nepos adoptivus, qui Carthaginem evertit. v. *Scipiades*.

Sciron, ōnis, insignis latro in Attica, a Theseo interfectus, cuius ossa, in mare proiecta, in scopulum conversa finguntur; fuitque hic scopulus inter Megaram ac Corinthum. Pseudo-Virg. Cir. 465. Ov. Her. II. 69. Met. VII. 444. 447. in Ibin 409.

Scīron. Pseudo-Virg. Cat. X. 1. Rectius pro eo legi videtur Syron, q. v.

Scironis viae sunt petrae s. scopuli Scironis. Prop. III. 14. 12.

Digitized by Google

Scopas, -ae, fuit insignis statuarius, Paro insula oriundus, qui Olympiade LXXXVII. floruit. Hor. Od. IV. 8. 6.

Scorpĭo, -ōnis, et Scorpĭos s. Scorpĭus, -i, unum e Zodiaci circuli signis inter Libram atque Sagittarium. Libram autem veteres tanquam peculiare sidus non agnoverunt, sed illae stellae, quae nunc Libram constituunt, Scorpionis chelis olim tribuebantur. Hor. Od. II. 17. 17. Virg. Ge. I. 35. Pseudo-Virg. Cir. 535. Ov. Fast. III. 712. IV. 164. V. 417. Met. II. 83. 196. et al.

Scribonius, -a, -um, e gente Scribonia, vel ad gentem Scriboniam pertinens.

Scribonia est altera uxor Augusti, ex qua Iuliam filiam procreavit; antea vero nupta fuit Scipioni, ex quibus nuptiis Cornelia, uxor Aemilii Paulli, nata fuit. Prop. IV. 11. 58.

Scylacēum, -i, Italiae urbs in Bruttiis, ab Atheniensibus condita, sinui, quo alluitur, nomen dans, qui navigantibus periculosus fuisse videtur; hodie *Squillaci*. Virg. Aen. III. 553.

Scylacēus, -a, -um, e Scylacea, ad Scylaceum pertinens. Ov. Met. XV. 702.

Scylla, -ae, altus scopulus, navigantibus periculosissimus, ad Italiae litus Scyllaceum urbem versus prope fretum Siculum, Charybdi vortici oppositus, minoribus scopulis, e mari prominentibus, cinctus, prospicientibus feminae speciem exhibens, ad quem fluctus, vehementiori allisi vento et fracti, horrendum et canum latratui non absimilem sonum edunt; hodie *Scoglio* vocatur. Hinc poëtae *Scyllam* formosam Phorci et Lamiae, vel Crataeidis, filiam fuisse finxerunt, quam cum Glaucus, deus marinus, frustra amaret, Circes opem imploravit, cuius magica arte ad inferiorem corporis partem, quum se prope mare lavaret, canes enatae sunt; quod ut sensit virgo, se in mare praecipitavit, et in monstrum, latrantibus canibus marinis cinctum, conversa praeternavigantibus terrorem iniicit eosque devorat. Hor. Ep. II. 3. 145. Virg. Aen. III. 420. 424. et al. Ov. Her. XII. 123. Am. II. 11. 18. Met. VII. 65. XIII. 730. XIV. 51. ex Pont. III. 1. 122. IV. 10. 25. in Ibin 387. Tib. III. 4. 89. et al. Cat. LX. 2. LXIV. 156. Prop. II. 2[illegible]3. III. 10. 28.

Scylla, -ae, Nisi, Megarensium regis, filia, quae Minois amore capta patriam urbem ei obsidenti prodidit, nihilominus ab hoc spreta, dum illius classem abeuntem persequitur, in cirin avem mutata fingitur. Virg. Ge. I. 405. Pseudo-Virg. Cul. 330. in Cir passim. Ov. Am. III. 12. 21. Trist. II. 393. Met. VIII. 91. sqq.

Digitized by Google

Prop. III. 17. 21. IV. 4. 37. Poëtae haud raro utriusque Scyllae fabulam confuderunt. Virg. Ecl. VI. 74. v. *Nisaeus*, *Nisus*. — Est etiam navis nomen ap. Virg. Aen. V. 122.

Scyllaeus, -a, -um, a Scylla, Phorci filia, vel ad Scyllam, Phorci filiam, spectans. Virg. Aen. I. 200. (204.) Pseudo-Virg. Cir. 57.

Scyrĭas, -ădis, i. e. Deidamia, Lycomedis, Scyri insulae regis, filia, Achillis uxor, Pyrrhi mater. Ov. Art. Am. I. 682.

Scyrĭus, -a, -um, in vel e Scyro, ad Scyrum spectans. Prop. II. 7. 54.

Scyria pubes, i. e. Pyrrhi, Achillis filii, milites. Virg. Aen. II. 477. v. *Scyros*.

Scyria membra, i. e. Pyrrhi. Ov. Her. VIII. 112.

Scyron, v. Sciron.

Scyros s. Scyrus, -i, insula Aegaei maris, haud procul ab Euboea cum urbe eiusdem nominis, in qua Lycomedes regnavit, cuius filia Deidamia ex Achille, quum Troianum bellum evitans muliebri veste indutus hic lateret, Pyrrhum s. Neoptolemum peperit. Hodie idem nomen habet. Ov. Art. Am. I. 682. Met. VII. 464. XIII. 156. Cat. LXIV. 35.

Scythes, -ae, unus e Scythis, Scythiae incola. *Scythae* autem dicti fuerunt a veteribus omnes septemtriones versus Europae et Asiae remotiores populi, Daci, Getae, Bessi, Geloni, Sarmatae, aliique. Erant autem bellicosissimi, Romanis parum cogniti, vivebantque pecore; nonnulli equina, pauci humana, carne vescebantur, nec ullas habebant domus, sed nomadicam vitam agentes in aperto, in plaustris, quibus vecti hac illac vagabantur, habitabant. Hodie eo loco sunt *Tutari*. Hor. Od. I. 19. 10. I. 35. 9. II. 11. 1. et al. Virg. Ge. III. 197.

Scythĭa, -ae, fuit vastissima regio, in remotioribus septemtrionalis Europae Asiaeque partibus, unde Europaea pars ab Istri fere ostiis ad Tanain usque patet. Asiatica vero Scythia ad Indicos montes in Asia porrigitur; hodie *Tartaria*. Virg. Ecl. I. 66. Ge. I. 240. et al. Ov. Her. V. 107. XII. 27. Am. II. 16. 39. et al. Tib. III. 4. 91. Prop. IV. 1. 47.

Scythĭcus et Scythĭus, -a, -um, in vel e Scythia; ad Scythiam pertinens. Ov. Fast. III. 719. Met. V. 649. VII. 407. et al. Prop. III. 14. 13.

Scythicus amnis, i. e. Tanais. Hor. Od. III. 4. 36.

Scythica Diana, i. e. in Taurica Chersoneso in Scythia, anteahumanis hostiis culta, deinde ab Oreste in Aricium nemus translata. Ov. Met. XIV. 331.

Digitized by Google

Scythicum fretum. i. e. Pontus Euxinus, Scythiam alluens. Ov. Trist. V. 2. 62. V. 10. 14.

Scythicae paludes, i. e. palus Maeotis. Ov. Trist. III. 4. 49.

Scythis, -ĭdis, quae in vel e Scythia est, ad Scythiam pertinet. Ov. Met. XV. 360.

Scython, -ōnis, homo, qui modo vir, modo femina, fuisse fingitur. Ov. Met. IV. 280.

Sebēthis, -ĭdis, nympha, Sebethi, fluvii in Campania prope Neapolim, filia, quae e Telone, Caprearum insulae rege, Oebalum peperit. Virg. Aen. VII. 734.

Selīnus, -untis, fuit urbs ad australem Siciliae partem, palmis abundans: locus autem, ubi urbis ruinae conspiciuntur, hodie *Terra di Pulici* vocatur. Virg. Aen. III. 705.

Semēle, -es, Cadmi, Thebanorum regis, ex Harmonia filia, Bacchi mater, quae e Iove gravida facta, Iunonis fraude a Iove, quo habitu ad Iunonem venire consueverat, amplexus sibi expetiit. Quod ut Iupiter iureiurando coactus fecit, Semele igni conflagravit, deusque Bacchum, utero exemtum, suo insuit femori, impletisque iustis mensibus in lucem edidit, et Nyseidibus nymphis nutriendum dedit. Hor. Od. I. 19. 2. Pseudo-Virg. Cat. XI. 33. Ov. Am. III. 3. 37. Art. Am. III. 251. Trist. III. 715. Fast. III. 715. Met. III. 261. et al. Tib. III. 4. 45. Prop. II. 21. 29. II. 23. 19.

Semeles soror, i. e. Ino, quae in Leucotheen, deam marinam, mutata, Ulyssi naufrago, ne periret, velum dedit, cuius ope ad Phaeacum litus incolumis enatavit. Ov. in Ibin 280.

Semeleĭus, -a, -um, a Semele, vel ad Semelen pertinens.

Semeleïa proles, i. e. Bacchus, Semeles filius. Ov. Met. III. 520. V. 329. IX. 640. cf. Hor. Od. I. 17. 22.

Semirămis, -ĭdis, formosa Assyriorum regina, Nini coniux, post cuius mortem regnavit, Babylonemque, regni caput, altis muris e coctili latere et bitumine circumdedit. Ov. Am. I. 5. 11. Met. IV. 58. Prop. III. 9. 21.

Semiramĭus, -a, -um, a Semiramide, vel ad Semiramidem pertinens. Ov. Met. V. 86.

Semo, -ōnis, Sabino sermone dicebatur Hercules. Ov. Fast. VI. 214. v. *Fidius*.

Septicĭus, -i, (*) Romanus, quem Horatius cum Butra et Sabino quodam convivio excepit. Ep. I. 5. 26.

Septimillus, -i, diminutivum a Septimio apud Cat. XLV. 13.

(*) Alii *Septimius* legunt, eundemque ac Titium Septimium, equitem Romanum, putant.

Digitized by Google

Septimĭus (Titĭus), -i, Romanus eques, uti videtur, et egregius poëta lyricus, quem Horatius diuturna et sincera amicitia coluit, et Tib. Claudio Neroni, A. U. DCCXXXI. in Orientem iter parranti, commendavit. Hor. Od. II. 6. 1. Ep. I. 9. 1. Alii autem Titium a Septimio diversum statuunt, v. Hor. Ep. I. 3. 9. — Item Romanus, cuius amorem describit Catullus XLV.

Serāpis, -is et -ĭdis, Aegyptius deus. qui etiam Romae templa habebat, quem mulieres valetudinis vel libidinis caussa adorare solebant. Cat. X. 26.

Seres, -um, dicuntur bellicosi Scythiae Asiaticae populi, Indis proximi, et Romanis incogniti, quorum loca hodie *Sinenses* incolunt. Fuerunt tenuissima lana, quam ab iis ex arboribus colligi putabant veteres, quaeque *sericum* dicta erat, nobiles, e qua pretiosissimae vestes et culcitae Romae conficiebantur. Bombyces autem vermiculi hoc sericum circum arboris folia texebant. Hor. Od. I. 12. 56. III. 29. 27. IV. 15. 23. Virg. Ge. II. 121. Ov. Am. I. 14. 6. Prop. III. 3. 5.

Serestus, -i, fuit unus e Troianis ducibus, qui Aenean in Italiam comitatus traditur. Virg. Aen. I. 611. (615.) et al.

Sergestus, -i, dicitur Troianus ex Aeneae comitibus, qui Sergiae gentis Romanae auctor refertur. Virg. Aen. I. 510. (514). IV. 288. V. 121.

Serĭcus, -a, -um, a Seribus, vel ad Seres spectans. Poëtae vero Seribus, aliisve eiusmodi remotis populis *Parthos* innuere videntur. Hor. Od. I. 29. 9. Epod. VIII. 15. Prop. IV. 3. 8.

Serīphos s. Serīphus, -i, parva insula, ex Aegaei maris Cycladibus una, ubi Polydectes regnavit; hodie *Serpho*. Pseudo-Virg. Cir. 477. Ov. Art. Am. III. 192. Met. V. 242. 251. VII. 464.

Serrānus (C. Attilĭus), -i, Romanus civis, cui agrum suum colenti propter virtutis gloriam Dictatura delata est. Virg. Aen. VI. 845.

Servilĭus Balătro, -i, homo, quem Maecenas ad Nasidieni convivium umbram, i. e. non invitatum, comitem adduxit. Hor. Sat. II. 8. 21.

Servĭus, -a, -um, praenomen Romanum. Dicitur autem sic *Servius Tullius*, sextus Romanorum rex. Ov. Fast. VI. 480. 571. 620. v. *Tullius*.

Servius Sulpicius, Ciceronis amicus, poëta lascivus, cuius carmina periere. Ov. Trist. II. 441.

Servius est forsitan *Servius Claudius*, praestans Grammaticus, qui, quis Plauti poëtae versus esset, quis non, facile dignoscebat, et inter Horatii amicos re-

Digitized by Google

censetur. Hor. Sat. I. 10. 86.

Servii Sulpicia. v. Sulpicia.

Servius Oppidius. v. Oppidius.

Sestos s. Sestus, -i, Thraciae urbs in Hellesponti ora, Abydo opposita, in qua Hero, Leandri amica, habitavit, unde nobilitata est; locus adhuc *Sesto* vocatur. Ov. Her. XVIII. 127. Trist. I. 10. 28.

Sestus, contr. pro Sestĭus, -a, -um, in vel e Sesto urbe, vel ad Sestum pertinens.

Sesta puella, i. e. Hero. Ov. Her. XVIII. 2.

Setăbus, -a, -um, in vel ex Setabo. Fuit autem *Setăbus* s. *Saetabus* urbs Hispaniae, ubi optimum linum inveniebatur. Cat. XIII. 14. XXV. 7.

Sevērus, -i, fuit mons in Sabinis prope Reate urbem, Silvis obsitus, et adscensu difficilis. Virg. Aen. VII. 713.

Sevērus (L. Cornelĭus), -i, poëta egregius, qui heroico et elegiaco carmine multa, quae perierunt, scripsisse videtur, et Ovidio amicus fuit, ex Pont. I. 8. 2. IV. 2. 2. 14. IV. 16. 9.

Sextianus, -a, -um, ad Sextium, hominem quendam insulsum, pertinens. Cat. XLIV. 10.

Sextĭus (L.), -i, homo nobilis et dives Romanus, Horatio amicitia coniunctissimus, qui Bruti partes secutus, et postea quoque ab Augusto in amicitiam receptus, tantum apud eum gratia valuit, ut Augustus A. U. DCCXXXI, se consulatu abdicans hunc in suum suffecerit locum. Hor. Od. I. 4. 14. — Item vir quidam, cuius dicta insulsa et inepta habebantur. Cat. XLIV. 20.

Sextus Pompēius, -i, Romanus civis, nobilis et potens, Ovidii amicus, qui ad eum duas misit literas ex Pont. IV. 1. et IV. 15.

Sextus Sabīnus, -i, homo cetera ignotus, cuius fit mentio apud Pseudo-Virg. Cat. VII. 6.

Sibylla, -ae, femina fatidica, quam Virgilius *Deiphoben*, Glauci filiam, Tibullus *Amaltheim*, vocat, et quae Cumis in antro degebat, Apollinis et Dianae sacerdotio fungens. Ab Apolline amata, poscendi, quidquid vellet, veniam impetravit, tum arena manibus hausta, totidem annorum vitam sibi poposcit. Aenean autem, huc delatum, ad inferos duxit; postea ad Tarquinium Superbum novem attulit libros s. carmina, arborum foliis inscripta, quae Romanae reipublicae fata continebant, et pro iis trecentos aureos postulasse fertur. Quum vero rex mulieris insaniam derideret, tria in eius conspectu combussit, et pro sex reliquis idem poposcit pretium, quod iterum negante Tarquinio, tria alia in ignem coniecit. Tunc

Digitized by Google

rex, Sibyllae constantia motus, reliqua tria eodem emit pretio, quae in Capitolio reposita primo a duumviris, tum a decemviris, denique a quindecimviris custodita, in rebus dubiis, reipublicae calamitatibus, visisque prodigiis inspiciebantur et consulebantur. Plures vero Sibyllae, ut *Mermessia*, *Herophile*, *Albuna*, fuisse finguntur, quarum tamen vaticinia quoque ad unam feminam a poëtis referuntur; quum vero in bello Sullano una cum Capitolio cremati essent, alii libri substituti sunt, qui hexametris confecti fuisse videntur. Virg. Aen. III. 452. V. 735. VI. 10 sqq. Ov. Fast. III. 534. IV. 875. Met. XIV. 104. 154. XV. 712. Tib. II. 5. 15. v. *Cumaeus*.

Sibyllae aetas, i. e. longaeva, qualis Sibyllarum Prop. II. 19. 19.

Sibyllīnus, -a, -um, a Sibylla, vel ad Sibyllam pertinens.

Sibyllini versus sunt fatalia carmina, a Sibylla data. Hor. Carm. Saec. 5.

Sicamber, v. Sygamber.

Sicanĭa, -ae, fuit antiquum *Siciliae* nomen, quae insula, Italiae adiacens, triangulari forma, omnium mediterranei maris maxima, agrorum fertilitate uti et pascuorum praestantia nobilis, in primis frumenti feracissima fuit. Virg. Aen. I. 557. (561.) Ov. Met. V. 464. 495. et al.

Sicānis, -ĭdis, quae in vel e Sicania s. Sicilia est, ad Sicaniam s. Siciliam pertinet. Ov. in Ibin 600.

Sicanĭus, contr. Sicānus, -a, -um, id. q. Siculus. Hor. Epod. XVII. 32. Virg. Ecl. X. 4. Aen. III. 692. et al. Ov. XV. 57. et al. Prop. I. 16. 29.

Sicĕlis, -ĭdis, quae in vel e Sicilia est, ad Siciliam pertinet. Ov. Her. XV. 52. Met. V. 412.

Sicelides Musae, i. e. bucolici carminis praesides, s. Theocriti, bucolici carminis scriptoris, quem Virgilius in bucolicis imitatus est. Fuit autem Theocritus Syracusis, Siciliae urbe, natus. Virg. Ecl. IV. 1.

Sichaeus, v. Sychaeus.

Sicŭlus, -a, -um, in vel e Sicilia, ad Siciliam pertinens. Hor. Od. II. 16. 33. IV. 4. 44. et al. Virg. Ecl. II. 21. et al. Ov. Fast. II. 93. Met. V. 361. et saepe.

Siculus pastor, i. e. Theocritus. Virg. Ecl. X. 51. v. *Sicelis*.

Siculus collis, i. e. Eryx, Siciliae mons. Ov. Fast. IV. 872.

Siculus tyrannus, i. e. Phalaris, Agrigenti tyrannus. Ov. Trist. III. 11. 41.

Siculum profundum, i. e. mare, quod Siciliam alluit. Ov. Met. VII. 65.

Sicula fuga, i. e. Sex. Pom-

Digitized by Google

peii, qui ex Sicilia fugatus est. Prop. II. 1. 28.

Siculi tyranni sunt uterque Dionysius, Phalaris et Agathocles, qui in Sicilia tyrannidem exercuerunt. Hor. Ep. I. 2. 58.

Siculi Agrippae fructus, i. e. ex agris, quos Agrippa, Augusti gener, in Sicilia habuit. Hor. Ep. I. 12. 1.

Siculae dapes sunt exquisitissimae, quales Dionysius maior, Siciliae tyrannus, Damocli parasito paravit, qui quum Dionysium felicem praedicasset, tyrannus ipsi fortunam degustandam dedit, eumque in aureo collocavit lecto, regio apparatu, et epulis conquisitissimis appositis; fulgentem autem gladium, e lacunari feta equina aptum, demisit, ut illius cervicibus impenderet. Quod visum quam ei timorem iniiceret, exoravit tyrannum, ut abire liceret, quod iam beatus esse nollet. Hor. Od. III. 1. 18.

Sicyŏn, -ōnis, Peloponnesi urbs in Achaia prope Corinthum, olivarum ferax. Hodie *Basilica* dicitur. Ov. ex Pont. IV. 15. 10. in Ibin 319.

Sicyoniŭs, -a, -um, in vel e Sicyone, ad Sicyonem pertinens. Ov. Met. III. 216.

Sicyonia bacca, i. e. oliva. Virg. Ge. II. 519.

Sicyonia sunt Sicyonium calceamentum, veteribus laudatum. Pseudo Virg. Cir. 169.

Sidicīnus, -a, -um, a Sidicino Teano, vel ad Sidicinum Teanum pertinens. Fuit *Sidicinum* epitheton Teani, Campaniae urbis, quo a Teano, Apuliae urbe, distingueretur. Virg. Aen. VII. 727. v. *Teanum*.

Sidon, -ōnis, antiquissima Phoenices urbs maritima, haud procul a Tyro, mercatura nobilis. Incolae autem navigandi artis peritissimi erant. Hodie *Said* vocatur. Virg. Aen. I. 619. (623.) Ov. Met. IV. 571.

Sidōnis et Sidōnis, -ĭdis, quae in vel e Sidone est, ad Sidonem pertinet. Ov. Met. II. 840.

Sidonis, i. e. a) Europa, Agenoris, Phoenices regis filia. Ov. Art. Am. III. 25. 2. Fast. V. 610. 617. b) Dido, Beli, Phoenices regis, filia. Ov. Met. XIV. 80. c) Anna, Didus soror. Ov. Fast. III. 649.

Sidonis concha, i. e. purpura Sidonia. Ov. Met. X. 267. v. *Sidonium ostrum*.

Sidonĭus, -a, -um, in vel e Sidone, vel ad Sidonem spectans, id. q. Phoenicius, Tyrius et purpureus; Phoenices enim primum Sidone, deinde Tyro urbibus conditis, Tyri imperarunt. Hor. Epod. XVI. 61. Virg. Aen. I. 446. (450.) et al. Ov. Met. IV. 542. ex Pont. I. 3. 77. Prop. II. 13. 55. et al.

Sidonius hospes, i. e. Cadmus, Agenoris, Phoenicum regis,

Digitized by Google

filius. Ov. Her. IX. 101. Met. III. 129. cf. ex Pont. I. 3. 77.

Sidonius equus, i. e. Carthaginiensis. Virg. Aen. V. 571.

Sidonius murex et *Sidonium ostrum*, i. e. praestantissima purpura; murex enim, ex quo ille color fiebat, et cuius multitudo in Tyri et Sidonis litorali ora capiebatur, prae ceteris egregius habitus est. Hor. Ep. I. 10. 26. Pseudo-Virg. Cir. 387. Ov. Trist. IV. 2. 27. cf. Virg. Aen. IV. 137.

Sidonia urbs, i. e. Carthago, a Sidoniis, duce Didone, condita. Virg. Aen. I. 678. (682.) IV. 545.

Sidonia manus, i. e. Cadmi. Ov. in Ibin. 448.

Sidoniae rates sunt Phoeniciae naves. Phoenices autem in navigando minorem Ursam s. Cynosuram observare solebant, Graeci vero maiorem s. Helicen. Ov. Fast. III. 108. Trist. IV. 3. 2.

Sigeĭus, contr. Sigēus, -a, -um, in vel e Sigeo, ad Sigeum pertinens, nonnumquam id. q. Troianus. Fuit autem *Sigēum* (*) urbs et promontorium Troadis, ad Scamandri fluminis ostia contra Tenedum insulam (hodie *Ianizari*), ubi Achilles, bello Troiano a Paride interfectus, sepultus est, cuiusque sepulcrum, uti et Patrocli, hodie ibi invenitur (†). Virg. Aen. VII. 294. Pseudo-Virg. Cul. 306. Ov. Her. I. 33. XVI. 21. et al.

Sigea freta et *Sigeum profundum*, i. e. mare, quod Sigeum alluit. Virg. Aen. II. 312. Ov. Met. XI. 197.

Sila, -ae, vocatur ingens Italiae silva in Bruttiis, cuius pix nobilis fuit. Virg. Aen. XII. 715.

Silărus, -i, flumen Italiae in agri Picentinorum et Lucaniae confinio, quod ex Apennino monte exortum in Tyrrhenum mare exoneratur; hodie *Selo* vocatur. Virg. Ge. III. 146.

Silēnus, -i, Bacchi custos, calvus senex, qui ebrius asino insidens deum ubique comitari solebat. Satyris ut plurimum iungitur, unde a nonnullis unus ex iis maximus natu habetur. Hor. Ep. II. 3. 239. Virg. Ecl. VI. 14. Ov. Art. Am. I. 543. Fast. I. 399. et al. Prop. II. 23. 94. III. 2. 29. Cat. LXIV. 253.

Silo, -ōnis, nomen lenonis ap. Cat. CIII.

Silvānus et Sylvānus, -i, semideus, silvarum, pecorum et agrorum praeses, cuius cultum iam Pelasgi e Graecia in

(*) Rectius quam *Sigaeum* videtur; est enim Graece Σίγειον, v. Steph. Byz. in voc.

(†) v. I. B. Lechevalier in Troadem iter, Francice 1802. Parisiis editum, P. II. c. 19.; uti et P. III. p. 243. sqq. I. B. S. Morritt.

Digitized by Google

Italiam transtulerunt. Quotannis ei solenne sacrificium lactis faciebant. Hor. Od. III. 29. 23. Epod. II. 22. Ep. II. 1. 143. Virg. Ecl. X. 24. Ge. I. 20. II. 494. Aen. VIII. 600. Ov. Met. XIV. 639. Prop. IV. 4. 5. Poëtico more multitudinis numero usus fuisse videtur Ovidius Met. I. 193.

Silvĭa (Rhea). Ov. Fast. III. 45. v. *Ilia.*

Silvĭus, -a, -um, Albanorum regum cognomen, quod habent ab Aenea Silvio, Aeneae Troiani e Lavinia filio postumo, qui quod in silva natus fuit, hoc cognomen accepisse traditur. Virg. Aen. VI. 763. Ov. Met. XIV. 610.

Simonidēus, -a, -um, a Simonide, ad Simonidem pertinens. Fuit autem *Simonides* poëta et philosophus, qui, DLVII. A. C. in Coo insula natus, elegis suis inclaruit.

Simonideae lacrymae sunt Simonidis elegi, qui lacrymas movere solent. Cat. XXXVIII. 8.

Simethaeus. Rectius Symethaeus, q. v.

Simŏis, -entis, tortuosum Phrygiae in Troade flumen, quod ex Ida monte exortum in Scamandrum s. Xanthum effunditur, et fama quam natura maius est, ad cuius ripas Venus ex Anchise Aenean peperisse fingitur; hodie *Chisime* vocatur. Hor. Epod. XIII. 14. Virg. Aen. I. 100. (104.) et al. Ov. Her. I. 33. et saepe. Prop. II. 7. 50. III. I. 27.

Simois Idaeus, i. e. ex Ida monte in Phrygia profluens. Ponitur a Propertio pro *Cretensi* flumine, vel errore, vel certe catachresi, si vera est lectio. III. 1. 27.

Sinis, -is, Procrustae e Silea filius, crudelis latro ad Corinthi Isthmum, qui homines ad duarum arborum ramos, ad terram deflexos, alligabat, quibus dimissis misere distraherentur; quo mortis genere et ipse a Theseo adfectus est. Ov. Her. II. 70. Met. VII. 440. in Ibin 409. Psop. III. 21. 37.

Sinon, -ōnis, unus e Graecis ad Troiam, qui a Troianis capi se passus, vinculisque liberatus, equum ligneum, a Graecis exstructum, militum plenum, et a Troianis in Minervae arce collocatum, noctu aperuit. Virg. Aen. II. 79. sqq.

Sinōpeus, -ĕi, i. e. Diogenes, Sinope, Paphlagoniae urbe, oriundus. Ov. ex Pont. I. 3. 67. v. *Cynicus.*

Sinuessa, -ae, fuit Italiae urbs, in Campania ad mare sita; hodie locus *Rocca di Mandragone* vocatur. Hor. Sat. I. 5. 40. Ov. Met. XV. 715.

Sinuessānus, -a, -um, in vel e Sinuessa, ad Sinues-

Digitized by Google

sam pertinens. Hor. Ep. 1. 5. 5.

Sipȳlus, -i, montium tractus in Phrygia Maiore et Lydia, ubi Niobe nata et in saxum conversa fingitur. Ov. Met. VI. 149. Prop. II. 16. 8. — Vocatur sic etiam unus ex Amphionis et Niobes filiis. Ov. Met. VI. 231.

Siren, -ēnis, una e Sirenibus, quae, maris monstra, Acheloi et Melpomenes Musae filiae, tres numero fuisse finguntur, Parthenope, Ligea et Leucosia, superiore corporis parte virgines, inferiore aves referentes. Inter Italiam et Siciliam tres incolentes scopulos, praetervehentes nautas cantu vocisque suavitate revocabant, navesque appulsas detinebant. Re autem vera Sirenes nihil aliud fuerunt, quam tres scopuli, prope Capreas insulam, naufragiis olim infames. Hor. Sat. II. 314. Ep. I. 2. 23. Virg. Aen. V. 864. Ov. Art. Am. III. 311. Rem. Am. 789. Met. V. 555. et al. Tib. IV. 1. 69. Prop. II. 16. 32. III. 10. 34.

Sirĭus, -i, dicitur stella in capite Canis maioris lucidissima, et cum Canicula confunditur. E veterum opinione cum sole coniuncta intolerabilis caloris caussa erat. Virg. Ge. IV. 425. Aen. III. 141. Tib. I. 7. 21.

Sirĭus, -a, -um, ad Sirium stellam pertinens. Virg. Aen. X. 273.

Sirmio, -ōnis, fuit peninsula amoena ad lacum Benacum (lago di Garda), ubi Catullus praedium habuit. Cat. XXXI. 1.

Sisenna (L. Cornelĭus,) -ae, orator, historicus et poëta Romanus, qui Romanarum rerum historiam scripsit, eique obscena immiscuisse videtur; praeterea Aristidis Milesii amatoria carmine Latine vertit, et circa annum U. C. DCLXX. floruit. Ov. Trist. II. 443. — Fuit quoque hoc nomine homo maledicentissimus, Hor. Sat. I. 7. 8.

Sisyphĭdes, -ae, i. e. Ulysses, Sisyphi ex Anticlea filius. Ov. Art. Am. III. 313. v. *Anticlea.*

Sisyphĭus, -a, -um, a Sisypho, ad Sisyphum spectans. Prop. II. 13. 63.

Sisyphio sanguine cretus, i. e. Ulysses. Ov. Met. XIII. 32.

Sisyphiae opes sunt Glauces s. Creontis, Corinthiorum regis, filiae; Sisyphus enim Corinthi rex et conditor fuisse traditur. Ov. Her. XII. 204. Prop. II. 13. 63.

Sisyphus s. Sisyphos, -i, Aeoli filius e Merope, Atlantis et Pleiones filia, Glaucum, Bellerophontis patrem, aliosque procreavit: ex Anticlea vero, Autolyci filia, ante eius nuptias cum Laerte Ulyssem genuit. Fuit autem Corinthi auctor et rex; quum vero astutia insamis Atticam latrociniis infestaret, a Theseo interfectus ob impietatem

Digitized by Google

apud Inferos saxum in montis cacumen volvit, quo ut venit, saxum, e manibus elapsum, in vallem redigitur, unde id denuo sursum volvere cogitur. Hor. Od. II. 14. 20. Epod. XVII. 68. Sat. II. 3. 21. Ov. Fast. IV. 175. Met. IV. 459. et al. — Vocatur sic etiam Antonii Triumviri nanus. Hor. Sat. I. 3. 47. Prop. IV. II. 23.

Sithon, -ōnis, id. q. Thrax. Fuit enim *Sithonia* parva Thraciae regio, postea Macedoniae adiecta, a Sithone rege nomen habens. Ov. Fast. III. 719.

Sithŏnis, -ĭdis, quae e Sithonia s. Thracia est. Ov. Met. VII. 466.

Sithonis, i. e. Phyllis, Sithonis, Thraciae regis, filia. Ov. Rem. Am. 605. et al.

Sithonis unda, i. e. mare, Thraciam alluens. Ov. Her. II. 6.

Sithonĭus, -a, -um, in vel e Sithonia, ad Sithoniam pertinens, id. q. Thracius. Hor. Od. I. 18. 9. III. 26. 10. Virg. Ecl. X. 66. Ov. Her. XI. 13. Am. III. 7. 8. et al.

Smilax, -ăcis, puella, quae cum Crocum iuvenem amaret, uti hic in crocum, ita ipsa in sui nominis florem mutata fertur. Ov. Met. IV. 283.

Smintheus, -ĕi, Apollinis cognomen, quo in Phrygia Minore cultus fuit. Ov. Fast. VI. 425. Met. XII. 585.

Smyrna, ae, Cinyrae filia, quae et Myrrha vocatur, q. v. — Est quoque hoc nomine poëma Cinnae poëtae. Cat. XCV. 1. v. *Cinna*.

Smyrna, -ae, amoena Ioniae urbs, ad Meletem fluvium in ora maris sita, quae hodie idem nomen habet. Hor. Ep. I. 11. 3. Ov. ex Pont. I. 3. 65. sq.

Socratĭcus, -a, -um, a Socrate, vel ad Socratem pertinens. Fuit autem *Socrates* omnium veterum philosophorum longe praestantissimus, quippe cuius philosophia ad mores corrigendos adeoque ad veram felicitatis viam tendebat; floruit autem Olymp. LXXXIX. s. A. U. CCCXXX.

Socratica domus, i. e. libri de Socratis disciplina ab eiusque discipulis scripti. Hor. I. 29. 14.

Socraticum opus, i. e. Phaedo, Platonis, Socratis discipuli, egregium de animi immortalitate opus. Ov. in Ibin 496.

Socratici sermones sunt Socraticae philosophiae praecepta. Hor. Od. III. 21. 9.

Socraticae chartae sunt libri Platonis, Aeschinis, Xenophontis aliorumque Socratis discipulorum. Hor. Ep. II. 3. 310.

Socration, -ōnis, homo nequam apud Cat. XLVII. 1.

Sol, -is, id. q. Phoebus s. Apollo, q. v.

Digitized by Google

Solis filia, i. e. a) Pasiphaë. Ov. Met. IX. 735. b) Circe e Sole et Perseide, Oceani filia, nata. Virg. Aen. VII. 11. Ov. Rem. Am. 276. Met. XIV. 346.

Sŏlŷmus, -i, unus ex Aeneae sociis, qui Sulmonis, urbis in Italia, auctor fuisse traditur. Ov. Fast. IV. 79.

Somnus, -i, et Sopor, -ōris, a veteribus placidissimus deus habitus, alatus, ex Erebo et Nocte natus, Letique frater fingitur, cui Numa Pompilius ovem sacrificavit. Hor. Od. II. 11. 8. Virg. Aen. VI. 278. Ov. Fast. VI. 653. Eius egregia descriptio videatur ap. Ov. Met. XI. 586. sqq.

Sophŏcles, -is, Atheniensis, Tragicorum poëtarum facile princeps, et Atheniensium cum Pericle dux, qui nonaginta annos natus Olymp. XCIII. a. 3. s. A. U. CCCXLVIII. mortuus traditur. Ex multis eius tragoediis septem tantum hodie supersunt. Hor. Ep. II. 1. 163.

Sophoclēus, -a, -um, a Sophocle, vel ad Sophoclem pertinens.

Sophocleus cothurnus, i. e. gravitas, quae in Sophoclis tragoediis est. Virg. Ecl. VIII. 10., vel ponitur simpliciter pro ipsis Sophoclis tragoediis, ut Ov. Am. I. 15. 15.

Soracte, -is, altus Faliscorum in Etruria mons, prope Tiberim haud procul a Roma, in quo Apollinis templum fuit. Hor. Od. I. 9. 2. Virg. Aen. VII. 696. XI. 785.

Sosii, -orum, duo Romae fratres fuere, Horatii tempore noti bibliopolae. Hor. Ep. I. 20. 2.

Sparta, -ae, s. Sparte, -es, eadem urbs, quae Lacedaemon, q. v.

Spartānus, -a, -um, id. q. Lacedaemonius, q. v.

Spartana lex, i. e. Lycurgi. Prop. III. 12. 21.

Spartăcus, -i, fuit gladiator, qui Capuae e Lentuli ludo cum triginta erumpens sociis, valida servorum manu collecta, magnas Romanorum copias profligavit, Italiamque depopulatus est, donec a M. Crasso et Cn. Pompeio devictus fuerit. Hor. Od. III. 14. 19. Epod. I. 6. 5.

Sperchēis, -ĭdis, quae ad Spercheon flumen pertinet. Ov. Met. II. 250. VII. 230.

Sperchēos et Sperchŭus, -i, rapidissimus Thessaliae fluvius, qui ex Oeta monte exortus in Maliacum sinum exoneratur, cuiusque ripae populorum arborum feraces fuerunt; hodie *Agriomela*. Virg. Ge. II. 487. Ov. Met. I. 579.

Sperchionĭdes, i. e. Lycetus, Sperchei fluminis accola. Ov. Met. V. 87.

Sphinx, -gis, fuit monstrum prope Thebas, in alta

Digitized by Google

rupe sedens, caput, pectus manusque virginis, corpus autem canis, alas avis, ungues leonis, caudam draconis, hominisque vocem habens, quod praetereuntibus aenigma proponebat, quodnam animal mane quadrupes, meridie bipes, vespere tripes esset; qui vero id solvere non possent, dilacerabantur. Quod aenigma Oedipus, eo hominem significari dicens, solvit: quo facto doloris impatiens Sphinx se de rupe praecipitasse fingitur. Ov. Trist. IV. 7. 17. in Ibin 380.

Spio, -us, nympha marina, Nerei e Doride filia, Cyrenes socia. Virg. Ge. IV. 338. Aen. V. 826.

Staberĭus, -i, Romanus, qui divitiarum propterea cupidissimus fuit, quod paupertatem summum vitium duceret, quapropter testamentum, quo divitias suis iactaret, sepulcro inscribi iussit. Hor. Sat. II. 3. 84. 89.

Stabĭae, -arum, Campaniae urbs maritima, inter Sarni fluminis ostia et Surrentum, Sociali bello a L. Sulla deleta. Ov. Met. XV. 711.

Sterŏpe, -es, Atlantis e Pleione filia, una e Pleiadibus, quae cum Marte concubuit. Ov. Fast. IV. 172. Trist. I. 11. 14. v. *Pleias*.

Sterŏpes, -ae, unus e Cyclopibus, Vulcani in fulmine cudendo ministris. Virg. Aen VIII. 425. Ov. Fast. IV. 288. v. *Cyclops*.

Stertinĭus, -i, Romanus civis, Stoicus, qui de Stoica philosophia ducentos et viginti libros scripsisse traditur. Hor. Sat. II. 3. 33. 296. Epist. I. 12. 20.

Stesichŏrus, -i, egregius Graecus poëta lyricus, Himerae, Siciliae urbe, natus. Civibus, quo dissuaderet, ne Phalarin tyrannum, a quo auxilia adversus finitimos petiissent, admitterent ducem, de equo et cervo fabulam scripsit (*). Multa praeterea composuit carmina, quae praeter pauca fragmenta ad nostram aetatem non pervenerunt; floruit autem circa Olymp. LIV. s. A. U. CXC. Hor. Od. IV. 9. 8.

Sthenelēis, -ĭdis, quae a Sthenelo est, ad Sthenelum pertinent.

Stheneleis volucris, i. e. cycnus, in quam avem Cycnum, Stheneli filium, conversum fingunt. Ov. Met. XII. 581. v. *Stheneleia proles*.

Sthenelĕus, -a, -um, a Sthenelo, ad Sthenelum pertinens.

Stheneleïus hostis, i. e. Eu-

(*) Hor. Ep. I. 10. 34. Cf. Aristot. rhetor., ll. 20.

Digitized by Google

rystheus, Stheneli, Mycenarum regis, e Nicippe filius, Medusae frater, Herculi inimicissimus. Ov. Her. IX. 25. cf. Met. IX. 273. sq.

Stheneleïa proles, i. e. cycnus. Quum enim Cycnus, Stheneli filius, Liguriae rex, Phaëthontem, materno sibi iunctum genere, defleret, in sui nominis avem mutatus est. Ov. Met. II. 367.

Sthenĕlus, -i, Capanei regis ex Evadne filius, ad Troianum bellum profectus, bellicosus dux et impavidus Diomedis auriga, fuitque unus ex iis, qui in equo Troiano se condiderunt. Hor. Od. I. 15. 24. IV. 9. 20. Virg. Aen. II. 261.—Vocatur sic quoque unus e Rutulis, a Pallante, Euandri filio, caesus. Virg. Aen. X. 388. Item Troianus, qui Aenean in Italiam secutus a Turno interfectus est. Virg. Aen. XII. 341.

Stoĭcus, -a, -um, a Stoicis, ad Stoicos pertinens. Fuerunt autem *Stoici* philosophi severi et horridi, utpote qui Horatii aetate barbam Cynicorum philosophorum ad instar alebant, doctrinam a Zenone, nomen vero a στοᾶ, i. e. porticu, habentes, in qua Zeno Athenis docuit, eorumque placita in primis haec erant: Nil bonum est nisi honestum; felicitas in sola virtute est sita; sapiens omnino sine animi perturbatione est. Hor. Epod. VIII. 15. Sat. II. 3. 160.

Strophădes, -um, dicuntur duae parvae insulae Ionii maris ex adverso Peloponnesi occidentem versus, quo Harpyiae e Phinei regno a Zeto et Calai Argonautis propulsae finguntur; hodie *Strivali*. Virg. Aen. III. 209. Pseudo-Virg. Cir. 471. Ov. Met. XIII. 709.

Strophĭus, -i, Crisi filius, Pyladis pater, Phocidis rex. Ov. ex Pont. II. 6. 25.

Struma. v. Nonius. Cat. LII. 2.

Strymo et Strymon, -ŏnis fluvius in Macedoniae et Thraciae confinio, qui ex Haemo monte exortus in Aegaeum mare immittitur, ad quem multae grues commorari dicebantur; hodie *Stromona*. Virg. Ge. IV. 508. Ov. Met. II. 257. Trist. V. 3. 21.

Strymŏnis, -ĭdis, femina ad Strymonem habitans. Prop. IV. 4. 70.

Strymonĭus, -a, -um, in vel a Strymone, ad Strymonem pertinens, id q. Thracius. Virg. Ge. I. 120. Aen. X. 265. 414. et al. Pseudo-Virg. Cul. 326. Ov. in Ibin. 600.

Stygiālis, -e, id. q. Stygius.

Stygialia sacra sunt magica. Pseudo-Virg. Cir. 374.

Stygĭus, -a, -um, ad Stygem, vel ipsos inferos pertinens. Hor. Od. II. 208. IV. 8.

Digitized by Google

25. Virg. Ge. III. 551. Aen. III. 215. et al. Ov. Her. XVI. 209. et saepe. Non semel id. q. exitialis, mortifer. Ov. Met. III. 76. et al. Prop. II. 7. 64. et al.

Stygius Iupiter, *rex*, vel *frater*, i. e. Pluto, inferorum rex. Est enim Iupiter nonnumquam id. q. *deus*. Virg. Aen. IV. 638. VI. 252. IX. 104. X. 113. Ov. Fast. V. 448. v. *Iupiter*.

Stygius bubo, i. e. ululatu mortem portendens. Ov. Met. XV. 791. cf. Virg. Aen. IV. 462.

Stygia cymba s. *carina*, i. e. Charontis. Virg. Ge. IV. 506. Aen. VI. 391. Ov. in Ibin 637.

Stygia arundo, i. e. Charontis cymba, ex arundine confecta. Prop. II. 20. 71.

Stygia vis, i. e. mortifera. Virg. Aen. V. 855.

Stygiae nauta aquae, i. e., Charon. Tib. I. 10. 36.

Stymphălis, -ĭdis, quae in vel e Stymphalo est, ad Stymphalum pertinet. Fuit autem *Stymphălus* lacus et fluvius Arcadiae, qui ex eiusdem nominis monte exoritur, ubi aves ingentes rapacesque inveniebantur, quas Hercules Eurysthei iussu sagittis interfecit. Ov. Fast. II. 273. Met. V. 585. IX. 187.

Stymphalĭus, -a, -um, ad Stymphalum lacum pertinens.

Stymphalia monstra sunt aves, quas Hercules sagittis occidit apud lacum Stymphalum. Cat. LXVIII. 113.

Styx, -gis, fuit in fabulis fluvius, vel potius palus in inferis locis, per quam Superi iurare solebant, quod iusiurandum violare in primis nefas putabatur. Est autem nihil aliud, quam fluvius Peloponnesi in Arcadia, e Pheneo lacu oriens, cuius aqua tam frigida est, ut incaute bibenti mortem afferat. Hor. Od. I. 34. 10. Virg. Ge. I. 243. IV. 480. Ov. Art. Am. I. 635. II. 41. Fast. II. 536. III. 322. 802. et al. Ponitur nonnumquam pro locis inferis. Ov. Met. X. 13.

Suadēla, -ae, quae et *Suada*, a veteribus persuasionis et eloquentiae dea habita est. Hor. Ep. I. 6. 38.

Subūra s. Suburra, -ae, celebris Romae vicus, ubi meretrices aliique vilioris conditionis homines habitabant. Prop. IV. 7. 15.

Suburānus, -a, -um, in vel e Subura, vel ad Suburam pertinens. Hor. Epod. V. 58.

Suevi, -orum, fuerunt bellicosissimi populi, qui maiorem Germaniae partem obtinuere, et fere usque ad Rhenum, Oceanum, Vistulam et Danubium, habitarunt; in varias autem gentes divisi, communi nomine sunt Suevi dicti; horum partem Drusus vicit. Adhuc eorum nomen in Sueviae incolis (*Schwaben*) re-

Digitized by Google

mansit, Alb. ad Liv. ap. Ov. 17. 312.

Suffēnus, -i, malus poēta, cuius meminit Catullus XIV. 19. XXII. 1. et al.

Suillĭus (P.), -i, Caesaris Germanici Quaestor, cui Ovidii privigna nupsit. Ovidius ad eum scripsit ex Pont. IV. 8.

Sulcĭus, -i, caussarum aetor, latronumque accusator acerrimus fuisse videtur. Hor. Sat. I. 4. 65. 70.

Sulla. v. Sylla.

Sulmo, -ōnis, urbs Italiae in Pelignis, a Solimo Troiano, uti tradidere, condita, Ovidii patria; hodie *Sulmona* vocatur. Ov. Am II. 16. 1. III. 16. 11. Fast. IV. 81.

Sulmo, -ōnis, dicitur unus e Latinis, qui a Niso in nocturna expeditione caesus refertur. Virg. Aen. IX, 412. Huius quattuor filios Aeneas Pallanti, Euandri filio, inferias immolavit, quamquam etiam quattuor, Sulmone urbe nati, intelligi possunt, quod verius videtur. Virg. Aen. X. 517.

Sulpicia, -ae, Servii Sulpicii filia, nobilis docta puella, cuius dulcia carmina ad Cerinthum, adolescentem ab illa amatum, scripta, post Tibulli carmina supersunt. Tib. IV. 2. 1.

Sulpicĭus, -a, -um, e Sulpicia gente, vel ad Sulpiciam gentem pertinens. *Sulpicia horrea* fuerunt apothecae s. cellae vinariae Sulpicii Galbae, e quibus Horatius amicis Calenum vinum daturum se promittit. Erant autem Romae plurima horrea vino, quod ibi prostabat, referta. Hor. Od. IV. 12. 18.

Summānus, -i, Plutonis cognomen, quasi summus Manium, quamquam Ovidius, quis ille deus sit, nescire se fatetur. Huic deo tempore belli cum Pyrrho in Capitolio templum erat exstructum. Ov. Fast. VI. 731.

Sunĭon s. Sunĭum, -i, fuit promontorium et urbs in Attica regione. Hodie *Colonni* vocatur. Ov. Fast. IV. 563.

Surrentīnus, -a, -um, in vel e Surrento, vel ad Surrentum pertinens. Hor. Sat. II. 4. 55. Pseudo-Virg. Cat. VI. 12. Ov. Met. XV. 710.

Surrentum, -i, amoena Italiae urbs, in extrema Campania ad mare sita, tenui, attamen convalescentibus saluberrimo, vino, quod in vicinis montibus nascebatur, nobilis; hodie *Sorrento*. Hor. Ep. I. 17. 52.

Sūsa, -orum, nobilis Asiae urbs ad Choaspem, a Dario Hystaspis condita. Prop. II. 10. 1.

Sybăris, -is, urbs Italiae in extrema Lucania ad sinum Tarentinum et Sybarim fluvium, cuius incolae, voluptatibus deditī, luxuriosi, molles et lascivi fuerunt. Urbs autem, a Croto-

Digitized by Google

nae civibus deleta, denuo exstructa est, quae tum *Thurium*, s. *Thurii* et *Thuriae*, dicta fuit, cuius ruinae adhuc supersunt; flumen autem hodie *Cochile* vocatur. Ov. Met. XV. 51. 315.

Sybăris, -is, fictum nomen nobilis Romani, qui Lydiam puellam perdite amabat. Hor. Od. I. 8. 2 — Vocatur sic praeterea Troianus, Aeneae comes, in Italia a Turno caesus. Virg. Aen. XII. 363.

Sybarītis, -ĭdis, dictum fuit carmen cuiusdam Hemitheonis, Sybari urbe oriundi, quod varia voluptatum genera, quibus Sybaritae diditi erant, continuit. Ov. Trist. II. 417.

Sychaeus et Sichaeus, -i, fuit dives Herculis sacerdos Tyri, urbe in Phoenice, qui Elisam s. Didonem, Beli regis filiam, uxorem duxit, et a Pygmalione, Didus fratre, eius divitiis inhiante, ante aram clam interfectus est. Virg. Aen. I. 343. (347.) sqq. Ov. Her. VII. 97. 99. 193.

Sychaeus et Sichaeus, contr. ex Sychaeĭus, -a, -um, a Sychaeo, ad Sychaeum pertinens. Virg. Aen. IV. 552.

Syēne, -es, urbs Aegypti superioris ad Nilum, prope Aethiopiam sub Tropico Cancri, adeoque in Zonae torridae finibus, unde calida vocatur. Hodie *Asna*. Ov. ex Pont. I. 5. 79.

Syenītes, -ae, i. e. Phorbas, e Syene urbe oriundus. Ov. Met. V. 74.

Sygambra, -ae, puella e Sygambris. Ov. Am. I. 14. 49.

Sygambri, -orum, fuerunt Germaniae inferioris gens ferox, Rheni accola; (ubi hodie est *Westafaliae* pars, inter *Luppiam* fluvium et *Hassiae* fines, *Bergensis ducatus*, *Marchiensis comitatus* et *Cliviae* pars,) a Romanis antea saepe bello vario Marte tentata, a Druso tandem victa est. Hor. Od. IV. 2. 36. 14. 51. Ov. Am. I. 14. 49. Alb. ad Liv. ap. Ov. XVII. 311. Prop. IV. 6. 77.

Sylla et Sulla (L. Cornelĭus), -ae, fuit Dictator Romanus, qui bello civili Marium superavit, et Romae ad Circum maximum Herculi templum exstruxisse videtur. Huius filia Fausta, Annii Milonis uxor, impudico vitae genere admodum infamis fuit. Hor. Sat. I. 2. 64. Ov. Fast. VI. 212. — Est etiam hoc nomine Syllae libertus, literator sive poëtarum interpres. Cat. XLV. 9.

Sylvānus. v. Silvanus.

Sylvĭa. v. Silvia.

Sylvĭus. v. Silvius.

Symaethis, -ĭdis, nympha, Symaethi fluminis filia. Ov. Met. XIII. 750.

Symacthĭus et Symae-

Digitized by Google

thĕus, -a, -um, in vel e Symaetho, ad Symaethum pertinens. Fuit autem *Symaethus* (*) flumen in orientali Siciliae ora, inter Leontium et Catanam. Virg. Aen. IX. 584. Ov. Fast. IV. 472.

Symaethius heros, i. e. Acis, Symaethidis nymphae filius. Ov. Met. XIII. 873.

Symplegădes, -um, quae et *Cyaneae*, sunt duae Ponti Euxini insulae ad Bospori Thracii ostium. Ov. Her. XII. 121. Met. XV. 338. Trist. I. 10. 47. v. *Cyaneae*.

Syphax, -ācis, fuit Massaesylorum in Numidia rex, qui a Masinissa, Populo Romano amicissimo, in bello cum Carthaginiensibus captus, Scipionique traditus, Romae per triumphum ductus est. Ov. Fast. VI. 769. Prop. III. 9. 61.

Syracosĭus, -a, -um, in vel e Syracusis, ad Syracusas pertinens. Ov. Fast. VI. 277. ex Pont. IV. 3. 39.

Syracosius poëta, i. e. vel Theocritus, vel Epicharmus, poëtae, ambo Syracusis nati. Ov. in Ibin 551.

Syracosius versus, i. e. carmen bucolicum, quo carminis genere Theocritus, Syracusis natus, fuit usus. Virg. Ecl. VI. 1.

Syracūsae, -arum, fuerunt Siciliae urbs, Graecarum urbium maxima pulcherrimaque, in orientali Siciliae ora cum duobus portubus; constabat enim e quattuor oppidis, Acradina, Tyche, Neapoli et insula Ortygia dicta, quibus alii quintam, Epipolas vocatam, addunt; hodie idem nomen servat. Ov. Fast. IV. 873.

Syrinx, -gis, Arcadiae nympha, quae cum Panos amorem fugeret, deorum commiseratione in calamos palustres mutata est, unde Pan fistulam sibi pastoralem fecit. Ov. Met. I. 691 705.

Syriscus, -a, -um, id. q. Syrius. Pseudo-Virg. Cap. 1.

Syrĭus, contr. Syrus, -a, -um, in vel e Syria, vel ad Syriam pertinens. Fuit autem *Syria* magna Asiae Maioris regio, ad mare mediterraneum, inter Ciliciam, Mesopotamiam, Arabiam et Aegyptum, quae olim tam late patuit, ut et Assyriam contineret, unde *Syrius* et *Assyrius* promiscue a poëtis usurpantur. Huius incolae, uti et hodie plerique interioris Africae populi, pisces non edebant. Virg. Ge. II. 88. Ov. Art. Am. I. 76. IV. 13. Fast. II. 474. Tib. III. 6. 63. Cat. XLV. 22.

Syrius ros et *Syrium oleum*, *munus*, i. e. unguenta ex Syria,

(*) Minus bene alii *Simethus*; est enim Graecis Σύμαιθος, v. Heins. ad h. l. et Met. XIII. 750.

Digitized by Google

ubi, imprimis Antiochiae et Laodiceae ex oleo liliorum optimum unguentum fiebat, veteribus admodum laudatum. Tib. III. 4. 28. Cat. VI. 8. Prop. II. 10. 30.

Syri aperti sunt Assyrii, qui apertam regionem, utpote planam, coeloque ab omni parte patentem, incolebant. Cat. XXXVI. 12.

Syria merx, i. e. aromata, odores et unguenta, quae ex Arabia, Persia et India, in Syriae et in primis Phoenices urbes maritimas apportata, a Romanis mercatoribus Romam advehebantur. Hor. Od. I. 31. 12. cf. Od. II. 7. 8.

Syron s. Syro, -ōnis, fuit Romae philosophus Epicureus, Ciceroni amicissimus, Virgilii et Varii magister. Pseudo-Virg. Cat. VII. 9. X. 1.

Syros, -i, Aegaei maris insula, una e Cycladibus, haud procul a Delo sita, ab Achille capta; hodie idem nomen habet. Ov. Met. XIII. 175.

Syrtis, -is, locus arenosus in mari, navigantibus periculosus. Fuerunt autem olim duae *Syrtes* in mediterraneo mari in Africae ora periculosissimae, quarum maior prope Cyrenaicam, hodie *Golfo di Sidra*; minor vero prope Byzacium *Golfo di Capes* s. *Caps* vocatur. Hor. Od. II. 6. 3. Epod. IX. 31. Virg. Aen. VI. 60. VII. 302. Ov. Am. II. 11. 20. II. 16. 21. Fast. IV. 499. ex Pont. IV. 14. 9. et al. Tib. III. 4. 91. Ponuntur autem poëtarum more pro Syrtica regione, Africae parte, ad cuius litus adiacent, vel pro arenosis Africae desertis. Hor. Od. I. 22. 5. II. 20. 15. Virg. Aen. IV. 41. V. 51. Ov. Met. VIII. 120., vel omnino pro arenosis vadis. Virg. Aen. I. 146. (150.) X. 678. Prop. II. 7. 71. et al. Cat. LXIV. 156.

Syrus, -i, servi nomen, uti Diana et Dionysius. Hor. Sat. I. 6. 38., et gladiatoris cuiusdam: plurimi autem Syrii, Romam advecti, servi venibant. Hor. Sat. II. 6. 44.

Syrus Palaestinus, i. e. Iudaei, ut pote qui Palaestinam, quae olim ad Syriam pertinuit, incolebant. Ov. Art. Am. I. 416.

Digitized by Google

T.

Taburnus, -i, Campaniae mons in Samnii confinio, olivarum feracissimus; hodie *Taburo* vocatur. Virg. Ge. II. 38. Aen. XII. 715.

Taenarĭdes, -ae, i. e. Hyacinthus. Ov. Met. X. 183. v. *Hyaçinthus*, ibique adnot.

Taenăris, -ĭdis, quae est e Taenaro, vel ad Taenarum pertinet, id. q. Laeedaemonia. Ov. Her. XVII. 6. et al.

Taenaris terra, i. e. Lacedaemon. Ov. Her. XVI. 30.

Taenaris soror, i. e. Helena, Castoris et Pollucis soror, Spartae quidem nata, sed, pro poëtarum usu, a loci vicinitate sic vocata. Ov. Her. VIII. 72. 73.

Taenarĭus, -a, -um, in vel e Taenaro, ad Taenarum spectans, id. q. Lacedaemonius, Laconicus. Ov. Her. XVI. 274. Met. II. 247.

Taenarius deus, i. e. Neptunus. Prop. I. 13. 22.

Taenaria marita, i. e. Helena. Ov. Her. XIII. 45.

Taenaria vallis, *Taenaria porta*, *Taenariae fauces*, i. e. tenebrosus ille specus in Taenaro promontorio, per quem aditus s. descensus ad inferos fingebatur. Virg. Ge. IV. 407. Ov. Fast. IV. 612. Met. X. 13.

Taenariae columnae sunt ex marmore Taenario, quod viridis coloris erat. Prop. III. 1. 49.

Taenărus et Taenărum, -i, fuit Peloponnesi in Laconia promontorium, hodie *Matapan* dictum, ubi Neptunus templum habuit, et specus profundo hiatu olim exstitit, per quem descensus ad inferos patere credebatur; unde et pro ipsis inferis ponitur. Effodiebatur hic marmor, quod viridis erat coloris. Hor. Od. I. 34. 10. Tib. III. 3. 14.

Tages, -ae, Genii filius, Iovis nepos, qui e gleba, cum rusticus terram araret, repente editus Etruscos haruspicii disciplinam docuit. Ov. Met. XV. 558.

Tagus, -i, nobilis Hispaniae fluvius, aurum vehens, qui Lusitaniam percurrens in Oceanum exoneratur; hodie *Taio* s. *Teio* dicitur. Virg. Aen. VI. 326. Pseudo-Virg. Cat. XI. 52. Ov. Am. I. 15. 34. Met. II 251. Cat. XXIX. 20.

Tagus, -i, dicitur Rutulus, a Niso in nocturna expeditione caesus. Virg. IX. 418. — Item

Digitized by Google

Rutulus (*), ab Aenea in Italia caesus. Virg. Aen. XII. 513.

Talaionĭdes, -ae, (†) i. e. Eriphyle, Talai filia. Ov. Art. Am. III. 13.

Talāus, -i, Biantis filius, Adrasti, Astynomes et Eriphyles, e Lysimache pater.

Talai gener, i. e. Amphiaraus, Eriphyles maritus. Ov. in Ibin 356.

Talassĭus, -i, (‡) Virginitatis deus habitus, unde idem est, quod *nuptiae* apud Cat. LXII. 134.

Talos, v. Tagus.

Talthybĭus, -i, Agamemnonis minister, qui domini iussu Briseidem ex Achillis tentorio abduxit. Ov. Her. III. 9. sq.

Tamasēus, -a, -um, ad Tamasum, nobilem Cypri insulae urbem, pertinens, quae uti tota insula Veneri sacra fuit; hodie vicus eo loco idem nomen servat. Ov. Met. X. 644.

Tanāger, -gri, Lucaniae fluvius, qui ex Appennini iugis in Silarum defluit et hodie *Negro* vocatur. Virg. Ge. III. 151.

Tanăis, -is, Sarmatiae Europaeae flumen, quod Europam ab Asia separans in Maeotin paludem immittitur, hodieque *Don* dicitur. A Romanis habitabilis terrae finis habebatur, uti Scythae, eius accolae, propter coeli, cui subiacent, inclementiam remotissimi septemtrionum populi vocabantur. Hor. Od. III. 10. 1. IV. 15. 24. Virg. Ge. IV. 517. Ov. Her. VI. 107. Met. II. 242. Trist. III. 4. 49. Prop. II. 23. 54.

Tanais discors, i. e. Scythae, Tanais accolae, bella inter se gerentes. Poëtae enim saepe fluvios pro eius accolis usurpare solent. Hor. Od. III. 29. 28.

Tanais dicitur etiam eunuchus, Maecenatis libertus. Hor. Sat. I. 1. 105. — Item Rutulus, ab Aenea occisus. Virg. Aen. XII. 513.

Tanăquil, -ilis fuit uxor Tarquinii Prisci, quinti Romanorum regis. Ov. Fast. VI. 629.

Tantalĕus, -a, -um, a Tantalo, vel ad Tantalum spectans. Pseudo-Virg. Cul. 333. Prop. II. 1. 68. et al.

Tantalĭdes, -ae, unus e Tantali posteris. Vocantur autem sic a) *Pelops*, Tantali filius. Ov. Her. XVII. 54. Trist. II. 385. in Ibin 436. b) *Atreus* et *Thyestes*, Pelopis filii. Ov. Fast. II. 627. c) *Agamemnon*, Plisthenis filius, Atrei nepos, Pelopis pronepos. Ov. Her. VIII.

(*) Alii pro eo *Thalos* s. *Talos* legunt, v. Cl. Heyne l. l.
(†) Rectius *Talaioniae* eo loco legi posset, cum patronymica in *ides* masculini sint generis.
(‡) Cf. de hoc LIV. I. 9. PLUT. Q. Rom. 31.

Digitized by Google

45. Am. II. 8. 13. Fast. V. 307. Met. XII. 626. d) *Menelaus*, Agamemnonis frater. Ov. ex Pont. IV. 16. 26. e) *Orestes*, Agamemnonis filius. Ov. Her. VIII. 122.

Tantălĭdis, -ĭdis et -ĭdos, femina e Tantali posteris. Ov. Her. VIII. 66. Vocatur autem sic a) *Niobe*, Tantali filia. Ov. Met. VI. 211. b) *Hermione*. Menelai filia. Ov. Her. VIII. 122. Prop. II. 23. 14.

Tantălus, -i, Iovis e Plutone nympha filius, Pelopis et Niobes frater, Atrei et Thyestae avus, fuit Phrygiae rex dives. Ad deorum epulas admissus, et hinc superbus factus, arcana, sibi a patre inter epulas commissa, hominibus aperuit; vel uti alii fabulantur, ut deorum, a se convivio exceptorum, divinitatem exploraret, Pelopis filii membra coeta iis apposuit, quod scelus ut dii ulciscerentur, in inferis ad medium corpus usque in aqua stat sitiens, quam bibere ut vult, a labris illa aufugit; supra caput vero mala pendent; quae decerpere quum conatur, rami, vento moti, recedunt, saxumque, ruinam minans, ei imminet, atque ita in media rerum copia fame, siti et metu misere cruciatur, scelerisque sui poenas solvit meritas. Hor. Od. II. 18. 37. Epod. XVII. 66. Sat. I. 1. 68. Ov. Am. II. 2. 44. III. 12. 30. Art. Am. II. 606. Met. IV. 457. VI. 172. et. al. Tib. I. 3. 77. — Est quoque nomen urbis ex Amphionis et Niobes filiis, Tantali regis nepos, qui cum Phaedimo fratre inter luctandum ab Apolline vel Diana sagitta transfixus est. Ov. Met. VI. 240.

Tappo, -ōnis, homo quidam, de quo nihil constat. Cat. CIV. 4.

Taprobăne, -es, insula magna in mari Indico, ad introitum sinus Gangetici sita; hodie *Ceylon*. Ov. ex Pont. I. 5. 80.

Tarbellus, -a, -um, in vel ex Tarbellis. Fuerunt autem *Tarbelli*, Galliae in Aquitania populus ad Pyrenaeos.

Tarbella Pyrene, i. e. montes Pyrenaei. Tib. I. 7. 9.

Tarcho s. Tarchon, al. Tarco, Tarcon, -ōnis, Etruscorum dux, qui, Mezentio rege expulso, Aeneae, adversus Rutulos bellum gerenti, opem tulit, et legatos cum imperii insignibus ad Euandrum misit, qui ei Etruriae regnum offerrent. Virg. Aen. VIII. 516. et al.

Tarentīnus, -a, -um, in vel e Tarento, ad Tarentum spectans. Hor. Ep. II. 1. 207.

Tarentum, -i, Calabriae urbs ad Tarentinum sinum amoenissima, saluberrima itemque maxima, melle, vino olivisque abundans, purpura insignis, uti

Digitized by Google

et muri portusque praestantia nobilis. Primum fuit a Tarante, Neptuni filio, uti fingunt, condita; deinde Partheniae, [i. e. Lacedaemonii e promiscuo feminarum cum viris concubitu nati,] Phalantho duce, huc delati urbem occupatam amplificarunt. Fuit autem Neptuno, qui eius custos dicitur, cum ceteris maritimis oppidis sacra. Hodie idem nomen servat. Hor. Od. I. 28. 29. III. 5. 56. Sat. I. 6. 105. II. 4. 34. Ep. I. 7. 45. I. 16. 11. Virg. Ge. II. 197. Aen. III. 551. Ov. Met. XV. 59. v. *Phalanthus*.

Tarpa (Sp. Maetĭus) - ae, fuit Augusti tempore unus e quinque arbitris, qui Romae summa cum diligentia de fabulis, in ludis scenicis agendis, iudicium ferebant. Hor. Sat. I. 10. 38. Ep. I. 3. 387., ubi *Maetius* vocatur.

Tarpēius, - a, - um, in vel e Tarpeio s. Capitolino monte, vel ad Tarpeium s. Capitolinum montem pertinens. Fuit autem *Tarpeius* Romae mons, Tarquinio Superbo regnante *Capitolinus* dictus, unus e septem montibus, in quibus Urbs fuit condita, nomenque hoc habuit, uti nonnullis placet, a *Tarpeia*, Romana virgine, Sp. *Tarpeii*, arci Remanae, Romulo rege, praefecti filia, quae quum sacris aquam petitum extra moenia ivisset, a T. Tatio, Sabinorum rege, ut ei arcem proderet, auro se corrumpi passa est. A quibus vero intromissis pro aureis armillis, quas praemii loco pacta erat, scutis iniectis obruta periit. In hoc monte fuit arx, templum Iovis Capitolini et Tarpeia rupes s. saxum, montis pars, in qua veteris nominis vestigia remanserunt, et de qua noxii deiiciebantur. Virg. Aen. VIII. 652. Ov. Fast. I. 79. VI. 34. Met. XIV. 776. XV. 866. ex Pont. II. 1. 57. Prop. I. 16. 2. et al.

Tarpeius tonans, vel pater, i. e. Iupiter Capitolinus. Ov. ex Pont. II. 2. 44. Prop. IV. 1. 7.

Tarpeia dicitur virgo, quae Camillae comes fuit in bello, quod Turnus adversus Aenean in Italia gessit. Virg. Aen. XI. 656.

Tarpeiae sedis templa, i. e. montis Capitolini. Ov. ex Pont. IV. 4. 29. cf. Virg. Aen. VIII. 347.

Tarpeii foci, i. e. Iovis Capitolini. Ov. ex Pont. IV. 8. 42.

Tarquinĭus, - a, - um, in vel e Tarquiniis, ad Tarquinios spectans. *Tarquiniis* autem, Etruriae urbe, oriundi duo nobiles fuerunt, *Tarquinius Priscus*, cui uxor Tanaquil, quintus, et *Tarquinius Superbus*, ultimus Romanorum rex, qui ob superbiam et Sex. Tarquinii filii libidinem, Bruto et Collatino auctoribus, Roma expulsus est; regiaque potestate

Digitized by Google

sic sublata, imperium Romanum in Consules fuit translatum. Hor. Od. I. 12. 35. Sat. I. 6. 13. Virg. Aen. VI. 818. VIII. 646. Pseudo-Virg. Cat. XI. 36. Ov. Fast. II. 687. sqq. Prop. III. 9. 47.

Tarquītus, -i, Fauni et Dryopes nymphae filius, Turno adversus Aenean auxilium ferens, ab hoc interfectus traditur. Virg. Aen. X. 550.

Tartarĕus, -a, -um, in vel e Tartaro, vel inferis locis, ad Tartarum, vel infera loca pertinens. Virg. Aen. VI. 295. 551. VIII. 667. Ov. Art. Am. III. 322. Fast. III. 620. V. 244. Met. VI. 676.

Tartareus custos, i. e. Cerberus canis. Virg. Aen. VI. 395.

Tartareus deus, i. e. Pluto. Ov. Trist. I. 9. 32.

Tartareae sorores sunt Megaera et Tisiphone Furiae, Alectus sorores. Virg. Aen. VII. 328.

Tartărus, -i, et Tartăra, -orum, locus obscurus in inferis, ubi sontes puniebantur, et in quem etiam Titanes et ipse Saturnus detrusi sunt. Virg. Aen. V. 734. VI. 543. 577. Ov. Met. I. 113. et al. Ponitur autem nonnunquam pro ipsis *locis inferis*. Hor. Od. I. 28. 10. III. 7. 17. Virg. Ge. I. 36. II. 292. et al. Ov. Fast. IV. 605. Met. II. 260. X. 21. XII. 619. Trist. I. 2. 25. et al. Audacius etiam pro *imis terrae radicibus*. Virg. Aen. IV. 446.

Tartessĭus, -a, -um, ad Tartessum urbem pertinens, quae olim in Hispania Baetica in freti Herculei ora fuit. Ov. Met. XIV. 416.

Tatius (T.), -i, Sabinorum rex, qui ob virgines a Romanis raptas cum Romulo bellum gessit; foedere deinde icto, Romamque domicilio a Sabinis translato, T. Tatius una cum Romulo Romae regnavit: tandem vero ob iniuriam, quam ab ipsius propinquis, Laurentum legatis, illatam male vindicaverat, interfectus est. Virg. Aen. VIII. 638. Ov. Am. I. 8. 38. Art. Am. III. 118. Fast. I. 260. 282. et al. Prop. IV. 2. 5a. et al. v. *Tarpeius*.

Tatii veteres sunt severis moribus prisci Romae incolae. Prop. II. 23. 163.

Tatĭus, -a, -um, a Tatio, Sabinorum rege, vel ad Tatium pertinens. Prop. IV. 4. 29. et al.

Tauri, -orum, i. e. Tauri ca Chersonesus. Ov. ex Pont. III. 2. 451.

Taurĭcus, -a, -um, ad Tauros, vel Tauricam Chersonesum pertinens. Fuerunt autem *Tauri* Sarmatiae Europaeae populus, a quo peninsula iuxta Pontum Euxinum Chersonesus Taurica dicta fuit; hodie *Crimea*. Ov. Trist. IV. 4. 63.

Taurica terra, i. e. Taurica Chersonesus. Ov. ex Pont. I. 2. 80.

Digitized by Google

Taurīnus, -a, -um, ad Taurum sidus pertinens. Ov. Fast. VI. 197.

Tauromenĭon et Tauromĕnon, -i, Siciliae urbs, inter Messanam et Catanam urbes sita; hodie *Tormina*. Ov. Fast. IV. 475.

Taurus (T. Statilius), -i, Romanus civis, Augusto familiaris, qui A. U. DCCXXVIII. iterum Consul fuit, cuius anni vinum Horatius A. U. circa DCCXXXIV. Torquato daturum se pollicetur. Ep. I. 5. 4.

Taurus, -i, dicitur unum e duodecim linene Eclipticae s. Zodiaci circuli signis, inter Arietem et Geminos, quod sol verno tempore ingredi fingitur. Virg. Ge. I. 218. Ov. Fast. V. 165. 603. Met. II. 80.

Taurus, -i, immensus altissimorum montium tractus, qui a Chelidonio promontorio exoriens mox mediam dividit Ciliciam, et per totam fere Asiam Caucasi, Paropamisi et Imai, nomine procurrit. Ov. Met. II. 217. Tib. I. 7. 16.

Taygĕte, -es, Atlantis e Pleione filia, una e Pleiadibus. Virg. Ge. IV. 232. Ov. Fast. IV. 174. Met. III. 595. v. *Pleias*.

Taygĕtus, -i, et Taygĕta, -orum, altorum montium tractus in Peloponneso, ex Arcadia per Laconiam proxime Spartam procurrens. Virg. Ge. II. 488. III. 44. Prop. III. 12, 13.

Teănum Sidĭcinum, -i, Campaniae urbs, haud procul a Calibus; hodie *Teano*. Hor. Ep. I. 1. 86. v. *Sidicinum*.

Tecmessa, -ae, Teleutantis s. Teuthrantis, Phrygum regis, filia, quae ab Aiace, Telamonis filio, Troiano bello capta et amata, ex hoc Eurysacem peperit. Hor. Od. II. 4. 6. Ov. Art. Am. III. 517. 519.

Tegeaeus et Tegeĕus, -a, -um, in vel e Tegea, vel ad Tegeam pertinens, id. q. *Arcadicus*. Fuit autem *Tegĕa* urbs Peloponnesi in Arcadia, quae hodie non amplius exstat. Virg. Aen. V. 299. VIII. 459. Ov. Her. IX. 87. et al. Prop. III. 2. 30.

Tegeaea virgo, i. e. Callisto, Lycaonis, Arcadiae regis, filia. Ov. Art. Am. II. 55. Fast. II. 167.

Tegeaea domus, i. e. Euandri, Arcadiae regis. Ov. Fast. I. 545.

Tegeaea, i. e. Atalanta, Iasi, Arcadiae regis, filia. Ov. Met. VIII. 317. 380.

Tegeea parens et *sacerdos*, i. e. Carmentis, Euandri mater. Ov. Fast. I. 627. VI. 531.

Teĭa, -ae, nomen puellae. Prop. IV. 8. 31.

Teĭus, -a, -um, in vel e Teo, vel ad Teon spectans. Fuit autem *Teos* maritima Ioniae urbs, haud procul a Clazomenis urbe,

Digitized by Google

Anacreontis poëtae patria; hodie *Sigagik*. Hor. Epod. XIV. 10.

Teia fides et *musa*, i. e. Anacreontis lyrica carmina. Hor. Od. I. 17. 18. Ov. Art. Am. III. 330. Rem. Am. 762. Trist. II. 364.

Telămon, -ōnis, fuit rex Salaminis insulae, Aeaci ex Endeide filius, qui cum Peleo fratre Phocum, Telamonis e Psamathe filium, in Aegina insula interfecit; hinc in Salaminem fugit, ubi Glauce, Cychrei regis filia, uxore ducta, regnum adeptus est: mox cum Argonautis in Colchidem abiit, reduxque factus Calydoniae venationi interfuit, deinde Hercule duce Troiam expugnavit, et ab hoc Hesionen, Laomedontis filiam, uxorem accepit, qua mortua e Periboea Aiacem et Teucrum procreavit. Ov. Her. II. 69. et saepe.

Telamone natus s. satus, i. e. Aiax, Telamonis filius. Ov. Her. III. 27. Sab. ap. Ov. I. 105.

Telamoniădes, -ae, i. e. Aiax, Telamonis filius. Ov. Met. XIII. 231.

Telamonius, -a, -um, a Telamone, ad Telamonem pertinens. Pseudo-Virg. Cul. 296.

Telamonius et *Telamonius heros*, i. e. Aiax. Ov. Art. Am. II. 737. Met. XIII. 194. et al. Pseudo-Virg. Cul. 314.

Telchines, -um, fuerunt populi, qui e Creta, fortasse et aliis in locis, in Rhodum insulam profecti Ialysum urbem incoluere, et quia suo adspectu omnia fascinabant, a Iove in mare submersi feruntur. Ov. Met. VII. 365. v. *Ophiusius*, et ibi adnot.

Telebŏae, -arum, Acarnaniae populi, qui Taphum, unam ex Echinadibus insulis, Acarnaniae obiectis, adierunt; mox vero eorum pars in Capreas, insulam in sinu Neapolitano, transiit, ubi Telon rex e nympha, Sebethi fluminis filia, Oebalum procreavit, qui in continenti circa Sarnum flumen loca in Hirpinis et in extrema Campania occupavit. Virg. Aen. VII. 735.

Telebŏas, -ae, Centaurus, in Pirithoi nuptiis a Nestore vulnerato caesus, Ov. Met. XII. 441.

Telegŏnus, -i, Ulyssis e Circe filius, qui patrem videre studens in Ithacam profectus est, et hunc inscius interfecit, unde in Italiam rediens Tusculi urbis conditor fuisse traditur. Hor. Od. III. 29. 8. Ov. Fast. III. 92. IV. 71. et al.

Telegoni moenia, i. e. Tusculum. Prop. II. 23. 42.

Telemăchus, -i, Ulyssis ex Penelope filius; patrem errabundum quaesiturus, ex Ithaca Pylon ad Nestorem, inde hujus

hortatu Spartam frustra (*) ad Menelaum profectus est. Hic vero quum ei egregii equi a rege offerrentur, caute repudiavit munus, quippe quo in Ithaca insula, montibus pleno, non bene uti posset. Hor. Ep. I. 7. 40. Ov. Her. I. 98. 107. Sab. ap. Ov. I. 115. Cat. LXI. 229.

Telēmus, -i, Eurymi filius, augurandi arte clarus, qui inter Cyclopes vivens Polyphemo fatum, quod ei ab Ulysse immineret, praedixit. Ov. Met. XIII. 770. in fin. 772.

Telephas, -i, Herculis filius ex Auge nympha, Alei avi jussu in monte expositus et a cerva nutritus est; ut vero adolevit, parentes quaerens Oraculi responso ad Teuthrantem, Mysiae regem, adiit, ubi inventa matre, mox Hiam, Troiae regis, filiam uxorem duxit, et Teuthranti mortuo in Mysiae regnum successit. Postea autem cum Graecos, ad Troiae obsidionem proficiscentes, prohibere vellet, ab Achille vulnus accepit, quod ex Oraculi monitu non, nisi per eandem hastam, qua vulneratus erat, sanari poterat; idcirco supplex Achillem adiit: quo facto Ulysses hastae rubigine vulnus curavit. Hor. Epod. XVII. 8. Ep. II. 3. 96. 104. Ov. Met. XII. 112. XIII. 171. Trist. V. 2. 15. v. *Auge*. Est quoque nomen formosi et divitis iuvenis, quem Lydia, Horatii amica, amavit, Phyllisque petiit. Hor. Od. I. 13. 1. IV. 11. 21. — Item Horatii amicus, ad quem est. Od. III. 19.

Telestes, -ae, Cretensis, Ianthes pater. Ov. Met. IX. 716. v. *Iānthe*.

Telethūsa, -ae, Ligdi coniux, Iphidis mater. Ov. Met. IX. 682. 695. 765. v. *Iphis*.

Telonius et Telōnus, -i, fuit Latii flumen, quod e Marsorum agris delapsum apud Reate oppidum in Velinum fluviam immittitur, hodie *Turano* vocatur. Ov. Fast. VI. 565.

Tellus, -ūris, eadem, quae *Terra* s. *Vesta*, e Chao orta et cum Coelo coniuncta, Titanem, Saturnum, Gigantes, Centimanos, Cyclopes, Rheam s. Opem, Mnemosynen, Themidem et Tethyn procreasse fingitur. Virg. Aen. IV. 166. VII. 137. Ov. Met. I. 272. et al.

Telluris iuventus sunt Gigantes. Hor. Od. II. 12. 7.

Telon, -ōnis, fuit Teleboarum in Capreis insula rex. Virg. Aen. VII. 734. v. *Teleboae*.

(*) Ov. Her. I. 65. Homerus vero narrat, Telemachum apud Menelaum didicisse, patrem invitum in Calypsus nymphae aedibus detineri, quod neque naves, neque socios haberet, quibus in patriam reverteretur. Od. δ. v. 556. sqq.

Digitized by Google

Temesaeus, ĕa, -um, in vel e Temese, ad Temesen pertinens. Ov. Med. Fac. 41. Fast. V. 441. Met. VII. 207. et al.

Temĕse, -es, Italiae urbs in Bruttiis ad mare sita, Homeri tempore aeris fodinis nobilis. Ov. Met. XV. 52. 707.

Tempe, Thessaliae regio amoenissima, a veteribus admodum laudata, in valle, per quam Peneus fluit, Olympo, Ossa et Pelio montibus cincta, ubi nono quoque anno ob Pythonem interfectum Apollini, qui eo confugerat et expiatus erat, ludi celebrabantur. Hor. Od. I. 7. 4. I. 21. 9. II. 1. 9. III. 1. 24. Virg. Ge. II, 469. IV. 317. Pseudo-Virg. Cul. 93. Ov. Am. I. 1. 15. Met. I. 569. et al. Cat. LXIV. 35.

Tempe Heloria fuerunt locus amoenissimus in Sicilia, quem Helorus flumen rigabat. Ov. Fast. IV. 477.

Tempўra, -orum, Thraciae urbs, ad Hebrum sub Rhodope monte sita. Ov. Trist. I. 10. 21.

Tenĕdos s. Tenĕdus, -i, parva sterilisque Aegaei maris insula, Sigeo, Troadis promontorio, opposita, ab Achille Troiano bello capta; hodie idem nomen servat. Hodie *Bogas-Adassi*. Virg. Aen. II. 21. 203. 255. Ov. Her. XIII. 53. Am. I. 15. 9. Fast. IV. 280. Met. I. 516. et al.

Tenos, -i, parva insula ex Aegaei maris Cycladibus prope Delum; hodie *Tina* vocatur. Ov. Her. XXI. 81. Met. VII. 469.

Terentĭus (P.), -i, poëta comicus, qui Carthagine, Africae urbe, oriundus, Romae Terentii Lucani libertus factus est. Huius sex fabulae supersunt. Horatius autem ex eius fabula quendam Menedemum memorat, qui sordida vitae ratione Clinian filium eo compulit, ut in militiam abiret (*). Hor. Sat. I. 2. 20. Ep. II. 1. 59.

Tereĭdes, -ae, i. e. Itys, Terei filius. Ov. in Ibin 436.

Terentus, -i, dicebatur Romae locus in Campo Martio ad Tiberim, ubi Ditis ac Proserpinae ara fuit terra obruta, quae modo saecularibus ludis effodiebatur, iisque peractis rursus terra operiebatur. Ov. Fast. I. 501.

Tereus, -ĕi, fuit Thraciae rex, Martis filius, qui e Procne, Pandionis I. filia, Ityn procreavit et Philomelam, uxoris sororem, vitiavit. Virg. Ecl. VI. 78. Ov. Am. II. 14. 33. Rem. Am. 61. Fast. II. 629. 856. Met. VI. 424. et al. v. *Philomela*. Vocatur sic etiam unus ex Aeneae sociis, a Camilla in Italia caesus. Virg. Aen. XI. 675. Item Centaurus, qui in Pirithoi

(*) v. Heautontimorumenos.

Digitized by Google

ubi, imprimis Antiochiae et Laodiceae ex oleo liliorum optimum unguentum fiebat, veteribus admodum laudatum. Tib. III. 4. 28. Cat. VI. 8. Prop. II. 10. 30.

Syri aperti sunt Assyrii, qui apertam regionem, utpote planam, coeloque ab omni parte patentem, incolebant. Cat. XXXVI. 12.

Syria merx, i. e. aromata, odores et unguenta, quae ex Arabia, Persia et India, in Syriae et in primis Phoenices urbes maritimas apportata, a Romanis mercatoribus Romam advehebantur. Hor. Od. I. 31. 12. cf. Od. II. 7. 8.

Syrōn s. Syro, -ōnis, fuit Romae philosophus Epicureus, Ciceroni amicissimus, Virgilii et Varii magister. Pseudo-Virg. Cat. VII. 9. X. 1.

Syros, -i, Aegaei maris insula, una e Cycladibus, haud procul a Delo sita, ab Achille capta; hodie idem nomen habet. Ov. Met. XIII. 175.

Syrtis, -is, locus arenosus in mari, navigantibus periculosus. Fuerunt autem olim duae *Syrtes* in mediterraneo mari in Africae ora periculosissimae, quarum maior prope Cyrenaicam, hodie *Golfo di Sidra*; minor vero prope Byzacium *Golfo di Capes* s. *Caps* vocatur. Hor. Od. II. 6. 3. Epod. IX. 31. Virg. Aen. VI. 60. VII. 302. Ov. Am. II. 11. 20. II. 16. 21. Fast. IV. 499. ex Pont. IV. 14. 9. et al. Tib. III. 4. 91. Ponuntur autem poëtarum more pro Syrtica regione, Africae parte, ad cuius litus adiacent, vel pro arenosis Africae desertis. Hor. Od. I. 22. 5. II. 20. 15. Virg. Aen. IV. 41. V. 51. Ov. Met. VIII. 120., vel omnino pro arenosis vadis. Virg. Aen. I. 146. (150.) X. 678. Prop. II. 7. 71. et al. Cat. LXIV. 156.

Syrus, -i, servi nomen, uti Diana et Dionysius. Hor. Sat. I. 6. 38., et gladiatoris cuiusdam: plurimi autem Syrii, Romam advecti, servi venibant. Hor. Sat. II. 6. 44.

Syrus Palaestinus, i. e. Iudaei, ut pote qui Palaestinam, quae olim ad Syriam pertinuit, incolebant. Ov. Art. Am. I. 416.

Digitized by Google

T.

Taburnus, -i, Campaniae mons in Samnii confinio, olivarum feracissimus; hodie *Taburo* vocatur. Virg. Ge. II. 38. Aen. XII. 715.

Taenarĭdes, -ae, i. e. Hyacinthus. Ov. Met. X. 183. v. *Hyaçinthus*, ibique adnot.

Taenăris, -ĭdis, quae est e Taenaro, vel ad Taenarum pertinet, id. q. Laecdaemonia. Ov. Her. XVII. 6. et al.

Taenaris terra, i. e. Lacedaemon. Ov. Her. XVI. 30.

Taenaris soror, i. e. Helena, Castoris et Pollucis soror, Spartae quidem nata, sed, pro poëtarum usu, a loci vicinitate sic vocata. Ov. Her. VIII. 72. 73.

Taenarĭus, -a, -um, in vel e Taenaro, ad Taenarum spectans, id. q. Lacedaemonius, Laconicus. Ov. Her. XVI. 274. Met. II. 247.

Taenarius deus, i. e. Neptunus. Prop. I. 13. 22.

Taenaria marita, i. e. Helena. Ov. Her. XIII. 45.

Taenaria vallis, *Taenaria porta*, *Taenariae fauces*, i. e. tenebrosus ille specus in Taenaro promontorio, per quem aditus s. descensus ad inferos fingebatur. Virg. Ge. IV. 407. Ov. Fast. IV. 612. Met. X. 13.

Taenariae columnae sunt ex marmore Taenario, quod viridis coloris erat. Prop. III. 1. 49.

Taenărus et Taenărum, -i, fuit Peloponnesi in Laconia promontorium, hodie *Matapan* dictum, ubi Neptunus templum habuit, et specus profundo hiatu olim exstitit, per quem descensus ad inferos patere credebatur; unde et pro ipsis inferis ponitur. Effodiebatur hic marmor, quod viridis erat coloris. Hor. Od. I. 34. 10. Tib. III. 3. 14.

Tages, -ae, Genii filius, Iovis nepos, qui e gleba, cum rusticus terram araret, repente editus Etruscos haruspicii disciplinam docuit. Ov. Met. XV. 558.

Tagus, -i, nobilis Hispaniae fluvius, aurum vehens, qui Lusitaniam percurrens in Oceanum exoneratur; hodie *Taio* s. *Teio* dicitur. Virg. Aen. VI. 326. Pseudo-Virg. Cat. XI. 52. Ov. Am. I. 15. 34. Met. II 251. Cat. XXIX. 20.

Tagus, -i, dicitur Rutulus, a Niso in nocturna expeditione caesus. Virg. IX. 418. — Item

Digitized by Google

Rutulus (*), ab Aenea in Italia caesus. Virg. Aen. XII. 513.

Talaionĭdes, -ae, (†) i. e. Eriphyle, Talai filia. Ov. Art. Am. III. 13.

Talāus, -i, Biantis filius, Adrasti, Astynomes et Eriphyles, e Lysimache pater.

Talai gener, i. e. Amphiaraus, Eriphyles maritus. Ov. in Ibin 356.

Talassĭus, -i, (‡) Virginitatis deus habitus, unde idem est, quod *nuptiae* apud Cat. LXII. 134.

Talos, v. Tagus.

Talthybĭus, -i, Agamemnonis minister, qui domini iussu Briseidem ex Achillis tentorio abduxit. Ov. Her. III. 9. sq.

Tamasēus, -a, -um, ad Tamasum, nobilem Cypri insulae urbem, pertinens, quae uti tota insula Veneri sacra fuit; hodie vicus eo loco idem nomen servat. Ov. Met. X. 644.

Tanāger, -gri, Lucaniae fluvius, qui ex Appennini iugis in Silarum defluit et hodie *Negro* vocatur. Virg. Ge. III. 151.

Tanăis, -is, Sarmatiae Europaeae flumen, quod Europam ab Asia separans in Maeotin paludem immittitur, hodieque *Don* dicitur. A Romanis habitabilis terrae finis habebatur, uti Scythae, eius accolae, propter coeli, cui subiacent, inclementiam remotissimi septemtrionum populi vocabantur. Hor. Od. III. 10. 1. IV. 15. 24. Virg. Ge. IV. 517. Ov. Her. VI. 107. Met. II. 242. Trist. III. 4. 49. Prop. II. 23. 54.

Tanais discors, i. e. Scythae, Tanais accolae, bella inter se gerentes. Poëtae enim saepe fluvios pro eius accolis usurpare solent. Hor. Od. III. 29. 28.

Tanais dicitur etiam eunuchus, Maecenatis libertus. Hor. Sat. I. 1. 105. — Item Rutulus, ab Aenea occisus. Virg. Aen. XII. 513.

Tanăquil, -ilis fuit uxor Tarquinii Prisci, quinti Romanorum regis. Ov. Fast. VI. 629.

Tantalĕus, -a, -um, a Tantalo, vel ad Tantalum spectans. Pseudo-Virg. Cul. 333. Prop. II. 1. 68. et al.

Tantalĭdes, -ae, unus e Tantali posteris. Vocantur autem sic a) *Pelops*, Tantali filius. Ov. Her. XVII. 54. Trist. II. 385. in Ibin 436. b) *Atreus* et *Thyestes*, Pelopis filii. Ov. Fast. II. 627. c) *Agamemnon*, Plisthenis filius, Atrei nepos, Pelopis pronepos. Ov. Her. VIII.

(*) Alii pro eo *Thalos* s. *Talos* legunt, v. Cl. Heyne l. l.
(†) Rectius *Talaioniae* eo loco legi posset, cum patronymica in *ides* masculini sint generis.
(‡) Cf. de hoc LIV. I. 9. PLUT. Q. Rom. 31.

Digitized by Google

45. Am. II. 8. 13. Fast. V. 307. Met. XII. 626. d) *Menelaus*, Agamemnonis frater. Ov. ex Pont. IV. 16. 26. e) *Orestes*, Agamemnonis filius. Ov. Her. VIII. 122.

Tantălis, -ĭdis et -ĭdos, femina a Tantali posteris. Ov. Her. VIII. 66. Vocatur autem sic a) *Niobe*, Tantali filia. Ov. Met. VI. 211. b) *Hermione*. Menelai filia. Ov. Her. VIII. 122. Prop. II. 23. 24.

Tantălus, -i, Iovis e Plutone nympha filius, Pelopis et Niobes frater, Atrei et Thyestae avus, fuit Phrygiae rex dives. Ad deorum epulas admissus, et hinc superbus factus, arcana, sibi a patre inter epulas commissa, hominibus aperuit; vel uti alii fabulantur, ut deorum, a se convivio exceptorum, divinitatem exploraret, Pelopis filii membra coeta iis apposuit, quod scelus ut dii ulciscerentur, in inferis ad medium corpus usque in aqua stat sitiens, quam bibere ut vult, a labris illa aufugit; supra caput vero mala pendent; quae decerpere quum conatur, rami, vento moti, recedunt, saxumque, ruinam minans, ei imminet, atque ita in media rerum copia fame, siti et metu misere cruciatur, scelerisque sui poenas solvit meritas. Hor. Od. II. 18. 37. Epod. XVII. 66. Sat. I. 1. 68. Ov. Am. II. 2. 44. III. 12. 30. Art. Am. II. 606. Met. IV. 457. VI. 172. et al. Tib. I. 3. 77. — Est quoque nomen urbis ex Amphionis et Niobes filiis, Tantali regis nepos, qui cum Phaedimo fratre inter luctandum ab Apolline vel Diana sagitta transfixus est. Ov. Met. VI. 240.

Tappo, -ōnis, homo quidam, de quo nihil constat. Cat. CIV. 4.

Taprobăne, -es, insula magna in mari Indico, ad introitum sinus Gangetici sita; hodie *Ceylon*. Ov. ex Pont. I. 5. 80.

Tarbellus, -a, -um, in vel ex Tarbellis. Fuerunt autem *Tarbelli*, Galliae in Aquitania populus ad Pyrenaeos.

Tarbella Pyrene, i. e. montes Pyrenaei. Tib. I. 7. 9.

Tarcho s. Tarchon, al. Tarco, Tarcon, -ōnis, Etruscorum dux, qui, Mezentio rege expulso, Aeneae, adversus Rutulos bellum gerenti, opem tulit, et legatos cum imperii insignibus ad Euandrum misit, qui ei Etruriae regnum offerrent. Virg. Aen. VIII. 516. et al.

Tarentīnus, -a, -um, in vel e Tarento, ad Tarentum spectans. Hor. Ep. II. 1. 207.

Tarentum, -i, Calabriae urbs ad Tarentinum sinum amoenissima, saluberrima itemque maxima, melle, vino olivisque abundans, purpura insignis, uti

Digitized by Google

et muri portusque praestantia nobilis. Primum fuit a Tarante, Neptuni filio, uti fingunt, condita; deinde Partheniae, [i. e. Lacedaemonii e promiscuo feminarum cum viris concubitu nati,] Phalantho duce, huc delati urbem occupatam amplificarunt. Fuit autem Neptuno, qui eius custos dicitur, cum ceteris maritimis oppidis sacra. Hodie idem nomen servat. Hor. Od. I. 28. 29. III. 5. 56. Sat. I. 6. 105. II. 4. 34. Ep. I. 7. 45. I. 16. 11. Virg. Ge. II. 197. Aen. III. 551. Ov. Met. XV. 50. v. *Phalanthus*.

Tarpa (Sp. Maetĭus) -ae, fuit Augusti tempore unus e quinque arbitris, qui Romae summa cum diligentia de fabulis, in ludis scenicis agendis, iudicium ferebant. Hor. Sat. I. 10. 38. Ep. I. 3. 387., ubi *Maetius* vocatur.

Tarpēius, -a, -um, in vel e Tarpeio s. Capitolino monte, vel ad Tarpeium s. Capitolinum montem pertinens. Fuit autem *Tarpeius* Romae mons, Tarquinio Superbo regnante *Capitolinus* dictus, unus e septem montibus, in quibus Urbs fuit condita, nomenque hoc habuit, uti nonnullis placet, a *Tarpeia*, Romana virgine, Sp. *Tarpeii*, arci Remanae, Romulo rege, praefecti filia, quae quum sacris aquam petitum extra moenia ivisset, a T. Tatio, Sabinorum rege, ut ei arcem proderet, auro se corrumpi passa est. A quibus vero intromissis pro aureis armillis, quas praemii loco pacta erat, scutis iniectis obruta periit. In hoc monte fuit arx, templum Iovis Capitolini et Tarpeia rupes s. saxum, montis pars, in qua veteris nominis vestigia remanserunt, et de qua noxii deiiciebantur. Virg. Aen. VIII. 652. Ov. Fast. I. 79. VI. 34. Met. XIV. 776. XV. 866. ex Pont. II. 1. 57. Prop. I. 16. 2. et al.

Tarpeius tonans, vel pater, i. e. Iupiter Capitolinus. Ov. ex Pont. II. 2. 44. Prop. IV. 1. 7.

Tarpeia dicitur virgo, quae Camillae comes fuit in bello, quod Turnus adversus Aenean in Italia gessit. Virg. Aen. XI. 656.

Tarpeiae sedis templa, i. e. montis Capitolini. Ov. ex Pont. IV. 4. 29. cf. Virg. Aen. VIII. 347.

Tarpeii foci, i. e. Iovis Capitolini. Ov. ex Pont. IV. 8. 42.

Tarquinĭus, -a, -um, in vel e Tarquiniis, ad Tarquinios spectans. *Tarquiniis* autem, Etruriae urbe, oriundi duo nobiles fuerunt, *Tarquinius Priscus*, cui uxor Tanaquil, quintus, et *Tarquinius Superbus*, ultimus Romanorum rex, qui ob superbiam et Sex. Tarquinii filii libidinem, Bruto et Collatino auctoribus, Roma expulsus est; regiaque potestate

Digitized by Google

sic sublata, imperium Romanum in Consules fuit translatum. Hor. Od. I. 12. 35. Sat. I. 6. 13. Virg. Aen. VI. 818. VIII. 646. Pseudo-Virg. Cat. XI. 36. Ov. Fast. II. 687. sqq. Prop. III. 9. 47.

Tarquītus, -i, Fauni et Dryopes nymphae filius, Turno adversus Aenean auxilium ferens, ab hoc interfectus traditur. Virg. Aen. X. 550.

Tartarĕus, -a, -um, in vel e Tartaro, vel inferis locis, ad Tartarum, vel infera loca pertinens. Virg. Aen. VI. 295. 551. VIII. 667. Ov. Art. Am. III. 322. Fast. III. 620. V. 244. Met. VI. 676.

Tartareus custos, i. e. Cerberus canis. Virg. Aen. VI. 395.

Tartareus deus, i. e. Pluto. Ov. Trist. I. 9. 32.

Tartareae sorores sunt Megaera et Tisiphone Furiae, Alectus sorores. Virg. Aen. VII. 328.

Tartărus, -i, et Tartăra, -orum, locus obscurus in inferis, ubi sontes puniebantur, et in quem etiam Titanes et ipse Saturnus detrusi sunt. Virg. Aen. V. 734. VI. 543. 577. Ov. Met. I. 113. et al. Ponitur autem nonnunquam pro ipsis *locis inferis*. Hor. Od. I. 28. 10. III. 7. 17. Virg. Ge. I. 36. II. 292. et al. Ov. Fast. IV. 605. Met. II. 260. X. 21. XII. 619. Trist. I. 2. 25. et al. Audacius etiam pro *imis terrae radicibus*. Virg. Aen. IV. 446.

Tartessĭus, -a, -um, ad Tartessum urbem pertinens, quae olim in Hispania Baetica in freti Herculei ora fuit. Ov. Met. XIV. 416.

Tatius (T.), -i, Sabinorum rex, qui ob virgines a Romanis raptas cum Romulo bellum gessit; foedere deinde icto, Romamque domicilio a Sabinis translato, T. Tatius una cum Romulo Romae regnavit: tandem vero ob iniuriam, quam ab ipsius propinquis, Laurentum legatis, illatam male vindicaverat, interfectus est. Virg. Aen. VIII. 638. Ov. Am. I. 8. 38. Art. Am. III. 118. Fast. I. 260. 282. et al. Prop. IV. 2. 5a. et al. v. *Tarpeius*.

Tatii veteres sunt severis moribus prisci Romae incolae. Prop. II. 23. 163.

Tatius, -a, -um, a Tatio, Sabinorum rege, vel ad Tatium pertinens. Prop. IV. 4. 29. et al.

Tauri, -orum, i. e. Taurica Chersonesus. Ov. ex Pont. III. 2. 451.

Taurĭcus, -a, -um, ad Tauros, vel Tauricam Chersonesum pertinens. Fuerunt autem *Tauri* Sarmatiae Europaeae populus, a quo peninsula iuxta Pontum Euxinum Chersonesus Taurica dicta fuit; hodie *Crimea*. Ov. Trist. IV. 4. 63.

Taurica terra, i. e. Taurica Chersonesus. Ov. ex Pont. I. 2. 80.

Digitized by Google

Taurīnus, -a, -um, ad Taurum sidus pertinens. Ov. Fast. VI. 197.

Tauromenĭum et Tauroměnon, -i, Siciliae urbs, inter Messanam et Catanam urbes sita; hodie *Tormina*. Ov. Fast. IV. 475.

Taurus (T. Statilius), -i, Romanus civis, Augusto familiaris, qui A. U. DCCXXVIII. iterum Consul fuit, cuius anni vinum Horatius A. U. circa DCCXXXIV. Torquato daturum se pollicetur. Ep. I. 5. 4.

Taurus, -i, dicitur unum e duodecim lineae Ecliptícae s. Zodiaci circuli signis, inter Arietem et Gemínos, quod sol verno tempore ingredi fingitur. Virg. Ge. I. 218. Ov. Fast. V. 165. 603. Met. II. 80.

Taurus, -i, immensus altissimórum montium tractus, qui a Chelidonio promontorio exoriens mox mediam dividit Ciliciam, et per totam fere Asiam Caucasi, Paropamisi et Imai, nomine procurrit. Ov. Met. II. 217. Tib. I. 7. 16.

Taygĕte, -es, Atlantis e Pleione filia, una e Pleiadibus. Virg. Ge. IV. 232. Ov. Fast. IV. 174. Met. III. 595. v. *Pleias*.

Taygĕtus, -i, et Taygĕta, -orum, altorum montium tractus in Peloponneso, ex Arcadia per Laconiam proxime Spartam procurrens. Virg. Ge. II. 488. III. 44. Prop. III. 12, 13.

Teănum Sidicīnum, -i, Campaniae urbs, haud procul a Calibus; hodie *Teano*. Hor. Ep. I. 1. 86. v. *Sidicinum*.

Tecmessa, -ae, Teleutantis s. Teuthrantis, Phrygum regis, filia, quae ab Aiace, Telamonis filio, Troiano bello capta et amata, ex hoc Eurysacem peperit. Hor. Od. II. 4. 6. Ov. Art. Am. III. 517. 519.

Tegeaeus et Tegeĕus, -a, -um, in vel e Tegea, vel ad Tegeam pertinens, id. q. *Arcadicus*. Fuit autem *Tegĕa* urbs Peloponnesi in Arcadia, quae hodie non amplius exstat. Virg. Aen. V. 299. VIII. 459. Ov. Her. IX. 87. et al. Prop. III. 2. 30.

Tegeaea virgo, i. e. Callisto, Lycaonis, Arcadiae regis, filia. Ov. Art. Am. II. 55. Fast. II. 167.

Tegeaea domus, i. e. Euandri, Arcadiae regis. Ov. Fast. I. 545.

Tegeaea, i. e. Atalanta, Iasi, Arcadiae regis, filia. Ov. Met. VIII. 317. 380.

Tegeea parens et *sacerdos*, i. e. Carmentis, Euandri mater. Ov. Fast. I. 627. VI. 531.

Teĭa, -ae, nomen puellae. Prop. IV. 8. 31.

Teĭus, -a, -um, in vel e Teo, vel ad Teon spectans. Fuit autem *Teos* maritima Ioniae urbs, haud procul a Clazomenis urbe,

Digitized by Google

Anacreontis poëtae patria; hodie *Sigagik*. Hor. Epod. XIV. 10.

Teia fides et *musa*, i. e. Anacreontis lyrica carmina. Hor. Od. I. 17. 18. Ov. Art. Am. III. 330. Rem. Am. 762. Trist. II. 364.

Telămon, -ōnis, fuit rex Salaminis insulae, Aeaci ex Endeide filius, qui cum Peleo fratre Phocum, Telamonis e Psamathe filium, in Aegina insula interfecit; hinc in Salaminem fugit, ubi Glauce, Cychrei regis filia, uxore ducta, regnum adeptus est: mox cum Argonautis in Colchidem abiit, reduxque factus Calydoniae venationi interfuit, deinde Hercule duce Trolam expugnavit, et ab hoc Hesionen, Laomedontis filiam, uxorem accepit, qua mortua e Periboea Aiacem et Teucrum procreavit. Ov. Her. II. 69. et saepe.

Telamone natus s. satus, i. e. Aiax, Telamonis filius. Ov. Her. III. 27. Sab. ap. Ov. I. 105.

Telamoniădes, -ae, i. e. Aiax, Telamonis filius. Ov. Met. XIII. 231.

Telamonĭus, -a, -um, a Telamone, ad Telamonem pertinens. Pseudo-Virg. Cul. 296.

Telamonius et *Telamonius heros*, i. e. Aiax. Ov. Art. Am. II. 737. Met. XIII. 194. et al. Pseudo-Virg. Cul. 314.

Telchīnes, -um, fuerunt populi, qui e Creta, fortasse et aliis in locis, in Rhodum insulam profecti Ialysum urbem incoluere, et quia suo adspectu omnia fascinabant, a Iove in mare submersi feruntur. Ov. Met. VII. 365. v. *Ophiusius*, et ibi adnot.

Telebŏae, -arum, Acarnaniae populi, qui Taphum, unam ex Echinadibus insulis, Acarnaniae obiectis, adierunt; mox vero eorum pars in Capreas, insulam in sinu Neapolitano, transiit, ubi Telon rex e nympha, Sebethi fluminis filia, Oebalum procreavit, qui in continenti circa Sarnum flumen loca in Hirpinis et in extrema Campania occupavit. Virg. Aen. VII. 735.

Telebŏas, -ae, Centaurus, in Pirithoi nuptiis a Nestore vulnerato caesus. Ov. Met. XII. 441.

Telegŏnus, -i, Ulyssis e Circe filius, qui patrem videre studens in Ithacam profectus est, et hunc inscius interfecit, unde in Italiam rediens Tusculi urbis conditor fuisse traditur. Hor. Od. III. 29. 8. Ov. Fast. III. 92. IV. 71. et al.

Telegoni moenia, i. e. Tusculum. Prop. II. 23. 42.

Telemăchus, -i, Ulyssis ex Penelope filius; patrem errabundum quaesiturus, ex Ithaca Pylon ad Nestorem, inde hujus

hortatu Spartam frustra (*) ad Menelaum profectus est. Hic vero quum ei egregii equi a rege offerrentur, caute repudiavit munus, quippe quo in Ithaca insula, montibus plena, non bene uti posset. Hor. Ep. I. 7. 40. Ov. Her. I. 98. 107. Sab. ap. Ov. I. 115. Cat. LXI. 229.

Telēmus, -i, Eurymi filius, augurandi arte clarus, qui inter Cyclopes vivens Polyphemo fatum, quod ei ab Ulysse immineret, praedixit. Ov. Met. XIII. 770. in fin. 772.

Telephas, -i, Herculis filius ex Auge nympha, Alei avi iussu in monte expositus et a cerva nutritus est; ut vero adolevit, parentes quaerens Oraculi responso ad Teuthrantem, Mysiae regem, adiit, ubi inventa matre, mox Hiam, Troiae regis, filiam uxorem duxit, et Teuthranti mortuo in Mysiae regnum successit. Postea autem cum Graecos, ad Troiae obsidionem proficiscentes, prohibere vellet, ab Achille vulnus accepit, quod ex Oraculi monitu non, nisi per eandem hastam, qua vulneratus erat, sanari poterat; idcirco supplex Achillem adiit: quo facto Ulysses hastae rubigine vulnus curavit. Hor. Epod. XVII. 8. Ep. II. 3. 96. 104. Ov. Met. XII. 112. XIII. 171. Trist. V. 2. 15. v. *Auge*. Est quoque nomen formosi et divitis iuvenis, quem Lydia, Horatii amica, amavit, Phyllisque petiit. Hor. Od. I. 13. 1. IV. 11. 21. — Item Horatii amicus, ad quem est. Od. III. 19.

Telestes, -ae, Cretensis, Iānthes pater. Ov. Met. IX. 716. v. *Iānthe*.

Telethūsa, -ae, Ligdi coniux, Iphidis mater. Ov. Met. IX. 682. 695. 765. v. *Iphis*.

Telonĭus et Telōnus, -i, fuit Latii flumen, quod e Marsorum agris delapsum apud Reate oppidum in Velinum fluvium immittitur, hodie *Turano* vocatur. Ov. Fast. VI. 565.

Tellus, -ūris, eadem, quae *Terra* s. *Vesta*, e Chao orta et cum Coelo coniuncta, Titanem, Saturnum, Gigantes, Centimanos, Cyclopes, Rheam s. Opem, Mnemosynen, Themidem et Tethyn procreasse fingitur. Virg. Aen. IV. 166. VII. 137. Ov. Met. II. 272. et al.

Telluris iuventes sunt Gigantes. Hor. Od. II. 12. 7.

Telon, -ōnis, fuit Teleboarum in Capreis insula rex. Virg. Aen. VII. 734. v. *Teleboae*.

(*) Ov. Her. I. 65. Homerus vero narrat, Telemachum apud Menelaum didicisse, patrem invitum in Calypsus nymphae aedibus detineri, quod neque naves, neque socios haberet, quibus in patriam reverteretur. Od. I. v. 536. sqq.

Digitized by Google

Temesaeus, ĕa, -um, in vel e Temese, ad Temesen pertinens. Ov. Med. Fac. 41. Fast. V. 441. Met. VII. 207. et al.

Temĕse, -es, Italiae urbs in Bruttiis ad mare sita, Homeri tempore aeris fodinis nobilis. Ov. Met. XV. 52. 707.

Tempe, Thessaliae regio amoenissima, a veteribus admodum laudata, in valle, per quam Peneus fluit, Olympo, Ossa et Pelio montibus cincta, ubi nono quoque anno ob Pythonem interfectum Apollini, qui eo confugerat et expiatus erat, ludi celebrabantur. Hor. Od. I. 7. 4. I. 21. 9. II. 1. 9. III. 1. 24. Virg. Ge. II, 469. IV. 317. Pseudo-Virg. Cul. 93. Ov. Am. I. 1. 15. Met. I. 569. et al. Cat. LXIV. 35.

Tempe Heloria fuerunt locus amoenissimus in Sicilia, quem Helorus flumen rigabat. Ov. Fast. IV. 477.

Tempўra, -orum, Thraciae urbs, ad Hebrum sub Rhodope monte sita. Ov. Trist. I. 10. 21.

Tenĕdos s. Tenĕdus, -i, parva sterilisque Aegaei maris insula, Sigeo, Troadis promontorio, opposita, ab Achille Troiano bello capta; hodie idem nomen servat. Hodie *Bogas-Adassi*. Virg. Aen. II. 21. 203. 255. Ov. Her. XIII. 53. Am. I. 15. 9. Fast. IV. 280. Met. I. 516. et al.

Tenos, -i, parva insula ex Aegaei maris Cycladibus prope Delum; hodie *Tina* vocatur. Ov. Her. XXI. 81. Met. VII. 469.

Terentĭus (P.), -i, poëta comicus, qui Carthagine, Africae urbe, oriundus, Romae Terentii Lucani libertus factus est. Huius sex fabulae supersunt. Horatius autem ex eius fabula quendam Menedemum memorat, qui sordida vitae ratione Clinian filium eo compulit, ut in militiam abiret (*). Hor. Sat. I. 2. 20. Ep. II. 1. 59.

Tereĭdes, -ae, i. e. Itys, Terei filius. Ov. in Ibin 436.

Terentus, -i, dicebatur Romae locus in Campo Martio ad Tiberim, ubi Ditis ac Proserpinae ara fuit terra obruta, quae modo saecularibus ludis effodiebatur, iisque peractis rursus terra operiebatur. Ov. Fast. I. 501.

Tereus, -ĕi, fuit Thraciae rex, Martis filius, qui e Procne, Pandionis I. filia, Ityn procreavit et Philomelam, uxoris sororem, vitiavit. Virg. Ecl. VI. 78. Ov. Am. II. 14. 33. Rem. Am. 61. Fast. II. 629. 856. Met. VI. 424. et al. v. *Philomela*. Vocatur sic etiam unus ex Aeneae sociis, a Camilla in Italia caesus. Virg. Aen. XI. 675. Item Centaurus, qui in Pirithoi

(*) v. Heautontimorumenos.

Digitized by Google

cum Hippodamia nuptiis a Theseo interfectus est. Ov. Met. XII. 353.

Teridātes, -is, fuit Parthorum rex, qui, Phraate ob crudelitatem a suo populo regno expulso, rex fuit constitutus; sed Phraaten a Scytharum rege adiutum iri et cum maximis advenire copiis ut audiit, metu perculsus Parthiam reliquit et ad Augustum confugit; a quo quidem regnum ei non restitutum, verumtamen perpetuo Romae manendi potestas fuit facta. Hor. Od. I. 26. 5. v. *Phraates.*

Terminus, -i, limitum et finium deus apud Romanos, erat lapis vel stipes, qui ad fines denotandos ponebatur, fuitque primum in Tarpeio monte a Numa Pompilio institutus et cultus; quum vero Tarquinius Superbus in hoc monte Iovi templum exstruere vellet, Termini simulacrum, uti ceterorum deorum, loco cedere noluit, sed immobile mansit: quo factum est, ut, Iovis templo condito, Terminus eadem aede contineretur. Hor Epod. XVIII. 27. Ov. Fast. II. 50 sqq.

Terminalia, -um, fuerunt festa, deo Termino instituta, quae XXIII. Februarii die agnam, vel porcam, immolando a Romanis celebrabantur. Hor. Epod. II. 59. v. *Terminus.*

Terra, -ae, eadem dea, quae Tellus. Hor. Od. III. 4. 73. Virg. Ge. I. 278. et al. Ov. Fast. III. 799. V. 35. v. *Tellus.*

Tethys, -yos, dea marina, e Coelo et Tellure nata, Saturni et Titanis soror, Oceano nupsit, et hinc fluviorum eorumque nympharum mater est habita. Virg. Ge. I. 31. Pseudo-Virg. Cir. 392. Ov. Fast. V. 81. Met. II. 69. 156. 509. et al. Cat. LXVI. 70.

Ultima Tethys, i. e. mare ad extremos fines. Cat. LXXXVIII. 5.

Tetrica, -ae, fuit mons in Sabinis, haud procul a Fabari fluvio, qui hodie *Monte di S. Giovanni* dicitur. Virg. Aen. VII. 713.

Teucrus et Teucer, -i, Cretensis, Scamandri ex Idaea nympha filius, qui, Creta frugum inopia laborante, in Phrygiam transiit, ibique Troianis, quibus imperavit, Teucrorum nomen dedit. Virg. Aen. I. 235. (239.) III. 108. IV. 230. Ov. Met. XIII. 705. — Vocatur praeterea sic Telamonis, Salaminis regis, ex Hesione filius, Aiacis frater, quocum ad Troianum bellum profectus est; hinc autem ut sine eo rediit, a patre, quod fratris iniuriam ob Achillis arma, Ulyssi adiudicata, non vindicaverat, in exsilium pulsus, ad Cyprum delatus est, ubi Belo, Phoenices rege, adiuvante, urbem, quam patriae suae nomine Salaminem dixit,

Digitized by Google

candidisse traditur. Hor. Od. I. 7. 21. Virg. Aen. I. 619. (623.) Ov. Met. XIII. 157. XIV. 698. et al.

Teucris, -ĭdis, id. q. Troiana femina, Sab. ap. Ov. I. 81.

Teucrĭus, contr. Teucrus, -a, -um, a Teucro, vel ad Teucrum pertinens, id. q. Troianus. Hor. Od. IV. 6. 12. Virg. Aen. I. 89. (93.) et al. Ov. Her. III. 130. et al. Cat. LXIV. 345. Prop. II. 7. 18.

Teucrorum rex, et *Teucrum pater*, i. e. Aeneas. Virg. Aen. I. 38. (42) 555. (559.)

Teucria, i. e. Troia. Virg. Aen. II. 26.

Teuthrantēus et Teuthrantĭus, -a, -um, a Teuthrante, vel ad Teuthrantem pertinens. *Teuthras* autem Teuthraniae urbis (hodie *Tripoli*) in Mysia rex, Thespii pater, quinquaginta filias habuit, quae, *Teuthrantia turba* dictae, Herculi in leonis interfecti praemium cessisse, et ex eo gravidae factae quinquaginta filios peperisse feruntur. Ov. Her. IX. 51.

Teuthranteus Caicus, i. e. e Teuthrante, Mysiae monte, profluens. Ov. Am. II. 243.

Teuthrantia regna tenens, i. e. Telephus, Mysiae rex, Teuthrantis successor. Ov. Trist. II. 15.

Teuthras, -antis, parvus fluvius in Campania. Prop. I. 11. 12. — Troianus, Tyrae frater, cum Aenea in Italiam profectus. Virg. Aen. X. 402.

Teutonĭcus, -a, -um, a Teutonis, vel ad Teutonos pertinens. Fuerunt autem *Teutŏni* Germaniae populus ad sinum Codanum prope Cimbros, quibuscum adversus populum Romanum bellum gesserunt, et a Mario deleti sunt. Virg. Aen. VII. 741. Prop. III. 3. 44.

Thaïs, -ĭdis, fuit famosum scortum Athenis, quod Menander suis comoediis celebravit. Ov. Art. Am. III. 604. Rem. Am. 383. Prop. II. 5. 3. IV. 5. 43.

Thalassius. v. Talassius.

Thalīa, -ae, una e novem Musis, quae bucolico et elegiaco carmini praeesse credebatur. Virg. Ecl. VI. 2. Ov. Fast. V. 54. Ponitur saepe pro ipso *carmine*, Pseudo-Virg. Cul. 1. Ov. Her. XV. 84. Art. Am. I. 264. et al. — Vocatur sic etiam una e nymphis marinis, Nerei et Doridis filia. Virg. Ge. IV. 338. Aen. V. 826.

Thalia Argiva, i. e. lyricum carmen. Hor. Od. IV. 6. 25. cf. II. 16. 38.

Thaliarchus, -i, Graecus iuvenis dives, qui Romae vivens Horatio familiariter utebatur, et prope Soracte montem villam habuisse videtur; ad hunc est Horatii Od. I. 9.

Thalos, Virg. Aen. XII. 513.

Digitized by Google

v. *Tagus.*

Thallus, -i, homo mollissimus, qui pallium clam Catullo subduxerat. Cat. XXV. 1.

Thamȳras, -ae, fuit poëta, Oechalia, Thessaliae urbe, oriundus, qui, uti fingunt, Musas ad cantum provocavit, victusque in temeritatis poenam excaecatus est. Ov. Am. III. 7. 62. Art. Am. III. 399. in Ibin 274. Prop. II. 18. 19.

Thapsos et Thapsus, -i, humilis Siciliae peninsula, quae haud procul a Syracusis fuit sita, et hodie *l'Isola deli Manghisi* appellatur. Virg. Aen. III. 689. Ov. Fast. IV. 477.

Thasĭus, -a, -um, in vel e Thaso, vel ad Thasum pertinens. Fuit autem *Thasus* Aegaei maris insula, quae Thraciae opposita vinoque fertilis fuit; hodie *Tasso.* Virg. Ge. II. 91.

Thasius, augur; alii Thrasius legunt, q. v.

Thasus, -i, incertus homo, in Delo insula a canibus discerptus. Ov. in Ibin 480.

Thaumantēus, -a, -um, a Thaumante, vel ad Thaumantem pertinens. Fuit autem hic *Thaumas* Ponti et Telluris filius, qui ex Electra, Oceani filia, Iridem et Harpyias procreasse fingitur.

Thaumantea virgo, i. e. Iris. Ov. Met. XIV. 845.

Thaumantĭas, -ădis, Thaumantis, -ĭdis, i. e. Iris, Thaumantis filia. Virg. Aen. IX. 5. Ov. Met. IV. 479. IX. 647.

Theāno, -us, Troiana femina, Amyci coniux, Mimantis mater. Virg. Aen. X. 703.

Thebae, -arum, et Thebe, -es, fuerunt plures urbes, quarum una, Bacchi et Herculis patria, in Boeotia a Cadmo ad Ismenum flumen et Cithaeronem montem condita, septem habuit portas; huius autem moenia ad Zethi et Amphionis citharam ultro exstructa finguntur; hodie *Stives* dicitur. Hor. Od. I. 7. 3. IV. 4. 64. et al. Virg. Aen. IV. 470. Ov. Her. II. 71. Am. III. 12. 15. Met. III. 131. 549. 553. et al. Prop. I. 7. 1. III. 1. 43. et al. — Altera fuit in Mysia Minore sub Placio monte, a Cilicibus colonis olim inhabitata, Troiano bello ab Achille capta. Huic Eetion, Andromaches pater, imperavit. Hodie *Minio.* Ov. Met. XII. 110. XIII. 173. Prop. II. 7. 30. II. 21. 54.

Thebāis, -ĭdis, id. q. Thebana femina. Ov. Met. VI. 163.

Thebais, i. e. Andromache, Hectoris uxor. Ov. Art. Am. III. 778.

Thebānus, -a, -um, in vel ex Thebis, Boeotiae, aut Mysiae, urbe, vel ad hanc illamve pertinens. Prop. II. 7. 87.

Thebanus deus, i. e. Hercules. Prop. III. 16. 6.

Digitized by Google

Thebana mater, i. e. Agave, Cadmi filia, Penthei ex Echione mater. Ov. Fast. III. 721. — Item femina, e Thebis in Mysia oriunda. Virg. Aen. IX. 697.

Thebana semina sunt serpentis dentes, a Cadmo sati. Ov. Am. III. 12. 35.

Thebana soror, i. e. Antigone, Eteoclis et Polynicis soror. Ov. Trist. III. 3. 67.

Thebana dea, i. e. Leucothea. Ov. Fast. VI. 476.

Thebana, i. e. Andromache, Etionis, Thebarum in Mysia regis, filia, Hectori nupta. Ov. Trist. IV. 3. 29.

Thebani duces, sunt Eteocles et Polynices. Prop. II. 8 2.

Thebani modi, i. e. Pindari poëtae, Thebis in Boeotia nati. Hor. Ep. I. 3. 13.

Thebe, -es, nympha, quae ex Asopo, Boeotiae fluvio, quinque filias peperisse et Thebis in Boeotia nomen indidisse fertur. Ov. Am. III. 6. 33.

Thebe, -es. Ov. Am. III. 12. 15: v. *Thebae*.

Themis, -idis, Coeli et Telluris filia, iustitiae praeses, vaticiniorum dea antiquissima habita, quae templum in Parnaso, altissimo Phocidis monte, ante Apollinem habuit, ad cuius Oraculum Deucalion cum Pyrrha uxore post aquarum diluvium accessit, et hoc, quomodo delectum hominum genus restitueretur, consuleret. Ov. Fast. III. 658. Met. I. 321. 379. sqq. Cat. LXVIII. 153.

Theonīnus, -a, -um, a Theone, vel ad Theonem spectans, id. q. maledicus. *Luthiomus Theon* maledicus poëta fuisse videtur, qui libertinus dicacitatis amaritudine praeter ceteros ita patronum exasperavit, ut quadrante sibi legato restem pulumque emere sit iussus. Hor. Ep. I. 18. 83.

Therapnaeus, -a, -um, in vel e Therapnis, vel ad Therapnas pertinens, id. q. Laconicus. *Therapnae* autem Laconiae urbs ad Eurotan fluvium haud procul a Sparta fuerunt. Ov. Her. XVI. 196.

Therapnaeus sanguis, i. e. Hyacinthi (*). Ov. Fast. V. 223.

Therapnaea marita, i. e. Helena. Ov. Art. Am. III. 49.

Theraeus, -a, -um, ex Thera, vel ad Theram pertinens.

Theraeus colonus sunt Cyrenaici, in Africae ora. Hi enim ex Thera insula, Batto duce, in Africam profecti Cyrenen condidisse dicuntur. Tib. IV. 1. 139.

Thermōdon, -ntis, Chalybum in Ponto regione flumen, quod prope Themiscyram in Pontum Euxinum effunditur, ad quod

(*) Cf. Hyacinthus, et ibi adnot.

Digitized by Google

Amazones habitasse feruntur; hodie *Termesi* vocatur. Virg. Aen. XI. 659. Ov. Met. II. 249. ex Pont. IV. 10. 51. Prop. IV. 4. 69.

Thermodontiăcus, -a, -um, e Thermodonte, ad Thermodontem spectans. Ov. Met. IX. 189. Prop. III. 12. 16.

Thermodontiaca bipennis, i. e. Penthesileae, Amazonum reginae. Ov. Met. XII. 611.

Thermopўlae, -arum, fuerunt angustissimae fauces in monte Oeta in Thessalia, ad sinum Maliacum, iuxta quas aquae calidae scaturiunt, Herculi dicatae, quae nomen illis angustiis dederunt; ad has Leonidas, Spartae rex, virtute sibi immortale nomen acquisivit. Cat. LXVIII. 54.

Therodamantēus, -a, -um, (*) a Therodamante, vel ad Therodamantem pertinens. Ov. in Ibin. 305.

Therodămas al. Theromĕdon, -ntis, fuit Scythiae rex, qui metu, ne insidiis interficeretur, ad sui defensionem leones habuit, quos, quo in homines saeviores essent, humanis corporibus et sanguine alnisse fertur. Ov. ex Pont. I. 2. 121.

Theron, -ōnis, Latinus, qui Aenean petens ab hoc interficitur. Virg. Aen. X. 312. — Item unus ex Actaeonis canibus. Ov. Met. III. 211.

Thersēs, -ae, Thebanus, qui Anio, Deli insulae regi, craterem dono misisse traditur. Ov. Met. XIII. 682. sq.

Thersilŏchus, -i, unus e Troianis, qui ad Troiam periere, cuius umbrae Aeneas in inferis locis occurrit. Virg. Aen. VI. 438. — Item unus ex Aeneae sociis, in Italia a Turno caesus. Virg. Aen. XII. 363.

Thersītes, -ae, Agrii filius, omnium Graecorum, qui ad Troiae obsidionem venerant, maxime deformis; ab Ulysse, quum Agamemnoni convitiaretur, adeo sceptro percussus est, ut cruenta vibex exoriretur. Postea ab Achille pugni ictu occisus est. Ov. Am. II. 6. 41. Rem. Am. 482. Met. XIII. 233. ex Pont. III. 9. 10.

Theseĭus, contr. Thesēus, -a, -um, a Theseo, vel ad Theseum pertinens. Ov. Met. VIII. 263. Trist. I. 3. 66. Tib. III. 6. 39.

Theseïus heros, i. e. Hippolytus. Ov. Met. XV. 492.

Theseum crimen, i. e. quod Theseus in Ariadnen desertam commisit. Ov. Art. Am. III. 459. Fast. III. 460.

Thesea carina, i. e. qua Theseus, relicta Ariadne, clam aufugit. Ov. in Ibin 497. Prop. I. 31.

(*) Alii *Theromedonteus* legere malunt.

Digitized by Google

Thesea via, i. e. qua a Piraeo Athenas ibatur, muro utrinque cincta. Prop. III. 20. 24.

Theseus, -či et -čos, Aegei, Athenarum regis, ex Aethra filius, fortissimus heros, Calydonii apri venator, qui in domo Pitthei, avi materni, natus et educatus, non Aegei, sed Neptuni, filius creditus est; cum vero adolevisset, Athenas profectus, in itinere multa fortia facinora gessit (*): a patre autem agnitus et receptus Medeae novercae insidiis fere veneno periit. Post patris mortem regno potitus una cum Hercule Amazones devicit, et ex Hippolyte, vel Antiope, earum regina, Hippolytum procreavit; qua deinde mortua, Phaedram, Ariadnes sororem, uxorem duxit, et ex ea Demophoontem genuit. Pirithoo, Lapitharum regi, intima amicitia iunctus fuit, quocum Proserpinam rapere molitus ad inferos descendit, et a Plutone recognita, detentus et in vincula coniectus perpetuo in saxo, unde se levare non possit, sedere cogitur. Alii vero hunc, ab Hercule liberatum, ad superos rediisse, et postea a Lycomede in Scyro insula, quo Athenis expulsus confugerat, interfectum tradiderunt. Post eius tamen mortem nobile templum ei exstruxerunt Attici, quod etiam nunc ex parte exstat. Hor. Od. IV. 7. 27. Virg. Aen. VI. 122. 319. 618. et al. Ov. Her. II. 13. et saepe. Cat. LXIV. 53. Prop. II. 1. 37. et al. v. *Ariadne*, *Helena*, *Hippolytus*, *Pirithous*.

Thesīdes, -ae, unus e Thesei posteris. Dicitur sic a) Hippolytus, Thesei filius. Ov. Her. IV. 65. b) Athenienses, quorum rex Theseus fuit. Virg. Ge. II. 383.

Thespiădes, -um, dicuntur Musae, a Thespiis; Boeotiae urbe, iuxta Helicoonem, Musarum sedem. Ov. Met. V. 310.

Thespius, -a, -um, ad Thespias, Boeotiae urbem, pertinens.

Thespia rupes, i. e. Helicon. Cat. LXI. 27.

Thespis, -is, Graecus poë Atheniensis, qui tragoediae inventor habitus est, vel certe eam nitidiorem fecit; in plaustro autem pensiles scenas circumagere solebat, Solonisque tempore floruit. Hor. Ep. II. 1. 163. II. 3. 276.

Thesprōtus, -i, fuit antiquus rex in Campania.

Thespoti regnum est Puteoli, urbs Campaniae, hodie *Pozziolo*. Prop. I. 11. 3.

Thessalĭa, -ae, nobilissima

(*) Cf. Ov. Met. VII. 433. sqq., ubi late eius facta tam iuventutis quam senectutis recensentur.

Graeciae regio, inter Macedoniam, Epirum, Doridem, Locridem et Aegaeum mare, cujus incolae antiquitus malis venenis, incantationibus aliisque magicis artibus, infames fuere. Ov. Her. VI. 1. ex Pont. I. 4. 28. Cat. LXIV. 26. Prop. I. 5. 6.

Thessalĭcus, -a, -um, in vel e Thessalia, ad Thessaliam pertinens. Ov. Her. IX. 100. Am. III. 7. 27. Prop. III. 17. 13.

Thessalicus axis, i. e. Achillis currus. Ov. Trist. IV. 3. 30.

Thessălis, -ĭdis, quae in vel e Thessalia est, Thessala femina. Ov. Her XIII. 119. Met. XII. 190.

Thessalĭus, contr. Thessălus, -a, -um, id. q. Thessalicus. Hor. Epod. V. 45. et al. Ov. Met. VIII. 222. Cat. LXIV. 282. Tib. II. 4. 56. Prop. I. 16. 10. III. 23. 10. v. *Thessalia.*

Thessalicus et *Thessalus victor* dicitur Achilles. Ov. Her. VI. 23. Am. II. 8. 11. Hor. Od. II. 4. 10.

Thessalus, i. e. Erysichthon. Met. VIII. 768.

Thessala pinus, i. e. Argo navis. Ov. Her. XVIII. 158.

Thessali ignes, i. e. in Achillis Thessali castris a vigilibus accensi. Hor. Od. I. 10. 15.

Thessala tela, i. e. Achillis. Prop. II. 18. 30.

Thestiădes, -ae, i. e. Meleagrus, Althaeae filius, Thestii nepos. Ov. East. V. 305.

Thestiadae sunt Toxeus et Plexippus, Thestii filii, Althaeae fratres. Ov. Met. VIII. 304. 434.

Thestĭas, -ădis, i. e. Althaea, Thestii filia, Meleagri mater. Ov. Met. VIII. 452. 473. Trist. I. 7. 18.

Thestĭus, -i, Aetoliae rex, Agenoris filius, Ledae, Althaeae, Toxi et Plexippi pater. Ov. Met. VIII. 487.

Thestorĭdes, -ae, i. e. Calchas, Thestoris filius. Ov. Met. XII. 19. 27.

Thetis, -ĭdis et -ĭdos, nympha marina, Nerei ex Doride filia, quae inopinato a Peleo, Thessaliae rege, in specu Thessalici litoris oppressa, postea huic nupta Achillem peperit, qui postea, ne ad Troianum bellum proficisceretur, quo sibi pereundum esset, apud Lycomedem, Scyri insulae regem, muliebri veste indutus latuit. Hor. Od. I. 8. 14. IV. 6. 6. Epod. XIII. 12. Virg. Ge. I. 399. Aen. V. 825. Ov. Her. XX. 60. et al. Cat. LXIV. 28. Prop. III. 5. 34. Ponitur etiam pro *mari*. Virg. Ecl. IV. 32. v. *Achilles.*

Thĕudŏtus, -i, non nemo, qui ad Apollinis aras interfectus videtur. Ov. in Ibin 468.

Theuthrantēus. Rectius Teuthranteus, q. v.

Thia, -ae, Coeli et Terrae filia, quae ex Hyperione Auro-

Digitized by Google

ram, Solem et Lunam, peperisse fingitur.

Thiae progenies, i. e. Sol. Cat. LXVI. 44.

Thiodamantēus, -a, -um, ad Thiodamantem, Hylae patrem, pertinens. Prop. I. 20. 6.

Thiodămas, -ntis, Dryopum rex, cui aranti quum Hercules, fame coactus, bovem abstulisset eumque devorasset, Thiodamas Dryopes in Herculem concitavit, quibus profligatis regem interfecit. Ov. in Ibin 490.

Thisbe, -es, pulchra puella Babylonia, cuius infelicem cum Pyramo amorem tristemque mortem, adeo ut eius sanguine mora adspersa nigrum contraxerint colorem, pulchre describit Ov. Met. IV. 55. sqq.

Thisbaeus s. Thisbēus, -a, -um, ad Thisben, Boeotiae urbem, pertinens, quae columbis abundasse fertur. Ov. Met. XI. 300.

Thoactes, -ae, Cephei, Aethiopiae regis, armiger, in Persei nuptiis caesus. Ov. Met. V. 147.

Thoantēus, -a, -um, a Thoante, Chersonesi Tauricae rege, vel ad Thoantem, Chersonesi Tauricae regem, pertinens.

Thoantea dea, i. e. Diana Taurica. Ov. in Ibin 386.

Thoantĭas, ădis, i. e. Hypsipyle, Thoantis, Lemni regis, filia. Ov. Her. VI. 163.

Thoas, -ntis, Andraemonis et Gorges filius, qui ex Aetolia cum XX. navibus ad Troiam expugnandam profectus fertur. Virg. Aen. II. 262. — Item Aeneae comes, in Italia ab Haleso caesus. Virg. Aen. X. 415. — Est quoque hoc nomine unus e Rhadamanthi ducibus, qui postea Lemni rex fuit, Bacchi ex Ariadne, Minois II. filia, filius; quum autem ceterae Lemni feminae suos interfecissent maritos, ab Hypsipyle filia clam navi impositus fuit, qua in Chium aufugit. Ov. Her. VI. 114. 135. Met. XIII. 399. — Tandem sic dicitur Borysthenis filius, Scytharum rex in Chersoneso Taurica, qui hospites immolare solebat, et a quo Iphigenia, Agamemnonis filia, Dianae beneficio huc delata, Tauricae Dianae sacris praefecta fuit; postea Orestis manu periit. Ov. Trist. I. 9. 28. IV. 4. 66. ex Pont. III. 2. 59.

Thraca, Thracĭa, -ae, et Thrace s. Threce, -es, fuit frigida et infoecunda regio inter Haemum montem, Aegaeum mare, Propontidem et Pontum Euxinum, Martis patria, unde huic deo, uti et Baccho sacra fuit; huius autem incolae feri, crudeles et bellicosi, vinoque adeo dediti fuisse feruntur, ut maxima pocula uno exhaurire spiritu summa inter illos laus haberetur; hodie *Romania* vocatur. Hor. Od. II. 16.

Digitized by Google

5. III. 25. 11. Ep. I. 3. 3. et al. Virg. Aen. XII. 335. Ov. Her. II. 84. Fast. V. 257. Met. VI. 435. ex Pont. IV. 5. 5. Cat. IV. 8.

Trachas, -ntis, eadem Latii urbs, quae etiam *Anxur*, *Trachina* et *Tarracina* fuit dicta. Ov. Met. XV. 717. v. *Anxur*.

Thracĭus, Threcĭus, Threïcĭus, -a, -um, in vel e Thracia, ad Thraciam pertinens. Hor. Od. I. 24. 13. Virg. Ecl. IV. 55. et al. Ov. Her. IX. 89. et al.

Thracius, i. e. Tereus, Thraciae rex. Ov. Met. VI 661.

Thracius ventus et *Thraciae animae*, i. e. aquilo; hic enim Graecis e Thracia flabat, id quod Romanis, uti multa alia, quamvis minus recte, imitati sunt. Hor. Od. I. 25. 11. IV. 12. 2. Epod. XIII. 3. Ov. Her. I. 42.

Threicius sacerdos s. *vates*, et *iuvenis*, i. e. Orpheus, qui Bacchi orgia et sacra in Thracia instituit. Virg. Aen. VI. 645. Ov. Met. XI. 2. ex Pont. II. 9. 52.

Threicius rex, i. e. a) Polymnestor. Virg. Aen. III. 51. b) Diomedes. Ov. in Ibin 383.

Threicia lyra, i. e. Orphei. Ov. Her. III. 118. cf. Virg. Aen. VI. 120.

Threicia Samos, i. e. Samothracia. Ov. Art. Am. II. 602. Trist. I. 10. 20. v. *Samos*.

Threicii penates, i. e. Diomedis, Thraciae regis. Ov. Her. IX. 89.

Threiciae Amazones sunt Scythicae. Virg. Aen. XI. 659. v. *Amazones*.

Thrasĭus s. Thasĭus, -i, augur, qui, quum Aegyptus novem annorum siccitate exaruisset, Busiridi tyranno monstravit, hospite immolato, imbres venturos; quapropter tyrannus periculum facturus ipsum, utpote hospitem, immolavit. Ov. Art. Am. I. 649.

Thrasyllus, -i, Thessalus, Simonis, Thessaliae regis, frater, ab Eurydamante interfectus. Ov. in Ibin 333.

Thrasimēnus, v. Trasim.

Thrax, -cis, in vel e Thracia, Thraciae incola. Hor. Od. I. 27. 2. et al. Virg. Aen. III. 14. Ov. Her. II. 81. Met. VI. 682. IX. 194. et al. v. *Thraca*.

Thrax, i. e. Lycurgus, Thracum rex. Hor. Od. II. 19. 16.

Thracum rex, i. e. Polymnestor. Ov. Met. XII. 430.

Threce, - id. q. Thracia. Ov. Art. Am. II. 588. v. *Thraca*.

Threcĭus et Threïcĭus, -a, -um, id. q. Thracius. Ov. Her. II. 108. Am. I. 14. 21. Prop. III. 1. 42. v. *Thracius*.

Threissa, contr. Thressa, -ae, quae est e Thracia, vel ad Thraciam pertinet, Thraciae femina. Hor. Od. III. 9. 9.

Digitized by Google

Virg. Aen. I. 316. (326.) II. 858. Ov. Her. XIX. 100.

Threx, -cis, id. q. Thrax (*).

Threx Gallina, i. e. gladiator, Thraciis armis utens; forsitan Thracia oriundus. Ex hac enim regione plerique erant gladiatores. Hor. Sat. II. 6. 44. cf. Ep. I. 18. 33.

Thucydĭdes, -is, vocatur *C. Annius Cimber*, malus rhetor, quatenus Thucydidis, Attici historici, ineptus imitator fuit. Pseudo-Virg. Cat. II. 3.

Thule, -es, fuit insula ad septentrionalem Britanniae partem a Veteribus ultima habita, eademque esse videtur, quae a nobis *Scotlandia*, ab incolis *Thylensel* dicitur. Virg. Ge. I. 30.

Thurīnus, -a, -um, in vel e Thuriis, ad Thurios pertinens.

Fuerunt autem *Thurii*, *Thurĭae* vel *Thurium*, Italiae in Lucania opulentum oppidum, inter Crathin et Sybarin flumina situm, antea *Sybaris* dictum. Hor. Od. III. 9. 14. Ov. Met. XV. 52.

Thuscus, -a, -um, id. q. Tuscus, q. v.

Thyas, -ădis, id. q. Baccha, Bacchi sacerdos (†). Hor. Od. II. 19. 9. Virg. Aen. IV. 302. Ov. Fast. VI. 514. Cat. LXIV. 392.

Thyĕne, -es. v. Dodonis.

Thybris. v. Tiberis.

Thrybris, -ĭdis, quae ad Thybrim s. Tiberim pertinet. Ov. Her. VII. 145. (‡).

Thyestes, -ae, Pelopis ex Hippodamia filius, Tantali nepos, qui ab Atreo fratre ob adulterium cum Aërope uxore in exsilium expulsus est; mox autem fratri revocato tres filios, quos obsides acceperat, epulandos apposuit, quod ut sol vidit, ne illa scelera adspiciendo polluĕretur, retrofugisse fingitur. Pater vero ira et dolore commotus dirissima quaeque fratri imprecatus fugit, et Apollinis oraculo monitus sceleris ulciscendi caussa e Pelopea, sua ipsius filia, Aegisthum genuit, qui adultus Atreum occidit. Hor. Od. I. 16. 17. Ep. II. 3. 91. Ov. in Ibin 361. 547.

Thyestēus, -a, -um, a Thyeste, vel ad Thyesten pertinens. Ov. Art. Am. I. 327. ex Pont. IV. 6. 47.

Thyesteae preces, i. e. exsecratio, quali Thyestes in Atreum fratrem usus fuit. Hor. Epod. V. 86. v. *Thyestes*.

Thyesteae mensae, i. e. quae

(*) Alii *Thrax* legere malunt.

(†) Nomen habens ἀπὸ τοῦ Θύειν, i. e. impetu quasi furibundum ferri, vel sacrificare. *Thyias* vero rectius putant Bentl. ad Hor. l. l., uti Heyne et Burm. ad Virg. l. l.

(‡) Alii pro *Thybridas undas* legunt *Thybridis*.

Digitized by Google

les Thyestes Atreo fratri apparavit. Sic vocat Pythagoras carnis esum. Ov. Met. XV. 462.

Thyestĭădes, -ae, i. e. Aegisthus, Thyestae filius. Ov. Art. Am. II. 407.

Thyias, -id. q. Thyas, q. v.

Thymbraeus, -i, Apollinis cognomen, a Thymbra, Troadis regionis tractu, ubi templum habuit. Virg. Ge. IV. 323. Aen. III. 85. — Est quoque Troiani nomen, qui Aenean in Italiam secutus est. Virg. Aen. XII. 458.

Thymoetes, -ae, Laomedontis, Troiae regis, filius, Priami frater, qui primus ligneum equum, ad Troiam a Graecis exstructum, intra muros trahendum censuit. Virg. Aen. II. 32. Diversus ab hoc est Troianus, Hicetaonis filius, Laomedontis nepos, qui cum Aenea in Italiam profectus a Turno caesus narratur. Virg. Aen. X. 123. XII. 364.

Thynĭa, -ae, urbs in Astica, Thraciae regione, ad occidentalem Ponti Euxini oram sita. Eius incolae, in Asiam transgressi, regioni, quam occuparunt, *Bithyniae* nomen dedisse traduntur. Fuit autem insula in fronte Bithyniae quoque *Thynia* vocata. Cat. XXXI. 5.

Thyniăcus et Thynus, -a, -um, ex Thynia, vel ad Thyniam pertinens. Ov. Trist. I. 10. 35.

Thyna merx, i. e. e Bithynia advecta. Hor. Od. III. 7. 3.

Thyni catagraphi sunt pugillares ex Bithynia. Cat. XXV. 7.

Thynias, -adis, nympha fontis, ad montem Arganthum in Thynia s. Bithynia. Prop. I. 20. 34.

Thyoniānus, -a, -um, a Baccho vel ad Bacchum pertinens.

Thyonianus merus, i. e. vinum merum, aqua non mixtum. Cat. XXVII. 7.

Thyōneus, -ĕi et -ĕos, id. q. Bacchus (*). Ov. Met. IV. 13.

Thyreātis, -ĭdis, quae est e Thyre, vel ad Thyren pertinet. Fuit autem *Thyre* Messeniorum in Peloponneso urbs, de cuius agro inter CCC. Argivos totidemque Lacedaemonios, ad pugnam electos, atrociter dimicatum fuit. Ov. Fast. II. 663.

Tiberinĭdes, -um, sunt Tiberis fluminis nymphae. Ov. Fast. II. 597.

Tiberīnus, -a, -um, in vel e Tiberi, ad Tiberim spectans. Hor. Od. III. 12. 6. Sat. II. 2.

(*) Quasi Thyones filius: *Thyonen* enim eandem ac *Semelen* nonnulli volunt; alii cognomen dicunt ἀπὸ τοῦ θύειν, quod Bacchus s. vinum furorem iniicit. Vocatur sic etiam Bacchi filius ex Ariadne. v. *Liber*.

Digitized by Google

31. Virg. Aen. I. 13. (17) Ov. Rem. Am. 257. Met. XV. 728. Prop. I. 14. 1.

Tiberinus pater s. *deus*, i. e. Tiberis deus. Virg. Ge. IV. 369. Aen. VI. 874. VII. 797. VIII. 31. Alb. ad. Liv. ap. Ov. 221. Nonnunquam pro Tiberi flumine usurpatur. Virg. Aen. VII, 30. Ov. Fast. IV. 291. VI. 105. et al. Prop. IV. 2. 7.

Tiberīnus, -i, fuit Albanorum rex, Capeti filius, Agrippae pater, qui in Albulae traiectu aqua submersus, huic flumini Tiberis nomen dedit. Ov. Fast. II. 389. IV. 47. Met. XIV. 614.

Tiberis, -is, Tybris et Thybris, -ĭdis, magnus Italiae fluvius, antea *Albula* dictus, qui ex Apenninis montibus exortus Romam praeterfluit, Etruriamque a Latio separans apud Ostiam urbem in Etruscum mare effunditur. Ob arenae, quam vehit, colorem flavus a poëtis dicitur; hodie idem habet nomen. Hor. Od. I. 2. 13. I. 8. 8. I. 29. 12. et al. Virg. Ge. I. 499. Aen. II. 782. et al. Ov. Her. VII. 145. Fast. IV. 337. et al. Prop. II. 24. 20. et al.

Tiberĭus. v. Oppidius.

Tibullus (Albĭus), -i, Romanus eques, praestans elegiarum poëta, Horatio, Ovidio et Messalae, amicus, qui A. U. DCCV., uti nonnulli volunt, natus et triginta annis post mortuus fertur. Ex eius carminibus quattuor elegiarum libri, lectu iucundissimi et elegantissimi adhuc supersunt. Cum autem Messalam in Asiam comitaretur, corcyrae, morbo opprestus, restitit, ubi elegiam tertiam L. 1. fecit. Hor. Od. I. 33. Ep. I. 4., ubi *Albius* vocatur, et Ov. Am. I. 15. 28. et saepe al., a quo semper Tibullus audit. Tib. I. 9. 83.

Tibur, -ŭris, antiquissimum Latii oppidum in Sabinorum confinio ad Anienem flumen in declivi collis parte, a Tiburte s. Tiburno cum Cora et Catillo fratribus, Argivorum coloniae ducibus, conditum; quod vero Horatii tempore exiguum et infrequens, nihilominus ob situs amoenitatem locique fertilitatem nobile erat; hodie *Tivoli* dicitur. Hor. Od. I. 18. 2. II. 6. 5. et al. Virg. Aen. VII. 630. Ov. Am. III. 6. 46. Fast. IV. 71. VI. 61. sqq. Prop. II. 23. 43. et. al.

Tiburnus s. Tiburtus, -i, qui et *Tiburs*, Amphiarai filius, qui cum Cora et Catillo s. Catilo fratribus coloniam e Graecia in Italiam deduxit, ubi Tibur urbem condidit eique nomen dedit. Post mortem fuit divino honore cultus. Hor. Od. I. 7. 13. Virg. Aen. VII. 671. XI. 519.

Tiburs, -tis, Tiburtīnus et Tiburnus, -a, -um, in vel e Tibure, vel ad Tibur pertinens, Tiburis incola. Hor. Sat.

Digitized by Google

I. 6. 108. II. 4. 70. Virg. Aen. VII. 670. IX. 360. XI. 757. Cat. XXXIX. 10. XLIV. 1. Prop. III. 21. 23. IV. 7. 85.

Tĭcĭdas (C.), -ae, poëta Latinus, qui suos cum Metella amores sub falso Perillae nomine carmine celebravit, Ov. Trist. II. 433.

Tigellĭus, v. Hermogenes.

Tigris, -is et ĭdis, rapidissimus Asiae fluvius, qui ex Armeniae montibus exortus, seque cum Euphrate miscens, in Persicum sinum defertur; hodie *Basilensa* vocatur. Hor. Od. IV. 14. 46. Virg. Ecl. I. 63. Prop. III. 3. 4. Est quoque hoc nomine Actaeonis canis. Ov. Met. III. 217.

Tullĭus s. Tullĭus, -i, Romanus civis, qui a Caesare, quasi Pompeii partibus addictus, Senatu motus est; post eius tamen caedem iterum receptus Tribunus plebis factus est. Hor. Sat. I. 6. 24. — Diversus ab hoc videtur ille Praetor sordidus, cuius meminit Horatius Sat. 1. 6. 107.

Timagĕnes, -is, rhetor egregius Alexandrinus, qui A. U. DCLXXXXVIII. a Gabinio Romam captivus abductus, et a Fausto, Sullae Dictatoris filio, redemtus rhetoricam usque ad Augusti tempora docuit. Quem quum declamantem Cordus Iarbita inter pocula imitari vellet, nimium contendendo et clamando diruptus fuisse traditur. Hor. Ep. I. 19. 15.

Timāvus, -i, flumen in Adriatici maris ora, quod in Carnorum finibus et Iapydum vicinitate inter rupium antra novem magnis aquarum fontibus prorumpit; mox in unum confluens et vix mille passuum viam emensum inter Aquileiam et Tergeste in sinum Tergestinum effunditur. Virg. Ecl. VIII. 6. Ge. III. 475.

Timavi fons, i. e. ipse Timavus. Virg. Aen. I. 244. (246.)

Tiphys, -yos, Boëotius, gubernator Argus navis, qua Argonautae in Colchidem profecti feruntur. Virg. Ecl. IV. 34. Ov. Her. VI. 48. Art. Am. I. 6. Trist. IV. 3. 77. et al.

Tiresĭas, -ae, Everis e Chariclone nympha filius, Mantus pater, Thebanus celeberrimus vates. Cui quum Iuno irata lumen ademisset, Iupiter in caecitatis solatium vaticinandi artem tribuit. Ab Horatio vero in inferis Ulyssem, quomodo divitiae sint parandae, docens inducitur. Hor. Sat. II. 5 1. Ov. Met. III. 323. VI. 157. Sab. ap. Ov. I. 93. Prop. IV. 9. 57.

Tirynthĭus, -a, -um, e Tyrintho, vel ad Tyrinthem pertinens, id. q. Herculeus. Fuit autem *Tiryns* olim Peloponnesi urbs in Argolide, ubi Hercules educatus fuisse traditur; qui inde *Tirynthius et Tirynthius heros*,

Digitized by Google

iuvenis et *hospes* dicitur. Virg. Aen. VII. 662. VIII. 228. Pseudo-Virg. Cir. 161. Ov. Art. Am. I. 187. II. 221. Fast. I. 547. II. 305. V. 629. Met. VII. 410. IX. 66. et. al.

Tirynthia, i. e. Alcumena, Herculis mater. Ov. Met. VI. 112.

Tisamĕnus, -i, Orestis ex Hermione filius, qui post patris mortem Spartae regnavit. Ov. in Ibin 350.

Tisiphŏne, -es, una e tribus Furiis, Hor. Sat. I. 8. 34. Virg. Aen. VI. 555. 571. X. 761. Pseudo-Virg. Cul. 217. Ov. Her. II. 117. Met. IV. 473. et al, Tib. I. 3. 69. Prop. III. 3. 62. v. *Furiae*.

Tisiphonēus, -a, -um, a Tisiphone, ad Tisiphonem spectans.

Tisiphonea tempora, i. e. quibus Tisiphones Furiae ad instar me laesisti. Ov. Trist. IV. 9. 6.

Titan, -ānis, unus e Titanibus. Fuit autem *Titan* Coeli et Telluris filius, Saturni frater natu maximus, Titanum pater, quorum nomina Oceanus, Coeus, Hyperion, Cius, et Iăpetus, ad quos a nonnullis etiam Saturnus refertur. Quum autem Titan, auxiliantibus filiis Titanibus, bellum Saturno inferret, quia hic filios ex pacto non devoraverat, quo Titanis liberi, Saturno mortuo, regni haeredes futuri essent, a Iove victus et cum filiis in Tartarum detrusus fingitur. A veteribus Titanes cum Gigantibus confunduntur, et Tiphoeus, Mimas, Porphyrion, Rhoetus, Gigantes, etiam inter Titanes falso recensentur ab Hor. Od. III. 4. 43. Prop. II. 1. 19. Titanes contra a Saturno adversus Iovem filium, a quo regno expulsus erat, missi dicuntur. Ov. Fast. III. 797. v. *Saturnus*.

Titan, i. e. Sol (*), Hyperionis filius, Titanis nepos. Virg. Aen. IV. 119. Ov. Her. VIII. 105. XV. 135. Fast. I. 617. et saepe. Tib. IV. 1. 51.

Titaniăcus et Titanĭus, -a, -um, a Titanibus, vel ad Titanes pertinens.

Titaniaci dracones, i. e. a Titane s. Sole accepti. Ov. Met. VII. 398.

Titania pubes, i. e. Titanes, Titanis filii. Virg. Aen. VI. 581.

Titania, i. e. a) *Aurora*, Hyperionis Titanis filia. Ov. Fast. IV. 943. b) *Pyrrha*, Deucalionis uxor, Epimethei filia, Iăpeti Titanis neptis. Ov. Met. I. 395. c.) *Diana*, Titanis s. Solis soror. Ov. Met. III. 173. d) *Latona*, Coei Ti-

(*) Multi autem *Soles* a veteribus mythorum scriptoribus prolati sunt; unde hic Titan cum Apolline s. Phoebo confunditur. v. Cic. de Nat. deor. III. 21.

Digitized by Google

tanis filia. Ov. Met. VI. 346. e) *Circe*, Solis, qui etiam Titan dicitur, filia. Ov. Met. XIV. 382. 438.

Titania astra, audaciùs dicitur pro sole. Virg. Aen. VI. 725. v. *Titan.*

Titānis, -ĭdis, i.e. a) *Tethys*, Oceano nupta, Coeli et Telluris filia. Ov. Fast. V. 81. b) *Latona.* Ov. Met. VI. 185. c) *Circe*, Ov. Met. XIII. 968. XIV. 14. 376. v. *Titanius.*

Tithonĭus, -a, -um, a Tithono, ad Tithonum pertinens.

Tithonia coniux, i. e. Aurora. Virg. Aen. VIII. 384. Ov. Fast. III. 403. cf. Ov. Fast. IV. 943.

Tithōnos et Tithōnus, -i, Laomedontis, Troianorum regis, e Strymone filius, Priami frater, qui quum iuvenilis formae praestantia esset insignis, ab Aurora amatus Memnonem genuit, uxorisque curru in coelum raptus a Iove immortalitatem impetravit; quum verò Aurora, ut semper iuvenis maneret Tithonus, petere esset oblita, tandem senio confectus a dea in cicadam mutatus fingitur. Hor. Od. I. 28, 8. II. 16. 30. Virg. Ge. I. 447. Aen. IV. 585. sqq. Ov. Her. XVIII. 111. Am. I. 13. 35. et al. Prop. II. 14. 9.

Titienses, -ĭum, dicuntur una e tribus equitum centuriis, quas Romulus e Sabinis viris instituit. Ov. Fast III. 131.

Tities i. q. Titienses. Prop. IV. 1. 31.

Titĭus, v. Septimius. — Fuit etiam *Titius* Tibulli amicus, in cuius gratiam elegiam scripsit. Tib. I. 4. 73.

Titus, v. Tatius.

Tityos et Tityŭs, -i, Terrae filius habitus, Latonam aliquando conspicatus rapere studuit, quam ob caussam ab Apolline et Diana sagittis confossus in inferis eas dat libidinis poenas, ut per novem iugera porrectus a vulture assiduo eius iecur depascatur; quod vero, ne unquam haec poena cesset, continuo renascitur. Hor. Od. II. 14. 8. III. 4. 77. III. 11. 21. IV. 6. 2. Virg. Aen. VI. 595. Pseudo-Virg. Cul. 236. Ov. Am. III. 12. 25. Met. IV. 456. ex Pont. I. 2. 41. Tib. I. 3. 75. Prop. III. 3. 66.

Tityi volucres sunt vultures. Prop. II. 16. 31.

Tityrus, -i, pastoris nomen in Virgilii bucolicis carminibus, Virg. Ecl. I. 1. sqq. Unde pro ipsis Virgilii eclogis ponitur ab Ov. Am. I. 15. 26. Prop. II. 25. 72.

Tlepolĕmus, -i, Herculis ex Astyoche filius, qui, Licymnio caeso, in Rhodum insulam aufugit, et deinde cum Graecis adversus Troianos profectus a Sarpedone caesus est. Ov. Her. I. 99. Met. XII. 537.

Digitized by Google

Tmarĭus, -a, -um (*), a Tmaro, vel ad Tmarum pertinens. Virg. Aen. V. 620.

Tmaros et Tmarus, nobilis Epiri mons in Dodonae finibus. Virg. Ecl. VIII. 44. — Est quoque hoc nomine unus e Rutulis. Virg. Aen. IX. 685.

Tmolĭus, -a, -um, in vel e Tmolo monte, vel ad Tmolum montem pertinens. Ov. ex Pont. IV. 15. 9. v. *Tymolus*.

Tmolus, v. Tymolus.

Tolenĭus, -i, v. Telonius.

Tolumnĭus, -i, rex Veientum, quem interfectum Cornelius Cossus armis spoliavit. Prop. IV. 10. 25. v. *Cossus*. — Item augur Rutulus, ab Aeneae sociis in Italia caesus. Virg. Aen. XI. 429. XII. 460.

Tomis, -ĭdis, Moesiae Inferioris urbs, ad Pontum Euxinum sita, haud procul ab Istri ostiis, Ovidii poëtae exsilio nobilis. Habet autem nomen, ut fabulantur, a Medea, quae ut patrem insectantem retardaret, ibi Absyrtum fratrem in frusta dissecuit, membraque per mare sparsit. Hodie *Tomiswar* dicitur. Ov. Trist. III. 9. 33. ex Pont. IV. 14. 59. (†).

Tomitānus, -a, -um, ex Tomide, vel ad Tomidem pertinens. Ov. Trist. V. 7. 9. et saepe al.

Tomītes, -ae, Tomidis urbis incola. Ov. Trist. I. 2. 85. IV. 10. 97. et al.

Tomўris, -ĭdis, Massagetarum regina quae Cyrum interfecisse traditur, et cuius regni fines Araxes fuit. Tib. IV. 1. 143.

Torquātus (L. Manlĭus), -i, Romanus civis, generis splendore nobilis, qui A. U. DCLXXXIX., quo Horatius natus est, Consul fuit. Hor. Od. III. 21. 1. Epod. XIII. 6. Huius autem filius, vel ut alii putant, nepos *L. Manlius Torquatus*, vir vitae probitate egregius et eloquentia pollens, Horatio et Catullo amicus fuit. Hic autem solenni carmine eius nuptias celebravit. Hor. Od. IV. 7. Ep. I. 5. 3. Cat. LXI.

Toxeus, -ĕi, Thestii filius, Althaeae frater, Meleagri avunculus, a quo occisus est. Ov. Met. VIII. 441. v. *Plexippus*.

Trachin, -ĭnis, Thessaliae urbs in Phthiotide, sub Oeta monte prope sinum Maliacum. Hodie non amplius superest. Ov. Met. XI. 627.

Trachinĭus, -a, -um, in vel e Trachine, ad Trachinem spectans. Ov. Met. XI. 269.

Trachinius et *Thrachinius heros*, i. e. Ceyx, Trachinis rex. Ov. Met. XI. 282. 351.

Trachinia puppis, i. e. navis, qua Ceyx vehitur. Ov. Met.

(*) Alii *Ismarius* legunt, v. Cl. Heyne ad h. l., et Ouw. Noct. Hag. p. 624.

(†) Male alii *Tomi* his locis legerunt, v. Heins. ll. ll.

Digitized by Google

XI. 502.

Transpadānus, -a, -um, ex Gallia Transpadana, vel ad Galliam Transpadanam pertinens, quae fuit superionis Italiae pars. Cat. XXXIX. 13.

Trasimēnus, -a, -um, ad Trasimenum lacum pertinens. Fuit autem hic lacus in Etruria inter Cortonam et Perusiam, nobilis victoria, quam Hannibal de Romanis duce C. Flaminio iterum Consule reportavit. Hodie *Lago di Perugia* Italis vocatur. Ov. Fast. VI. 765.

Trebatĭus (C.) Testa, -i, eques Romanus et iureconsultus, ad quem scripsit Horatius Sat. 1. L. II.

Trieterĭca, -orum, fuerunt antiqua Bacchi orgia s. sacra enthusiastica, quae a Thebanis feminis tertio quoque anno in monte Cithaerone nocturnis discursibus celebrabantur. Virg. Aen. IV. 302. Ov. Met. VI. 587.

Trinăcris, -ĭdis, (*), quae ad Siciliam pertinet, id. q. Sicilia. Dicta sic est *Sicilia* a tribus promontoriis, Pachyno, Lilybaeo et Peloro. Ov. Fast. IV. 420. et al.

Trinacrĭus, -a, -um, in vel e Trinacria s. Sicilia, vel ad Trinacriam s. Siciliam pertinens, Siculus. Virg. Aen. I. 196. (200). III. 440. et al. Ov. Her. XII. 126. Fast. IV. 287. Met. V. 476. et al.

Trinacrius, i. e. Empedocles. Ov. in Ibin 599.

Trinacria (terra), i. e. Sicilia. Virg. Aen. V. 393. Pseudo-Virg. Cat. XI. 20. Ov. ex Pont. IV. 15. 15.

Trinacria rupes, i. e. Aetna mons. Cat. LXVIII. 53.

Triōnes, -um (†), dicuntur septem clarissimae stellae in coelesti sidere, Ursa maiore s. Helice dicto, quas Graeci Plaustri, Romani Septemtrionum nomine appellarunt, quia plaustrum cum septem bobus, iugo iunctis, referre olim credebantur. Ov. Met. II. 171. 582. X. 446. — Vocatur sic interdum utraque Ursa maior et minor. Virg. Aen. I. 744. (748.) III. 516. Ov. Met. II. 171. et al. Etiam in numero singulari est ap. Virg. Ge. III. 381. Ov. Met. I. 64.

Triopēis, -ĭdis, i. e. Mestra s. Metra, Erysichthonis filia, Triopae neptis. Ov. Met. VIII. 872.

Triopĭus, -a, -um, a

(*) Quasi τρεῖς ἄκρας tria promontoria, vel τρία ἄκρα tria latera habens; v. Eustath. ad Dionys. in orb. terr. descr. v. 467., et Cluv. Sicil. ant. c. II.

(†) Boves enim antiquo et rustico vocabulo proprie *triones* quasi *teriones* dicti sunt a terendo terram. Hyg. P. Astr. II. 2. A. Gell. N. Att. II. 21. Varro de L. L. VI. 4.

Digitized by Google

Triopa, vel ad Triopan spectans. Dicitur autem sic Erysichthon, Triopae, Thessaliae regis, filius. Ov. Met. VIII. 851.

Triptolĕmus, -i, Celei, Eleusinis regis, e Metanira filius, primus agriculturae inventor in Graecia; a Cerere autem, ut fabulantur, hanc artem edoctus currum, ab alatis draconibus tractum, a dea accepit (*), quo per aërem vectus frumenti usum hominibus tradidit. Pseudo-Virg. Cul. 134. Ov. Fast. IV. 550. Met. V. 646. sqq. v. *Metanira*.

Triquĕtrus, -a, -um, id. q. triangulus, i. e. Siculus. Est autem Sicilia *Triquetra* dicta a tribus angulis totidemque promontoriis, quae ad quemque angulum sunt sita. Hor. Sat. II. 6. 55. v. *Tinacris*.

Triton, -ōnis et -ōnos, deus marinus, Neptuni ex Amphitrite s. Salacia nympha (†) filius et tubicen, inferiore corporis parte, qua sub aqua latet, piscem referre; a fronte vero usque ad latera, qua supra aquam exstat, conchis obsitus fingitur, tenens plerumque buccinam, cuius flatu mare turbidum et tranquillum reddit. Tribuuntur praeterea ei equi coerulei, sicut ipse coeruleus, ut et ceteri marini dii, propter maris colorem vocatur. Virg. Aen. I. 144. (148.) VI. 173. Ov. Her. VII. 50. Am. II. 11. 27. Met. I. 333. II. 8. Prop. IV. 6. 61. et al. Ponitur etiam multitudinis numero pro *diis marinis*. Virg. Aen. V. 824. — Est quoque *navis* nomen ab insigni, quod in prora Tritonis speciem, tubam inflantis, referebat. Virg. Aen. X. 209.; et *fons* habitum Tritonis referens. Prop. II. 23. 50.

Rapidi Tritonis hera, i. e. Pallas s. Minerva, quae ad fluvium vel lacum Tritonem in Africa nata fingitur. Cat. LXIV. 396.

Tritoniăcus, -a, -um, ad Tritonem paludem pertinens; cui paludi, quae in Thracia erat sita, ea vis inesse credebatur, ut qui novies se in eam immersisset, in avem converteretur. Ov. Met. XV. 358.

Tritoniaca arundo, i. e. tibia, a Tritonia s. Pallade inventa. Ov. Met. VI. 384.

Tritōnis, -ĭdis et -ĭdos, quae ad Tritonem, Africae fluvium, pertinet; ad quem Palladem templum habuisse tradunt, unde forsitan *Tritonis* et *Tritonia* cognominata est (†). Virg.

(*) v. de hoc Ov. Fast. IV. 524—560.

(†) *Amphitrite* enim secundum nonnullos Graecis eadem est, quae Latinis *Salacia*, v. Mez. ad Ov. Her. VII. 50. Voss. Etym. in v. *Salum*.

(†) Cf. Herod. IV. 179. Paus. IX. 33. Dionys. in orb. terr. descr. v. 267. ibique Eustath. Alii ab Aeolico vocabulo Τριτώ, quod caput significat, eam cognominatam putant; quod dea e Iovis capite orta fingitur, v. Cl. Heyne ad Virg. Aen. II. 171.

Digitized by Google

Aen. II. 226. Ov. Met. II. 794. III 127. Sab. ap. Cv. I. 19.

Tritonis pinus, i. e. Argo navis, Palladis auxilio ab Argo aedificata. Ov. Her. VI. 47.

Tritonis arx, i. e. Athenae, Palladi sacrae. Ov. Met. II. 794. V. 645.

Tritonĭus, -a, -um, ad Tritonem, Africae fluvium, spectans. *Tritonia* s. *Tritonia virgo*, i. e. Pallas. Virg. Aen. II. 171. XI. 483. cf. V. 704. Ov. Fast. VI. 655. Met. II. 783. V. 250. et al. v. *Tritonis*.

Trivĭa, -ae, Dianae s. Hecates nomen, quod in triviis noctu colebatur, vel fortasse, quod tanquam triformis dea, *Diana*, *Luna* et *Hecate*, in tribus diversis viis, i. e. terra, coelo et inferis versatur et degit. Virg. Aen. VI. 13. et al. Ov. Met. II. 416. et saepe. Cat. XXXIV. 15. LXVI. 5. Tib. I. 5. 16. Prop. II. 23. 40.

Triviae lacus fuit in Latio prope Ariciam, a templo atque nemore, quae ibi Dianae sacra fuerunt, nomen habens; hodie autem *Lago di Nemo* vulgo vocatur. Virg. Aen. VII. 516.

Trivīcum, -i, fuit antiqua Italiae urbs in Hirpinis; hodie *Treviço*. Hor. Sat. I. 79.

Troas, -ădis, quae in vel e Troia est, ad Troiam pertinet, Troiana femina. Virg. Aen. V. 613. Ov. Her. XIII. 97. 137. et al.

Troas, i. e. Hecuba. Ov. Met. XIII. 566.

Trŏës, v Tros.

Troezen, -ēnis, Peloponnesi urbs ad Argolicum sinum, ubi Pittheus, Thesei avus maternus, regnavit, eiusque patria fuit; hodie non amplius superest. Vicus eo loco vocatur *Damala*. Ov. Her. IV. 107. Fast. VI. 739. Met. VI. 418. et al.

Troezenĭus, -a, -um, ex Troezene, vel ad Troezenem pertinens.

Troezenius heros, i. e. Lelex, Pittheï, Troezenis regis, filius. Ov. Met. VIII. 566.

Troia, -ae, quae et *Ilium*, antiquissima ac nobilissima Phrygiae Minoris urbs fuit, ad Idam montem et Xanthum flumen haud procul a mari sita, quam primus Teucer, Dardani socer, condidit; deinde per Dardanum, Erychthonium et Troëm ad Ilum regnum pervenit, a quo urbs amplificata et *Ilium* est dicta. Huic vero Laomedonte filio succedente, ab Apolline et Neptuno, suam operam locantibus, muri sunt exstructi; mox Hercules urbem cepit, eiusque perfidum regem interfecit, et Priamo, Laomedontis filio, regnum tradidit. Quo rege a Graecis Europaeis ob raptam Helenam per decem annos oppugnata tandemque dolo capta est ac; diruta. Urbis autem eiusque heroum fata Homerus in Iliade, Virgilius in

Digitized by Google

Aeneide carminibus celebrarunt. Hor. Od. I. 8. 14. III. 3. 60. et al. Virg. Ecl. IV. 36. Ge. I. 502. et saepe. Ov. Her, I. 4. et al. Cat. LXVIII. 89. sqq. Prop. II. 2. 44. et al. v. *Laomedon*, *Priamus*.

Troiae Cynthius auctor, i. e. Apollo, Troiae conditor. Virg. Ge. III. 36.

Troiānus, -a, -um, in vel e Troia, ad Troiam pertinens; item ad Troiae incolas spectans. Virg. Aen. I. 19. (23.) et saepe. Ov. Am. III. 6. 65. III. 9. 29. et al. Tib. II. 5. 46. Prop. II. 7. 10. et al.

Troianus iudex, i. e. Paris, utpote qui de trium dearum pulchritudine iudicavit. Ov. Fast. IV. 121.

Troianus labor, i. e. bellum Troianum. Ov. Am. III. 9. 23.

Troiana tempora, i. e. belli Troiani. Hor. Od. I. 28. 11. Ov. Met. VIII. 365.

Troĭcus et Troĭus, contr. Trous, -a, -um, id. q. Troianus. Virg. Aen. I. 119. (124.) et al. Ov. Her. VII. 184. Cat. LXV. 7.

Troius heros, i. e. a) *Aeneas*, Troianorum dux. Virg. Aen. VI. 451. VIII. 530. X. 584. 886. XII. 502. b) *Aesacus*, Priami ex Alexirhoë filius. Ov. Met, XI. 773.

Troius hospes, vel *raptor*, i. e. Paris, qui a Menelao hospitio exceptus Helenam rapuit. Ov. Her. XVII. 160. Art. Am. III. 354.

Troïa sacerdos, i. e. Rhea silvia s. Ilia, virgo Vestalis. Hor. Od. III. 3. 32. v. *Troica Vesta*.

Troïa sacra sunt Troiani dii s. deorum simulacra. Tib. II. 5. 40.

Troica Vesta, i. e. quam Aeneas una cum sacro igni in Italiam vexit. Ov. Met. XV. 730.

Troica vela, i. e. classis Aeneae. Ov. in Ibin 418.

Troïlos et Troïlus, -i, Priami ex Hecuba filius, qui Troiano bello, quum adhuc prima iuventute esset, cum Achille congressus, ab hoc victus et caesus fertur. Hor. Od. II. 9. 16. Virg. Aen. I. 474. (478.)

Troiugĕna, -ae, quasi Troiae genitus, i. e. Troianus. Virg. Aen. III. 359. VIII. 117. XII. 626. Cat. LXVIII. 356.

Tros, -ois, fuit Troiae rex, Erichthonii filius, Dardani nepos, qui e Callirhoë, Scamandri filia, Ilum, Ganymedem et Assaracum, genuit Troiaeque urbi nomen indidit. Virg. Ge. III. 36. Ov. Fast. IV. 33. Hinc nonnunquam id. q. Troianus. Virg. Aen. I. 30. (34.) 129. (133.) et saepe. Ov. Her. I. 13. XII. 66. XIII. 91. et al.

Tros Anchisiada, i. e. Aeneas, Virg. Aen. VI. 126.

Trosmis, -is, urbs in Moe-

Digitized by Google

sia Inferiore ad Istrum; hodie *Trosmi* dicitur. Ov. ex Pont. IV. 9. 79.

Trous, -a, -um, contr. ex *Troius*, id. q. Troianus. Ov. Met. XII. 74.

Tubertus (A. Postumĭus), -i, Romanus Dictator, qui de Aequis et Volscis victis triumphum egit. Ov. Fast. VI. 723.

Tucca, v. Plotius. Ex Pseudo-Virgilii Catalectis primum etiam ad Tuccam inscribitur. An vero idem sit ac Plotius Tucca, non liquet.

Tulla, -ae, una e Camillae sociabus in bello Turni adversus Aeneam. Virg. XI. 656.

Tullĭus, -a, -um, nomen gentis Romanae, in qua nobilis fuit *Serv. Tullius*, sextus Romanorum rex, qui e Vulcano, ut fabulantur, et Ocresia, nobili femina captiva, natus Tarquiniam, Tarquinii Prisci filiam, uxorem duxit, et post huius caedem regnum obtinuit. Quum vero Fortunae templum, in quo erat Servii signum, arderet, Vulcanus filio opem tulisse fingitur, ut ignis signo parceret. Hor. Sat. I. 6. 9 Ov. Fast. VI. 581. 613. 627. et al.

Tullia, est Serv. Tullii filia, quae, Tarquinio Superbo nupta, carpentum, quo vehebatur, per occisi patris cadaver, in via iacens, agi iussit, unde haec via *vicus Sceleratus* est dicta. Ov. Fast. VI. 587. cf. in Ibin 365.

Tullius, sordidi Praetoris nomen, de quo non constat. Hor. Sat. I. 6. 107. v. *Tillius*.

Tullus Hostilĭus, -i, tertius Romanorum rex, vir bellicosus et ferox, qui contra Albanos bellum gessit, eosque post Horatiorum et Curiatiorum pugnam vicit, urbem delevit, populumque cum fortunis suis Romam transtulit. Hor. Od. IV. 7. 15. Virg. Aen. VI. 815. VIII. 644. v. *Metus*.

Tullus (L. Volcatĭus), -i, Romanus civis, qui A. U. DCLXXXVIII. cum M. Aemilio Lepido Consul fuit. Horatius vino, quod hoc Consule conditum atque adeo XLVII. annorum erat, si eius carmen, uti opinantur, ad A. U. DCCXXXIV. referatur, Maecenatem festis epulis excipit. Od. III. 8. 12. — A Propertio prima elegia ei dicata est, aut eius filio, qui A. U. DCCXXI. cum Octaviano Consul fuit. Prop. I. 1. 9. I. 6. 2. et al.

Turbo, -ōnis, vocatur quidam gladiator, qui corpore parvo, magno vero animo in pugna, et ridiculus incessu fuit. Hor. Sat. II. 3. 310.

Turĭus, -i, Praetor Romanus fuisse videtur, qui iustitiae speciem prae se ferebat, ut ita suae irae atque vindictae satisfaceret.

Digitized by Google

Hor. Sat. II. 1. 49.

Turnus, -i, fuit Rutulorum rex nobilissimus fortissimusque Dauni et Veniliae nymphae filius, Iuturnae nymphae frater, cui a Latino, Aboriginum rege, quocum sanguine iunctus erat, Lavinia filia desponsa fuit. Ut vero Aeneas cum Troianis in Italiam venit, Latinus huic filiam in matrimonium dedit: quo Turnus cognito bellum contra Troianos movit, quod vario Marte gestum est, donec singulari certamine ab Aenea victus et interfectus fuerit. Virg. Aen. VII. 56. sqq. Ov. Fast. I. 463. IV. 879. et saepe. Tib. II. 5. 48.

Turrānĭus, -i, Latinus poëta, de quo non constat. Eius meminit Ov. ex Pont. IV. 16. 29.

Tusculum, -i, Latii oppidum, inter Romam et Labicum ad Albanum montem in colle situm, a Telegono, Ulyssis et Circes filio, conditum. Hodie *Frascati* vocatur. Hor. Epod. I. 29.

Tusculus, -a, -um, in vel ex Tusculo, ad Tusculum pertinens.

Tuscula tellus, i. e. Tusculi incolae. Messala partem viae Latinae, huc confectae, suis sumtibus reficiendam curaverat. Tib. I. 7. 57.

Tuscus, -a, -um, in vel ex Etruria, vel ad Etruriam pertinens, Etruriae incola. Prop. IV. 2. 3.

Tuscus tibicen, Ov. Art. Am. I. 111. v. *Tyrrhenus*.

Tuscus dux, i. e. Mezentius Tuscorum, s. Etruscorum rex. Ov. Fast. IV. 884.

Tuscus vicus, locus Romae fuit, ubi scorta, lenones, aliique infimae conditionis homines habitabant. Hor. Sat. II. 3. 228.

Tuscus alveus, vel *amnis*, et *Tuscum flumen*, i. e. Tiberis, qui ab Etruria in mare Tuscum s. Tyrrhenum profluit, Hor. Od. III. 7. 28. Sat. II. 2. 23. Virg. VIII. 473. X. 199. cf. Ge. I. 499. Ov. Art. Am. III. 386. Fast. I. 233. IV. 294. et al.

Tuscum aequor et *profundum*, i. e. mare inferum s. Tyrrhenum, Etruriam alluens. Hor. Od. IV. 4. 54. Ov. Met. XIV. 223.

Tuscum duellum, i. e. Romanorum cum Etruscis bellum. Ov. Fast. VI. 201.

Tusci viri sunt Etrusci haruspices. Tib. III. 4. 6.

Tusca lympha, i. e., Etruriae aquae calidae. Tib. III. 5. 29.

Tuscus, -i, est nomen poëtae, qui Phyllida puellam carmine celebravit. Eius meminit Ov. ex Pont. IV. 16. 20.

Tuticānus, et metri caussa Tuticănus, -i, Romanus poëta, Ovidio aequalis et amicus,

Digitized by Google

qui ex Homero (*) carmen, Phaecis inscriptum, de Phaeacum delicata ac luxuriosa vitae ratione, et Ulyssis naufragi apud Alcinoum, Phaeacum regem, hospitio Latine vertit; quod tamen ad nostram aetatem non pervenit. Ov. ex Pont. IV. 12. 10. sq. IV. 14.

Tyanĕus, -a, -um, ad Tyanam pertinens, quae fuit Cappadociae urbs, ad Tauri montis radices sita (†); hodie idem nomen servat. Ov. Met. VIII. 719.

Tybris, v. Tiberis.

Tybur, v. Tibur.

Tychĭus, -i, fuit artifex quidam, calceis faciendis in Boeotia nobilis, qui Aiacis clypeum, quod septem coriis taurinis opertum erat, fabricaverat. Ov. Fast. III. 824.

Tydeus, -ĕi et -ĕos, Oenei, Calydonis regis, e Periboea filius, qui capite Melanippi, Thebarum ducis, interfecti discerpto, ad Adrastum confugit, a quo receptus e Deipyle, eius filia, Diomedem procreavit. Virg. Aen. VI. 479. Ov. Her. IX. 155. Fast. I. 491. ex Pont. I. 3. 79. et al. v. *Adrastus*.

Tydīdes, -ae, i. e. Diomedes, Tydei e Deipyle filius, qui Troiano bello Palladis ope Venerem vulnerasse fingitur Hor. Od. I. 6. 15. I. 15. 28. Virg. Aen. I. 97. (101.) et al. Ov. Am. I. 7. 31. 34. et saepe.

Tymōlus, contr. Tmolus. -i, altus et latus mons Phrygiae Maioris in Lydiae confinio, generoso vino nobilis; hodie *Tamolitze*. Virg. Ge. I. 56. Ov. Fast. II. 313. Met. II. 216. VI. 15. XI. 86. 151. Unde etiam, quae poëtarum est licentia, pro vitibus in eo nascentibus ponitur. Virg. Ge. II. 98. Huius montis deus in Panos et Apollinis certamine musico iudex electus Apollini palmam detulit. Ov. Met. XI. 156. 194.

Tyndarĭdae, -arum, sunt Castor et Pollux, Tyndarei, Spartae regis, e Leda filii. Hor. Od. IV. 8. 31. Pseudo-Virg. Cir. 339. Ov. Fast. V. 700. Met. VIII. 301. Trist. I. 10. 45. ex Pont. I. 7. 32. Prop. I. 17. 18. v. *Castor*.

Tyndaridarum fortissima dicitur liberta, quae, ut Clytaemnestra, fortissima omnium liberorum Tyndarei, Agamemnonem maritum interfecit, sic Ummidium quendam securi percussit. Hor. Sat. I. 1. 100. (†).

(*) Odyss. ϑ et ι.

(†) Ovidii autem locus corruptus videtur, nisi rem in Phrygiae et Cappadociae confinio accidisse, adeoque utrique terrae communem fuisse cum nonnullis statuas.

(†) Patronymicum masculinum, uti hoc loco, ita saepe tam filios quam filias complectitur. Cf. Lambin. et Bentl. l. l.

Digitized by Google

Tyndăris, -ĭdis, una e Tyndarei posteris. Vocantur sic Tyndarei filiae a) *Helena*. Virg. Aen. II. 569. 601. Pseudo-Virg. Cat. XI. 27. Ov. Her. V. 91. XVI. 98. et saepe. Met. XV. 233. Prop. II. 23. 87. III. 6. 30. b) *Clytaemnestra*, Ov. Art. Am. II. 408. — Est quoque nomen puellae doctae, praeclaro ingenio ac delicato elegantiae sensu praeditae, quae et amatoria carmina scripsisse videtur. Ad hanc est Hor. Od. I. 17. — Sic praeterea vocatur *carmen*, quod Lupus poëta de Menelao et Helena, post Troiam captam in patriam reversis, composuit. Ov. ex Pont. IV. 16. 26.

Tyndăreus, -ĕi et -ĕos, (*) et Tyndarĕos, -ĕi, Sparta rex, Oebali e Batea filius, Ledam, Thestii filiam, duxit, quae ex illo Clytaemnestram, et ex Iove adultero sub cygni specie Castorem, Pollucem et Helenam peperit. Ov. Her. VIII. 31. XVII. 54. 250. v. *Hippocoon*.

Tyndarei gener, i. e. Agamemnon, Clytaemnestrae maritus. Ov. in Ibin 354.

Typhōeus, -ĕi et -ĕos, et Typhon, -ōnis, immane fingitur monstrum, vertice coelum tangens, ex cuius humeris centum draconum capita erant enata, (†) a Terrâ in devictorum Gigantum ultionem procreatum, quod coelum adfectavit, oppugnavitque. Candentibus saxis, cum sibilo et boatu iactis, deos ita terruit, ut in Aegyptum fugam facerent. Iupiter vero eum fulmine percussit, Aetnamque montem et Inarimen insulam ei iniecit. Virg. Ge. I. 279. Aen. VIII. 298. IX. 716. Pseudo-Virg. Cir. 32. Ov. Fast. I. 573. II. 461. et al. Annumeratur autem ab aliis Gigantibus, et in Tartarum detrusus fingitur. Hor. Od. III. 4. 53. Virg. Aen. VIII. 298.

Typhōis, -ĭdis et -ĭdos, quae ad Typhoeum s. Typhonem spectat.

Typhois Aetna, i. e. Typhoëo

(*) Alii etiam *Tyndarus*, quamquam eius nusquam fit mentio, nisi quod *Tyndarĭdes* penultimam correptam habeat, quod a *Tyndarus* derivetur, necesse est; quapropter nomina propria duas habuisse terminationes in *us* et *eus*, ut, in Graecis *υἱός* et *υἱεύς* recte observasse videntur Viri docti; unde diversae quantitatis patronymica orta sunt. Sic et *Belĭdes* a *Belus*. Virg. Aen. II. 82. *Tyrrhĭdae* a *Tyrrhus*; Heyne vero l. l. *Tyrrheus* praefert, qui vid. in var. Lect. cf. et Ouw. Noct. Hag. p. 607.

(†) Tribuuntur ei etiam centum manus, nisi forte Ovidius *Briareum* cum *Typhone* confuderit. Met. III. 303.

Digitized by Google

imposita. Ov. Her. XV. 11.

Typhoĭus s. Typhoēus, -a, -um, a Typhoēo, vel ad Typhoëum pertinens.

Typhoia tela, i. e. quibus Iupiter Typhoëum prostravit. Virg. Aen. I. 665. (669.)

Typhon, v. Typhoēus.

Tyras, -ae, Europae Sarmaticae flumen, quod inter Danubium et Borysthenem in Pontum Euxinum exoneratur; hodie *Niester* vocatur. Ov. ex Pont. IV. 10. 50.

Tyrinthĭus, v. Tir.

Tyrius torus, i. e., lectus, stragulis, Tyria purpura tinctis, coopertus. Tib. I. 2. 76.

Tyrĭus, -a, -um, in vel e Tyro, ad Tyrum pertinens. Hor. Od. III. 29. 60. Virg. Aen. I. 12. (16.) et al. Ov. Fast. I. 489. Met. II. 845. et al. Prop. IV. 5. 22. Quod autem Carthago a Tyriis duce Didone erat condita, id. q. Carthaginiensis. Virg. Aen. I. 20. (24.) 574. (578.) et al. Ov. Fast. III. 555.

Tyria urbs, i. e. a) *Tyrus*. Virg. Aen. I. 340. (344.) b) *Carthago*, a Tyria colonia exstructa. Virg. Aen. I. 388. (392.) 568. (572.) Ov. Her. VII. 151.

Tyria pellex, vel *puella*, i. e. Europa, Agenoris, Tyri regis, filia. Ov. Fast. V. 605. Met. III. 858.

Tyrii colores s. *rubores* et *Tyrius fucus*, *murex*, *Tyrium ostrum*, i. e. purpura. Hor. Ep. I. 6. 18. Virg. Ge. III. 307. Aen. IV. 262. Ov. Her. XII. 179. Art. Am. III. 170. Fast. II. 107. Met. VI. 222. IX. 340. X. 211. Tib. II. 4 28.

Tyrii flores sunt purpurei, vel pulcherrimi. Ov. Met. V. 390

Tyriae vestes et *Tyria palla*, i. e. Tyrio murice s. purpura tinctae. Hor. Sat. II. 4. 84. Ov. Art. Am. II. 297. cf. Hor. Epod. XII. 21. Virg. Ge. III. 17. 307. Tib. I. 7. 47. IV. 2. 11. Prop. III. 12. 27. v. *Sidonium ostrum* et *Tyrus*.

Tyrius sinus, i. e., purpurea vestis. Tib. I. 9. 70.

Tyrium dicitur *amomum*, quod illud ex Arabia, India et Persia, per Tyrum, Phoenices urbem, Romam advehebatur, vel etiam eo loco *Syrium* legi potest, quod ea significatione usitatius est. Pseudo-Virg. Cir. 512.

Tyro, -ōnis et -us, nympha, Salmonei ex Alcidice filia, a Neptuno, in Enipeum mutato compressa Pelian, Iasonis patruum et Neleum, Nestoris patrem, peperit; mox Cretheo, patris fratri, nupta ex hoc Aesonem, Amythaonem et

Digitized by Google

Pheretem, Pherarum in Thessalia conditorem Admetique regis patrem, suscepit. Ov. Her. XIX. 132. Cat. LXIV. 309. Prop. II. 21. 52. v. *Enipeus*.

Tyrrhenĭa, id. q. Etruria. Ov. Met. XIV. 542.

Tyrrhēnus, -a, -um, id. q. Etruscus, Tuscus. Hor. Od. III. 10. 12. III. 29. 1. Virg. Aen. VI. 43. et al. Ov. Met. III. 636. IV. 23. sqq. Prop. I. 8. 11.

Tyrrhenus, i. e. tibicen Etruscus, quales tibicines Romani ad sacrificia adhibere solebant. Etrusci enim, primi musicae cultores, reliquis hac arte praestabant, eamque postea Romanis tradidere. Virg. Ge. II. 193. — Est quoque hoc nomine quidam ex Etruria vir, Aeneae in bello cum Turno socius. Virg. Aen. XI. 612.

Tyrrhenus et *Tyrrhenus rex*, i. e. Mezentius, Etruriae rex. Virg. Aen. VIII. 555. X. 787. 898. Ov. Fast. IV. 893.

Tyrrhenus aestus, i. e. Tyrrheni maris aestus, s. Tyrrhenum mare aestuans. Virg. Ge. II. 164., quod fuit pars maris mediterranei, a Macra flumine ad mare Siculum Etruriam alluens; etiam Inferum, Tuscum et Etruscum mare dicitur. Hor. Od. I. 1. 16. III. 24. 4. IV. 15. 3. Virg. Aen. I. 67. (71.) VI. 697. Ov. Met. XIV. 8.

Tyrrhena tuba, i. e. a Tyrrhenis inventa. Virg. Aen. VIII. 526.

Tyrrhenum flumen, i. e. Tiberis, ab Etruria in mare Inferum profluens. Virg. Aen. VII. 663.

Tyrrhena sigilla, sunt parva signa, qualia primi Etruriae incolae in Italia posuerunt. Hor. Ep. II. 2. 180.

Tyrrhena corpora, vel *monstra* sunt Tyrrheni nautae, a Baccho in delphines mutati. Ov. Met. IV. 23. Fast. III. 723. Cf. Prop. III. 15. 25.

Tyrrhīdae, -arum, sunt Tyrrhei filii. Virg. Aen. VII. 484. IX. 28. Fuit autem *Tyrrheus* s. *Tyrrhus*, regis Latini armentorum in Laurenti agro pastor, cuius filia Silvia cervum aluit, quem Ascanius vulneravit. Virg. Aen. VII. 485.

Tyrus et Tyros, -i, antiquissima Phoenices urbs maritima, ab Agenore rege condita, quae mercatura et pretioso purpureo colore, qui ex murice conficiebatur, et cuius inventrix est habita, nobilissima quondam fuit; hodie *Sur* vocatur. Virg. Aen. I. 346. (350.) et al. Ov. Fast. III, 631. Met. III. 539. XV. 288. Tib. I. 7. 20. VI. 2. 16. Prop. II. 13. 18. III. 11. 7.

Digitized by Google

Tyros, i. e. Phoenicius nauta. Ov. Her. XVIII. 149.

Tyrtaeus, -i, poëta Graecus Atheniensis, qui circa Olymp. XXIV. s. A. U. LXX. floruit. Ex Oraculi responso ab Atheniensibus Spartanis altero bello, quod cum Messeniis gesserunt, dux datus, hos suis carminibus ita ad virtutem accendit, ut ii, qui essent iam saepe antea pulsi, tandem Messenios vincerent. Quattuor ex eius elegiis adhuc supersunt; reliquarum vero pauca duntaxat fragmenta. Hor. Ep. II. 3. 402.

Digitized by Google

U.

Ucalĕgon, -ontis, nobilis senex Troianus, Priamo a consiliis, cuius domus in Troiae incendio secunda conflagravit. Virg. Aen. II. 312.

Ufens, -ntis, Italiae flumen in agro Privernate, quod prope Tarracinam in mare immittitur; hodie *Aufente*. Virg. Aen. VII. 802.

Ufens, -ntis, Aequorum dux, qui Turno auxilium tulit, cuius quattuor filios Aeneas Pallanti inferias attulit: postea autem et ipse a Gya Troiano caesus fertur. Virg. Aen. VII. 745. VIII. 6. X. 518. XII. 460. 641.

Ulŭbrae, -arum, parva Latii urbs fuit, propé Suessam Pometiam sita; hodie nulla eius vestigia supersunt. Hor. Ep. I. 11. 30.

Ulysses, -is, et Ulyxes (*), Ulixes, -is et -ĕi, contr. -i, fuit Ithacae, Dulichii aliarumque complurium insularum rex, Laertae, vel potius Sisyphi, ex Anticlea filius, Telemachi e Penelope uxore, Telegoni autem e Circe pater, Diomedis fidelissimus amicus, qui cum Graecis ad Troianum bellum profectus facundia, calliditate et ingenii celeritate, qua omnes anteibat, Graecis multum profuit. Palamedem, a quo, insaniam simulans, ad arma erat protractus, ficta criminatione interficiendum curavit; Aiacemque in contentione de armis Achillis, a Paride occisi, oratione superavit: multis igitur fortibus facinoribus gestis, post Troiam deletam reditum in patriam parans, multa tulit adversa, et ad Circes insulam delatus ex hac, amore illius capta, Telegonum procreavit. Hinc tandem domum redux factus Penelopes procos interfecit; nec diu post a Telegono filio inscius interfectus est. De reditu huius in Ithacam Homeri carmen, *Odyssea* inscriptum, adhuc exstat. Hor. Od. I. 6. 7. Sat. II. 3. 197. et al. Virg. Ecl. VIII. 70. Aen. II. 7. et al. Pseudo-Virg. Cir. 58. Ov. Her. I. 1. 35. III. 129. et al. Tib. IV. 1. 49. Prop. II. 5. 15. et al.

Umber, -bra, -brum, in vel ex Umbria, ad Umbriam spectans. Hor. Sat. II. 4. 40. Ov. Art. Am. III. 303. Cat.

(*) Quasi *Ulixeus* a Graeco Ὀδυσσεύς.

Digitized by Google

XXXIX. 11. Prop. III. 21. 23.

Umber vividus, i. e. canis ex Umbria, qui, utpote sagax et solers, ad venandum egregius habebatur. Virg. Aen. XII. 753.

Umber lacus, i. e. Clitumnus. Prop. IV. 1. 124. v. *Clitumnus*.

Umbrēnus, -i, veteranus miles, cuius meminit Hor. Sat. II. 2. 133.

Umbrĭa, -ae, Italiae regio inter Apenninum montem et mare Superum ex adverso Etruriae sita, Propertii patria; hodie idem nomen habet. Ov ex Pont. I. 8. 67. Prop. I. 22. 9. et al.

Umbro, -ōnis, fortissimus Marsorum dux et sacerdos, qui Archippi regis iussu Turno adversus Aeneam auxilium ferens eo in bello occidit. Virg. Aen. VII. 752. X. 544.

Ummidĭus, -i, dives quidam, qui ob avaritiam a liberta sua captus est. Hor. Sat. I. 1. 95.

Uraniă, -ae s. Uranĭe, -es, una e novem Musis, quae astronomiae praeesse fingebatur. Ov. Fast. V. 55. Met. V. 260. Cat. LXI. 2. v. *Musa*.

Ursa, -ae, duplex signum coeleste in septemtrionali plaga, cuius maius *Helice*, Ursa *Erymanthis*, *Parrhasis* et *Maenalis* vocatur. Ov. Trist. I. 4. 1. III. 3. 47. III. 11. 8.; minus vero *Cynosura* et *Cynosuris* Ursa dicitur. Ov. Trist. V. 3. 7. v. *Arctos*.

Ursae custos, i. e. Arctophylax s. Bootes. Ov Fast, II. 153. v. *Arctophylax*.

Ustĭca, -ae, mons in Sabinis leniter adsurgens, in quo Horatii villa fuit. Hor. Od. I 17 11.

Utĭca, -ae, Africae urbs maritima, non procul a Carthagine ad Bagradam flumen, M. Catonis morte, ne in C. Caesaris manus veniret, sibi illata, nobilis; hodie *Biserta*. Hor. Ep. I. 20. 13.

Digitized by Google

V.

Vacūna, -ae, antiqua Sabinorum dea, quae in luco quodam haud procul ab Horatii villa aedem, vetustate collapsam, habuit. Rustici, per hiemem a ruris labore vacantes, decembri mense eius festa, *Vacunalia* dicta, celebrare solebant. Hor. Ep. I. 10. 49. Ov. Fast. VI. 307.

Vala, v. Numonius.

Valerius, v. Laevinus.

Valgius (T.) Rufus, -i, eximius poëta epicus, cui intimus Horatius fuit. Hunc de morte Mystae pueri, quem paterno amore erat prosecutus, consolatur, ab eoque sua scripta probari voluit. Hor. Od. II. 9. 5. Sat. I. 10. 82. Tib. IV. 1. 180.

Varia, -ae, fuit Latii oppidum, ad Anienis fluminis ripam situm, ubi nunc vicus *Varo* est. Hor. Ep. I. 14. 3.

Varius (L.), -i, poëta epicus et tragicus nobilissimus, Virgilio atque Horatio intimus, quorum hunc Maecenati commendavit. E tragico genere Thyestae tragoediae laude inclaruit, quae tamen periit, uti multa alia, quorum fragmenta pauca adhuc superesse creduntur. Hor. Od. I. 6. 1. Sat. I. 5. 40. I. 6. 55. I. 9. 23. X. 4. 4. Sat. II. 8. 21. Ep. II. 1. 247. II. 3. 55. Virg. Ecl. IX. 35. Pseudo-Virg. Cat. IX. 1. Ov. ex Pont. IV. 16. 31 (*).

Varus, -i, unus ex Catulli amicis; significari autem videtur *Alphenus Varus*, cuius meminit carm. 30, qui amicitiae fidem fefellit. Cat. X. 1. XXII. 1.

Varro (P. Terentius), -ōnis, poëta Romanus eruditissimus, Atace (*Aude*) in Gallia Narbonensi oriundus, qui Caesaris Dictatoris et Triumvirorum tempore floruit. Satyras scripsit, quae minus probantur et petierunt, uti etiam de Argonautis carmen, in quo Apollonii Rhodii Argonautica secutus, eumque sic imitatus est, ut huius interpres diceretur. Praeterea de lingua Latina plurimos scripsit libros, qui partim supersunt, uti et senex de re rustica tres libros, quos etiam nunc habemus, aliaque innume-

(*) In illo tamen Virg. et Ovid. loco alii *Varus* legere malunt, v. Cl. Heyne, Exc. II. ad Virg. Bucol.

Digitized by Google

ra, quorum omnium iacturam fecimus. Hor. Sat. I. 10. 46. Pseudo-Virg. Cat. 73. Ov. Am. I. 15. 21. Art. Am. III. 335. Prop. II. 25. 85.

Varus (L.), -i, Epicureus, Caesari, Virgilio et Horatio amicus, qui carmina in primis tragoedias, in quibus in Tyrannos fuit invectus, composuisse traditur. Hor. Od. I. 18. Epod. V. 73. Virg. Ecl. VI. 7. sqq. Ov. ex Pont. IV. 16. 31.

Vatiniānus, -a, -um, ad P. Vatinium pertinens. *Vatinianum odium* est implacabile. Cat. XIV. 3. LIII. 2.

Vatinius (P) Romanus, qui a. u. DCCVII. Consul fuit, sed ob malos mores ita in odium venerat, omnium bonorum, ut eius nomen in proverbium abierit, et in cuius vitia Lucinius Calvus postea invectus est. Cat. LII. 3.

Vaticānus, -i, fuit unus e septem montibus, in quibus Roma fuit condita, prope Ianiculum montem et Tiberim; hodie idem nomen habet. Hor. Od. I. 20. 7.

Veianius, -i, nobilis gladiator, qui Horatii tempore populo gratiosus fuisse videtur. Hor. Ep. I. 1. 4.

Veiens, -ntis, Veientānus et Veius, -a, -um, a Veiis, vel ad Veios pertinens. Hor. Sat. II. 3. 143. Ep. II. 2. 167. Ov. Fast. II. 195. Prop. IV. 10. 25.

Veii, -orum, Etruriae urbs ad Tiberim, Veientis agri princeps, ubi vinum vilissimum nascebatur; cuiusque incolae diu cum populo Romano bellum gesserunt, tandemque urbem, decem annos obsessam, L. Furius Camillus Dictator cepit. Prop. IV. 10. 27. v. *Fabii*.

Veiovis, -is, Romanorum deus, quem Ovidius per Iovem parvum s. infantem; alii vero per Iovem malum explicant: habuitque templum in monte Capitolino, a Romulo rege conditum. Ov. Fast. III. 430. 447.

Veius, -i, i. e. Tolumnius Veientum rex, quem Cossus Tribunus militum hasta traiecit. Prop. IV. 10. 31.

Velābrum, -i, vicus fuit, quo nomine duo vici, maius et minus Velabrum dicti, Romae haud procul a Circo Maximo inter Aventinum; Palatinum et Capitolinum, montes fuerunt, ubi tabernae erant, in quibus oleum, caseus, aliaque edulia vendebantur. Hor. Sat. II. 3. 229. Fast. VI. 405. Tib. II. 5. 33.

Velia, -ae, quae et *Elea*, Lucaniae oppidum, inter Posidium et Palinurum promontorium ad mare situm. Hor. Ep. I. 15. 1.

Velinus, -a, -um, in vel e Velia, vel ad Veliam pertinens. Virg. Aen. VI. 366.

Velinus lacus fuit in Sabina-

Digitized by Google

rum et Umbriae confinio, per quem Velinus fluvius labitur, unde et nomen traxit; hodie *Lago di Piè di Luco*. Virg. Aen. VII. 517. Flumen autem ipsum, cuius etiam meminit Virgilius, ex Apennino monte exortum, in lacum Velinum defluens, mox in Narem effunditur, et idem nomen hodie servat. Virg. Aen. VII. 712.

Velina dicitur una e tribubus populi Romani in Sabinis, a Velino lacu nomen habens. Hor. Ep. I. 6. 52.

Venafrānus, -a, -um, in vel e Venafro, vel ad Venafrum pertinens. Hor. Od. III. 5. 55. Sat. II. 4. 69.

Venāfrum, -i, Campaniae, amoenissimae in Italia regionis, urbs, in Samnii confinio, haud procul a Vulturno flumine, cuius agri optimarum olivarum feracissimi fuerunt; hodie idem nomen servat. Hor. Od. II. 6. 16. Sat. II. 8. 45.

Venĕtus, -a, -um, ad Venetiam, Italiae urbem, pertinens. Prop. I. 12. 4.

Venilĭa, -ae, nympha, Pilumni, uti videtur, filia, soror Amatae, Latini regis uxoris, quae e Dauno Turnum et Iuturnam peperit. Virg. Aen. X. 76. — Item nympha, Canentis e Iano mater. Ov. Met. XIV. 334.

Venŭlus, -i, unus e Latinis, qui Argyripam, Apuliae urbem, ad Diomedem auxilium adversus Aenean petitum a Turno missus est. Virg. Aen. VIII. 9. XI. 242. Ov. Met. XIV. 457. 460. 512.

Venus, -ĕris, pulchritudinis, gratiarum, voluptatum, elegantiae et amoris, dea; unde et pro amore, tam honesto quam inconcesso, sumitur; e spuma maris orta habita, etiam ut marina dea navigationi praeesse credebatur. Fuit, ut fingunt, Vulcani uxor, nihilominus cum aliis adulterium commisit: e Mercurio enim Hermaphroditum, e Marte Cupidinem s. Amorem, e Bute Erycem, ex Anchise Aeneam, aliosque ex aliis peperisse, et Adonidem in primis amasse fertur, quamquam plures Veneres fuisse videntur, quarum facta poëtae, quae est horum licentia, confuderunt. Nymphae, Gratiae, uti et Cupido, Iocus, Iuventus aliique eius dicuntur comites; inque Cypro, Paphо, Gnido et Cytheris, insulis, praecipue olim culta fuit, unde et varia cognomina habuit. Ex arboribus autem myrtus, ex avibus columba ei sacra fuit. Fingitur omnium dearum pulcherrima, quae currui, ab oloribus tracto, insidet et saepe pro ipso *amore* ponitur. Hor. Od. I. 4. 5. I. 15 13. I. 18. 6. et al. Virg. Ecl. VII. 62. Aen. I. 618. (622.) et al. Ov. Her. III. 116. et saepe. Cat. XXXVI. 11. et al. Tib. I. 4. 55.

Digitized by Google

Prop. I. 1. 33. et Saep.

Levis Venus, i. e. quae levem id est, iuvenilem aetatem decet. Tib. I. 1. 73.

Veneris genus et *filius*, i. e. a) *Aeneas*. Virg. Aen. I. 325. (329.) VII. 556. b) *Cupido*. Ov. Am. I. 10. 17. III. 9. 7. Art. Am. I. 165.

Veneris neptis, i. e. Ino, Veneris ex Harmonia neptis. Ov. Met. IV. 530.

Veneris mensis, i. e. Aprilis, qui Romulo regnante secundus, ab hoc rege Veneri sacratus est. Ov. Fast. I. 39. IV. 61. cf. IV. 629.

Veneris periuria, i. e. amantium. Tib. I. 4. 21.

Veneres sunt pulchrae feminae. Cat. III. 1. 12. 12.

Venusīnus, -a, -um, in vel e Venusia, ad Venusiam pertinens. Fuit autem *Venusia* Apuliae Daunine urbs in Lucaniae confinio, Horatii patria. Romani A. U. CCCCLX. L. Papirio Cursore et Sp. Carvilio Maximo Consule, Samnitibus expulsis, eo coloniam miserunt; hodie *Venosa* vocatur. Hor. Od. I. 28. 26. Sat. II. 1. 35.

Veraniolus. Sic blande vocatur *Veranius*. Cat. XII. 17.

Verānius, -i, carissimus fuit Catulli amicus, cui in columem ex Hispania reditum gratulatur Cat. IX. 1. XII. 16. et al.

VERGILIAE sunt Pleiades. Prop. I. 8. 10. v. *Pleiades*.

Verōna, -ae, nobilis et ampla Galliae Togatae urbs ad Athesim flumen, Catulli poëtae patria; hodie idem nomen habet. Ov. Am. III. 15. 7. Cat. XXXV. 3.

Vertumnus s. Vortumnus, -i, hortorum deus et anni vicissitudinum praeses, ūti et rerum vertendarum sive emendarum et vendendarum, qui in omnes se vertere formas fingebatur, et Pomonam Hamadryadem amasse fertur; cuiusque templum Romae ante Iani aedem in Turario vico fuit, in quo lenones et puellae meritriciae habitabant, et bibliopolarum columnae erant, unde vocis ambiguitas oritur, cum Horatius librum, quem in publicum edit, cum puella, quae ibi prostat, comparet. Hor. Ep. II. 20. 1. Ov. Fast. VI. 410. Met. XIV. 642. Tib. IV. 2. 13. Prop. IV. 2. 2.

Vertumnis iniquis natus, i. e. homo maxime varius, utpote in quem Vertumnus iratus omnem suam varietatem transtulit. Hor. Sat. II. 17. 14.

Vesēvus, -a, -um, e Vesevo, i. vel ad Vesevum pertinens. Est autem *Vesēbus* s. *Vesuvius* Campaniae mons prope Neapolim ignivomus, ad cuius radices agri fertilissimi erant, vinumque nobilissimum nascebatur; hodie idem nomen habet. Virg. Ge. II. 224.

Vesper et Vespĕrus, i. e. Venus planeta, qui Graeco nomine *Hesperus* dicitur. Hor. Od.

Digitized by Google

II. 9, 10. Virg. Ecl. VI. 86. Ge. I. 251. Cat. LXII. 1. v. *Hesperus.*

Vesta, -ae, eadem quae *Tellus*, fuit uxor Coeli, Saturni et Titanis mater. Ov. Fast. VI. 299. v. *Tellus.* — Altera *Vesta*, superioris neptis, quacum saepe confunditur, Saturni filia e Rhea s. Ope, ignis dea est habita; unde et pro igni sumitur. Virg. Ge. IV. 384. A Troianis primum culta, deinde ab Aenea in Italiam transvecta est, qui post Lavinium conditum Vestae aedem consecravit, uti et postea Ascanius in Albano monte, haud procul a luco, in quo Iliam s. Rheam Silviam a Marte compressam fingunt; Romani in praecipua deae tutela se esse credebant; et in eius templo, a Numa Pompilio A. U. XL. iuxta ipsius regiam exstructo, a Virginibus Vestalibus, quibus Pontifex Maximus praeerat, sacer ignis perpetuo alebatur; et in magno imperii discrimine hac opem deae implorare iubebantur. Die IX. Iunii ei Virginalia sacra fiebant, quo die Virgines Vestales, Vestae sacrificantes, asinos floribus coronatos per Romam circumducebant. Hor. Od. I. 2. 16. 28. III. 5. 11. Sat. I. 9. 35. et al. Virg. Ge. I. 498. IV. 384. Aen. I. 292. (296.) et al. Ov. Art. Am. III. 463. Fast. I. 528. Prop. II. 22. 27. et al.

Vestālis, -e, a Vesta, vel ad Vestam pertinens, Vestae sacer. Ov. Fast. VI. 395.

Vestalis, i. e. Vestalis Virgo. Fuerunt autem *Virgines Vestales* Vestae sacerdotes, a Pontifice Maximo electae s. captae, quae per XXX. annos deae sacris praeesse, et virginitatem intactam servare debebant. Ov Am. III. 6. 75. Fast. II. 383. III. 11.

Vestalis dicitur Romanus civis, a Dauno, Arporum rege, genus ducens, qui ab Augusto in Moesiam pro Praetore est missus. Ov. ex Pont. IV. 7. 1. v. *Alpini reges.*

Vestales foci sunt ignis, quem Virgines Vestales perpetuo alebant. Tib. II. 5. 52.

Vestales oculi, i. e. Vestalium Virginum, adeoque casti. Vestales enim Virgines ob violatam pudicitiam vivae sepeliebantur. Ov. Trist. II. 311.

Vesŭlus, -i, mons in Liguriae finibus, prope Alpes, silvis obsitus; hodie *Viso.* Virg. Aen. X. 708.

Vettĭus, -i, homo obscoenus, cuius meminit Cat. LIV. 2. et LXXXXVIII.

Vibennius, -i, homo furandi pertissimus, ut quoque eius filius. Cat. XXXIII. 2.

Vibidĭus, -i, scurra ingeniosus, quem Maecenas umbram, i. e. non invitatum comitem, ad Nasidieni coenam secum duxerat. Hor. Sat. II. 8. 22.

Villĭus, -i, vir quidam, qui cum Fausta, Sullae filia, A. Milonis uxore, rem habere sols-

Digitized by Google

bat. Hor. Sat. I. 2. 64.

Vindelĭci, -orum, fuerunt populi, qui, Rhaetis contermini, inter Danubium, Aenum et lacum Brigantinum, habitarunt; nunc *Bavariae* regnum maior eius pars est. Hor. Od. IV. 4. 18. 14. 8. v. *Rhaetus*.

Vinĭus (C.) Fronto Asella, -i, rusticus, qui Horatii carmina ad Augustum fert. Hor. Ep. I. 13. 2.

Virbĭus, -i, dictus est Hippolytus, postquam Aesculapii opera e morte in vitam reductus a Diana in Aricino nemore absconditus fuit, ubi ex Aricia nympha Virbium procreavit, quem mater in Egeriae nymphae luco s. Aricino nemore educavit, et Turno adversus Aenean auxilio misit. Virg. Aen. VII. 761. 777. Ov Fast. VI. 756. Met. XV. 544.

Virdumărus s. Viridomărus, -i, rex Gallorum, quem Claudius Marcellus interemit. Prop. IV. 10. 41. v *Claudius*.

Virgilĭus (P.) Maro, -i, poëta epicus, Latinorum princeps, non procul a Mantua in pago, qui Andes dicitur, natus apud Augustum et Maecenatem multum gratia valuit, quibus et Horatium, cuius sincerus amicus fuit, commendavit; est autem mortuus anno aetatis LII. U.C. DCCXXXIV. Scripsit *Bucolica*, in quibus in primis Theocritum, *Georgica* carmina, in quibus Hesiodum, et *Aeneidem*, in quibus Homerum imitatus est, aliaque; verumtamen quae falso ei tribui eruditi putant. Hor. Od. I. 3. 6. I. 24. 10. IV. 12. Sat. I. 5. 40. I. 6. 55. et al. Virg. Ge. IV. 563. 564. Ov. Am. III. 15. 7. Rem. Am. 396. Trist. IV. 10. 51. Dom. Mars. ap. Tib. IV. 15. 1, Prop. II. 25. 61.

Virginĕus, -a, -um, a Virgine aqua, vel ad Virginem aquam pertinens. Ov. Fast. I. 464. ex Pont. I. 8. 38.

Virgo, -ĭnis, fuit Romae aqua, quam M. Agrippa Aedilis a via Collatia, ad octavum milliarium in Urbem perduxit, quaque ii, qui Campo Martio exercebantur, sudorem ac pulverem abluebant; hodie *Acqua Felice* et *Virgine* vocatur. Ov. Art Am, III. 385. Trist. III. 12. 22.

Virro, ōnis, homo quidam libidinosus, podagra laborans, apud Cat. LXXI. 1. LXXX. 7.

Viscus (Vibĭus), -i, eques Romanus, Horatio amicus, cuius duo filii Senatorii ordinis docti critici et poëtae fuerunt. Hor. Sat. I. 9. 22. I. 10. 83.

Viscus Thurĭnus, -i, fuit Nasidieni conviva, cuius mentio fit ab Hor. Sat. II. 8. 20.

Visellĭus, -i, Romanus quidam, cuius socer, ut Scholiastes h. l. refert, herniam habuit. Hor. Sat. I. 1. 105.

Vitellĭus (L.), -i, Caesaris Vitellii pater, Moesici exercitus dux; inde Istro devectus in adverso litore Asiatico in Pontum provinciam e navibus mili-

Digitized by Google

tes exposuit. Ov. ex Pont. IV. 7. 27.

Vola, v. Bola.

Volcanĭus et Volcānus, v. Vulc.

Volĕsus, v. Volusus.

Volscens, -tis, equitum Latinorum dux, qui Euryalum interfecit, et mox a Niso ipse caesus est. Virg. Aen. IX. 370. 375. 420. sqq. — Vocatur sic etiam dives Amyclarum in Italia rex, Camertis pater. Virg. Aen. X. 563.

Volscus, -a, -um, ex Volscis, ad Volscos spectans. Virg. Aen. VII. 803.

Volsci, -orum, fuerunt antiqua et bellicosissima Latii gens ad Tyrrhenum mare, quae Rutulis adversus Aenean et Troianos auxilio venit, et postea cum populo Romano diu vario Marte bellum gessit. Virg. Ge. II. 168. et al. Ov. Fast. VI. 721.

Voltur. v. Vultur.

Volturnus. v. Vulturnus.

Volusĭus, -i, malus poëta, in quem invehit Cat. XXXVI.

Volŭsus et Volĕsus, Sabinus, Valeriae gentis auctor, qui cum T. Tatio, Sabinorum rege, Romam venit, a quo Cotta paternum genus ducebat. Ov. ex Pont. III. 2. 105. v. *Cotta*.

Vocatur etiam *Volusus* unus e Rutulis ducibus in bello, quod Turnus adversus Aenean gessit. Virg. Aen. XI. 463.

Vorānus, -i, C. Lutatii Catuli libertus, homo furtis famosus. Hor. Sat. I. 8. 39.

Vortumnus. v. Vertumnus.

Vulcanĭus et Volcanĭus, -a, -um, a Vulcano, vel ad Vulcanum pertinens, Vulcano sacer. Virg. Aen. VIII. 422. 513. et al. Ov. Met. II. 106. XIII. 313.

Vulcanid acies et *Vulcania vulnera*, i. e. ignis, cuius deus Vulcanus est. Virg. Aen. X. 407. Pseudo-Virg. Cul. 319.

Vulcānus et Volcānus, -i, Iovis e Iunone filius, Veneris maritus, Erichthonii e nefando amore, Tullii autem, Romanorum regis, ex Ocresia pater; ob corporis deformitatem e coelo in Lemnum insulam deiectus fingitur. Uti ignis, quem invenit, ita et fabrorum deus a veteribus habitus, saepe pro ipso *igni* sumitur. Hor. Sat. I. 5. 74. Virg. Ge. I. 295. Aen. II. 311. V. 662. et al. Ov. Met. VII. 104. IX. 251. Tib. I. 9. 49. Habuit autem officinam in insulis Aeoliis, prope Siciliam, in primis in Hiera; Lipara et Lemni insula, uti et sub Aetna monte, ubi una cum Cyclopibus, eius ministris, fulmina Iovi, aliis vero alia egregia opera e ferro fabricare traditur. In bello deorum cum Gigantibus optime de diis meruit. Martem cum Venere in adulterio deprehensum reti tenui ita colligavit, ut neuter abire posset, donec ambos omnibus diis deabusque con-

Digitized by Google

vocatis deridendos exhibuisset. Hor. Od. IV. 4. 8. III. 4. 59. Virg. Ge. IV. 346. Aen. VIII. 198. et al. Ov. Am. II. 17. 19. Art. Am. II. 574. 741. Fast. III. 82. et al.

Vulcani proles, i. e. Periphetes, Vulcani ex Anticlea filius a clava aenea, qua utebatur, etiam *Corynetes* dictus, qui latrociniis infamis a Theseo prope Epidaurum, Aesculapio sacram urbem, interfectus traditur. Ov. Met. VII. 437.

Vultēius Menas, -i, Cn. Pompeii libertus, Sex. Pompeii legatus. classique piraticae praefectus: suum tamen ducem mox reliquit, et cum sexaginta navibus, quibus praeerat, ad Octavium transfugit. Hor. Ep. I. 7. 55.

Vultur s. Voltur, -ŭris, mons in Apuliae finibus, ad cuius radices Venusia urbs, Horatii patria, fuit sita. Hor. Od. III. 4. 9.

Vulturnus s. Volturnus, -i, maximum Campaniae flumen, quod ex Apennino monte exortum Capuam praeterlabitur et in mare Inferum effunditur; hodie idem nomen habet. Virg. Aen. VII. 729. Ov. Met. XV. 715.

Digitized by Google

X.

Xanthĭas Phoceus, -ae, homo Graecus, ut videtur, Horatio amicus, Phyllidis, formosae servae, amore captus; qui quo Romanorum probrum, quod servam amaret, effugeret, amorem dissimulavit; ab Horatio vero similibus Graecorum principum exemplis, ne illum huius amoris pudeat, incitatur. Hor. Od. II. 4.

Xantho, -us, nympha marina, Nerei e Doride filia, una e Cyrenes comitibus. Virg. Ge. IV. 336.

Xa'nthus et Xan'thos, -i, nomen trium fluminum, quorum unum, etiam *Scamander* dictum, in Troade fuit, et hodie iisdem nominibus vocatur. Virg. Aen. I. 473. (477.) et al. Pseudo-Virg 306. Ov. Her. V. 30. Am. I. 3. 53. III. 6. 31. (*). Met. II. 245. IX. 645. v. *Scamander*. Alterum fuit Epiri flumen, cuius nomen Helenus ad Troadis flumen finxit. Virg. Aen. III. 350. Tertium in Lycia, ubi e Cadmo monte scaturiens, Xanthumque urbem interfluens, prope Pataras in mare mediterraneum effunditur; hodie *Sirbi*. Hor. Od. IV. 6. 26. Virg. Aen. IV. 143. Ov. Met. IX. 645.

Xanthus, -i, Lyciae urbs, ad Xanthum fluvium sita, haud procul a mari, quae, uti tota Lycia, Apollini sacra erat, Pseudo-Virg. Cul. 14.

Xerxes, -is, Persarum rex, qui ponte Asiam cum Europa coniunxit. Prop. II. 1. 22.

(*) Malim tamen eo loco cum Heins. *Xuthum* legere, qui Hellenis filius, e Thessalia a fratribus pulsus, Creüsam, Erechthei. Athenarum regis, filiam, uxorem duxit. Paus. VII. 1. Herod. VII. 94.

Digitized by Google

Z.

Zacynthos et Zacynthus, -i, Ionii maris insula haud procul a Peloponneso cum urbe eiusdem nominis, quae Ulyssis regni pars fuit; hodie *Zante* vocatur. Virg. Aen. III. 270. Ov. Her. I. 87. Art. Am. II. 432.

Zanclaeus, contr. Zanclaeus, -a, -um, in vel e Zancle, ad Zanclen spectans, id. q. Siculus. Ov. Fast. IV. 499. Met. XIII. 729. XIV. 47. Trist. V. 2. 53.

Zancle, -es, nobilis Siciliae urbs, ad fretum Siculum, quae postea Messana, hodie *Messina* vocatur. Ov. Met. XIV. 5. XV. 290.

Zephyritis, -idis, dicitur Arsinoe, Ptolemaei Philadelphi soror et uxor, quae ab Aegyptiis pro Chloride, Zephyri uxore, fuit culta. Cat. LXVI. 57.

Zerynthius, -a, -um, ad Zerynthum spectans. Fuit autem *Zerynthus* olim Samothraciae urbs. Ov. Trist. I. 10. 19.

Zetes, (*) -ae, Calais frater. Ov. Met. VI. 716. Prop. I. 20. 26. v. *Calais*.

Zethus, -i, Iovis ex Antiopa filius, eodemque partu cum Amphione natus. Uterque a matre expositus a pastore inventus et educatus fuit; Amphione autem se totum philosophiae ac musicae tradente, et Zetho easdem, quas pater nutricius, res rusticas sequente, dissimilibus studiis inimicitiae sunt inter fratres exortae, quas Amphion, Zetho fratri obsequens, sponte lyram abiiciendo diremisse traditur. Hor. Ep. I. 18. 41. Prop. III. 13. 41. v. *Amphion*.

Zoilus, -i, fuit sophista ex Amphipoli, Macedoniae urbe, ubi Ptolemaei Philadelphi tempore vixit, maximeque eo innotuit, quod multa in Homerum fuerit invectus eumque reprehenderit. Ab hoc postea praestantiorum scriptorum vituperatores *Zoili* dicti sunt. Ov. Rem. Am. 366.

(*) Minus recti Zethes scribitur; est enim Graece Ζήτης. Apollod. III. 14. 2. Apollon. Rh. I. 219.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google